UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

urn:nbn:de:hbz:466:1-71607

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 6221

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facultatis Philosophicæ in
Coll.o Soc.ti JESU Paderbornæ 1682

ASSERTIONES PHILOSOPHICÆ FUSIUS DEDUCTÆ PHILOSOPHIÆ Peripateticæ communioris EPITOMEN

exhibentes,

Facultatis Philosophicæ in Coll.° Soc.tis Jesu Quas Paderbornæ 1683.

PRAESIDE

R. P. PETRO LEURENIO

è SOCIETATE IESV,

In celeberrimâ Ubiorum Universitate Philosophiæ Professore Ordinario

Defendent

Nobiles, Ingenui ac Eruditi DD. *Doctoratus Philosophici Candidati*

METAPHYSICI EMERITI

In Celeberrimo Trium Coronarum Gymnasio

Anno MDCLXXXI. Die & Januarii.

* * * *
* * *

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis Viduæ PETRI METTERNICH,
propè Augustinianos.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SAPIENTIÆ INCARNATÆ VIRGINEÆ PARENTI.

VAstam Philosophiæ molem in leve hoc pondus, in non leve memoriæ nostræ redactam subsidiũ, labores, inquã, nostros triennales, quos scriptæ huic & circumportatili memoriæ consignavimus, ut ab oblivione tutaremur, ad Maternos pedes tuos *Dignißima* Verbi, *Benignißima* miserorum *Mater* prosternimus, ut amori tuo illibatos conservemus, consecremus, ut affectui nostro post Deum unicè amores tuos favoresq; ambienti satisdem⁹. Devotæ gratæq; mentis humile anathema, munus exile & verecun-

dum, quod, dum materna tua allicit animatq; Benignitas, repulsã non veretur. Sciẽtiæ noſtræ qualiscunq; peculiũ, quod, dum filialis candor ex integro donat Matri, dulciùs nullibi conquieturũ, nullibi adverſantes ſibi riſurum ſecuriùs, quàm apud Maternos tuos ſinus depoſitum, arbitratur. Quod igitur jam tuum eſt, *Glorioſa Sapientiæ Increatæ Mater*, tuo magis favore, quàm noſtro partum labore, tuo defendatur præſidio, tua feliciùs accreſcat liberalitate: ſed non niſi ad tuam Filiiq; tui majorem gloriam. Ita ſuſpirant & rogant

Servuli tui,
& utinam ex toto tui

METAPHYSICI GYMNASII
TRICORONATI.

LOGICA.

Præter naturalem Logicam, seu nativam intellectus nostri virtutem, quâ hic absque præceptis, adeoque non sine errandi periculo res novit definire, dividere, veritatem unam ex alia deducere, dari in eodem intellectu Logicam quandam artificialem & acquisitam, seu lumen aliud clarius, facilitatem aliam certiorem ad eadem præstanda infallibilius, manifestum est. Quæ cum uti scientiarum reliquarum, ita & Philosophiæ sit janua, ab ea dissertationes nostras ordimur.

DISSERTATIO PRIMA

De Natura Logices.

I

LOgica scientia sermocinalis dicitur, non quod de vocibus externis disputet, aut de iis præscribat regulas (etsi vocibus utatur ad disputandum & regulas suas aliis explanandas more scientiarum

omnium humanarum) sed quia verbis internis docet discurrere, & sibi ipsi manifestare ignotum, id est, per conceptus obscuros cognitum, per conceptus clariores; adeoque objectum ejus non sunt voces, ne quidem ut manifestativæ rerum substantium nostris conceptibus logicis, sive in quantum constituunt Syllogismos, definitiones, divisiones vocales. Tractat igitur Logica de æquipollentia & suppositione terminorum & vocum indirectè & per accidens, agens tantisper Grammaticam, ut Tyronibus suis terminos artis exponat. Examinando verò syllogismum vocalem, potius syllogismum mentalem alterius per voces repræsentatum examinat; syllogismus enim vocalis etsi repræsentet syllogismum logicè bonum vel malum, & dispositionem medii mentalis cum extremis mentalibus seu artificium logicum, ipse tamen nec bonus, nec malus est logicè, quia artificium logicum non formaliter, sed tantùm repræsentativè continet, & tota hæc vocum seu medii vocalis cum extremis vocalibus dispositio spectat ad Grammaticam, cujus est, dispositionem

nem conceptuum aptâ verborum disposítione & significatione exprimere, eritque syllogismus vocalis grammaticaliter bonus, si exprimat conceptus, uti in mente reperiuntur, sive hi secundùm regulas logicas benè, sive malè sint dispositi; à quibus cùm non imperetur aut dirigatur, sicut actus externus virtutis ab interno dirigitur & imperatur, ne quidem rationem objecti logices participat, sicut hic ab illo rationem virtutis. Est itaque quis Logicus ante voces & sine illis, dum syllogismum mentalem, aliosve actus logicos in mente solùm formavit.

II. Similiter quia Logica considerando genus, universale, &c. res ipsas subsantes his denominationibus logicis cognoscit solùm indirectè & quasi per accidens, quia connexæ sunt cum significato formali harum denominationum, sive cum forma dante rebus has denominationes V. G. cum conceptu confundente multa per modum unius, in quem ipsa fertur primariò & directè,

non attendendo, cujus rei hic conceptus sit imago, veluti pictor considerans imaginem, versatur solùm per se circa lineamenta artificiosè ducta, non curando, an hæc in auro, an in ligno sint ducta, an hujus vel illius historiæ expressiva; res omnes sive modi sciendi objectivi non magis sunt ejus objectum, quàm res omnes à Deo scitæ & volitæ sint objectum Theologiæ ideò, quod hic versetur directè circa intellectum & voluntatem Dei. Quare regulæ Logices non sunt intelligendæ de rebus ipsis, sed de conceptibus, V.G. hæc: *definitio debet esse convertibilis cum definito: debet constare genere & differentia*; hac nimirum ratione: definitio formalis debet esse eadem cum definito formali, non quidem entitativè, sicut definitio objectiva & definitum objectivum sunt eadem, sed repræsentativè, id est, definitio formalis debet explicare idem clariùs, quod definitum formale explicabat obscuriùs: item definitio formalis debet constare genere & differentia; non quidem objectivis, sed formalibus, id est debet repræsentare genus & differentiam rei. Agit tamen etiam de præ-

prædicamentis, quæ res sunt, sed per accidens, ut præbeat tyronibus suis materiam, in qua eorum conceptus logici occupentur; Item de differentia demonstrationem inter & syllogismum probabilem (qui in consideratione logica, id est, ratione formæ non differunt, sed tantùm ratione materiæ) ut Tyrones in diversa materia vim formæ syllogisticæ experirentur. Neque per hoc immediatè res ipsas attingere censenda est Logica, quod præsuppositivè instructa à Metaphysica, sciens proprietates & essentias rerum judicet, an definitio aliqua sit bona quoad formam, quamvis videre, an regulæ Logicæ hîc & nunc in materiis aliarum scientiarum bene sint applicatæ, ad alias scientias pertinere videatur. Neque per hoc, quod examinando hanc similesque propositiones: *paries est albus*; dicat: paries in hac propositione est subjectum, præterquam enim quod similes actus ad Logicam reductivè tantùm spectent, sunt mixti, & quoad prædicatum tantùm logici.

III. Neque etiam objectum materiale proximum Logices est homo, seu intellectus rectè intelligens, quia non est id, de quo tan-

quam subjecto conclusionis fiunt demonstrationes logicæ, & quod Logica per regulas suas proximè dirigit, ut bene fiat; & si ideo intellectus est objectum Logices, quia finis Logicæ est, ut intellectus rectè intelligat modum formandi syllogismos &c. jam intellectus erit objectum omnium scientiarum & artium, quia & harum finis proximus & intrinsecus est, non ut opus externum actu producatur, sed ut homo reddatur rectè intelligens & sciens modum rectè producendi opus externum. Intendit itaque Logica non intellectum perfectum in concreto, sed rectitudinem ejus, id est, cognitionem rectam, ex qua quod dein perfectio intellectus resultet, illi per accidens est, vel saltem ultra ejus finem primarium, æquè functura suo officio, si actus à suis regulis directus reciperetur in lapide. Ex eo autem, quod subjectum ultimum formæ per artem productæ sit objectum materiale artis. V. G. statuariæ lignum, non operatio vel quantitas, in qua tamen forma statuæ proximè recipitur, non sequitur eodem modo procedendum esse in scientiis practicis, quia hæ activæ sunt,

sunt , artes verò factivæ , in quibus ideo subjectum ultimum formæ assignatur pro objecto materiali , quia ex parte hujus ultimi subjecti peculiarem difficultatem vincendam habent , quam in rem peculiaria quoque ab arte præscribuntur præcepta ; Logica autem circa intellectum seu ultimum suum subjectum non invenit hanc difficultatem , cùm intellectus ad recipiendas operationes rectas necessariò sit determinatus. Imò loquendo subtilius & logicè de objectis artium mechanicarum , illis assignare possumus objecta sicut in Logica , & dicere ; V. G. objectum materiale proximum Aurifabri esse sculptionem , fusionem &c. formale esse eandem sculptionem factam secundùm regulas hujus artis.

IV. Multò minus objectum Logices est ens rationis fictitium , quia tale non sunt denominationes logicæ , dum enim quid dicitur definitum , prædicatum , universale , genus &c. non fingitur ab intellectu , sive non cognoscitur , rebus inesse à parte rei aliqua forma resultans iis à cognitione definiente univer-

salificante &c. & sic illas denominans, sed importatur denominatio realis rebus extrinseca, derivata à cognitione, quæ denominatio est ens reale, & indistinctum à subjecto denominato & forma denominante, non minus, quàm esse visum est denominatio realis conveniens parieti viso etiam nullo intellectu fingente, visionem esse parieti inhærentem; & sicut visio rei visæ, sic cognitio conjungitur rei cognitæ realiter extrinsecè, præter quam conjunctionem fingenda non est alia unio intrinseca talium formarum cum talibus subjectis denominatis. Neque faciens universale concipio naturam abstractam realiter ab individuis, aut unum realiter identificari multis, sed abstractam & unam extrinsecè, sive cognoscuntur multa confusè in ordine ad prædicatum commune, non cognitis clarè differentiis eorum individualibus, quamvis Logica potiùs & directè versetur circa ipsam cognitionem abstrahentem, quàm naturam abstractam. Neque in propositione affirmativa fit ens rationis, dum prædicatum & subjectum quæ à parte rei idem sunt, inter

se

se uniuntur & componuntur, nam prædicatum distinctum aliquo modo à subjecto, & compositio inter ea apprehenditur in actu exercito, non verò in actu signato, quod aliud non est, quàm rem inadæquatè & diversimodè concipere & ratione distinguere, & dein rem ut cognitam uno conceptu affirmare de eadem re ut cognita alio conceptu. Quinimò dato, denominationes logicas seu intentiones secundas objectivas esse entia rationis, adhuc non erunt objectum directum Logices, cum Logica eas solùm consideret directè secundùm formam denominantem; sive enim per formas illas fictitias resultantes à talibus cognitionibus formaliter constituatur universale prædicatum &c. sive per ipsas cognitiones fingentes tales formas, Logica (cujus objectum debet in se posse dirigi) adhuc circa illas formas fictitias versari nequit immediatè, utpote in se indirigibiles & dirigibiles tantùm in cognitionibus, à quibus resultant.

V. Quare operationes intellectus sunt objectum Logices; quidquid enim in

Logica , directè cognoscitur , & ab ea dirigitur , sunt universalia , definitiones, syllogismi &c. quæ omnia formaliter sumpta sunt intellectiones ; quæ licet etiam ut rectæ sint entia physica , id est , non fictitia , non sunt tamen entia physica, id est , carentia omni artificio , adeoque in tantum non sunt considerationis physicæ. Consistit autem harum intellectionum dirigibilitas , uti & regularum logicarum directivitas in eo , non quod operationes semel rectæ fieri possint malæ, vel contra (hoc enim fieri implicat , cum rectitudo & irrectitudo ipsis operationibus identificetur) sed quod intellectus vi regulæ seu cognitionis dirigentis determinetur ad operationes per entitatem suam rectas producendas aut continuandas,vitandasque aut abjiciendas irrectas per entitatem suam , quæ loco rectarum prodire possent. Insuper opus non est , ut objectum sit prius realiter scientiâ, cùm pateat contrarium in scientiis speculativis , & objectum cognitionis practicæ sit tantùm prius intentione & prioritate rationis seu essendi

essendi consequentiâ, quatenus bene infertur: cognitio est, ergo objectum est, non contra. Neque opus est objectum materiale scientiæ practicæ posse realiter separari à formali, contrarium enim debet admitti in multis actibus Ethicæ & Theologiæ practicis; quare sufficit hoc ab illo distingui ratione, ita ut operatio confusè concepta sub ratione intellectionis, abstrahendo à rectitudine & irrectitudine dicatur objectum materiale, concepta dein clarè ut recta dicatur objectum formale. Unde neque opus est objectum scientiæ practicæ materiale præexistere formali, & esse realiter indifferens ad recipiendum formale (id enim solum requiritur ad inductionem physicam objecti formalis realiter distincti) sed sufficit abstrahendo à rectitudine concipi tanquam quid præexistens & indifferens ad eam.

VI. Tam autem apprehensio simplex (qualis est quâ objectum indivisibiliter instar unius apprehenditur V. G. quâ apprehendo *animal*) quàm com-

plexa) quâ objectum apprehenditur instar duorum V. G. quâ apprehendo *animal rationale*) pertinet ad objectum Logices. Primò enim apprehensio complexa, potest repræsentare partes metaphysicas V. G. hominis, seu totum illud, quod est essentiale homini, cum discretione genus inter & differentiam, adeoque constituere integram definitionem, hoc totum enim; *homo est animal rationale*: non est definitio, sed solùm prædicatum, videlicet *animal rationale*; quia dicitur in hac propositione definitio prædicari de definito; ergo apprehensio complexa etiam extra judicium est à Logica dirigibilis, & quidem hoc modo: postquam intellectus pluribus apprehensionibus simplicibus distinctis apprehendit *animal*, *substantiam*, *rationale*, *risibile*, *hinnibile*, *mortale* &c. Logica dicit intellectui: conjunge objectum apprehensionis, quâ apprehendisti *animal*, non cum objecto apprehensionis, quâ apprehendisti *hinnibile* &c. sed cum objecto apprehensionis, quâ apprehendisti *rationale*, conjunge, inquit,

inquit objecta harum duarum apprehensionum alia apprehensione, quæ indivisibiliter utrumque attingat objectum, & sic bonam hominis constitues definitionem. Secundò etiam apprehensio simplex ut opus artificiosum potest dirigi à Logica, quia tales sunt apprehensiones quà *animal* & quà *rationale* à suis inferioribus abstraho, sive qua constituitur verum genus & vera differentia, sed hæ possunt à Logica dirigi & à voluntate imperari intellectui, ut nimirum ille, postquam ab una parte cognovit hominem V. G. equū, canem, piscem &c. in aliquibus operationibus convenire; ab altera parte à Logica edoctus, quod abstrahere à pluribus talibus rationem aliquam communem, sit facere genus, abstrahat rationem communem talem, vi cujus imperii directus à Logica dein apprehendit principium illud operationum similium respectu hominis, equi, canis &c. esse *animal*, & sic formaliter conficit genus. Nec obstat dirigibilitati apprehensionis, quod necessariò semper repræsentet objectum, sicut illi proponitur, adeoque nunquam possit esse objecto difformis, falsa, vel erronea, imò nec vitiosa contra regulas lo-

gicas, utpotè quæ, si repræsentet differentiã loco generis, non erit falsa repræsentatio generis, sed vera differentia regulis Logicis de differentia conformis; primò quia directio non semper supponit, opus faciendum posse malè fieri, sed seruit quandoque ad hoc, ut fiat opus rectum, quod sine directione quoad substantiam non fieret, ut patet in amore beatifico, qui etsi fiat necessariò, nec malè fieri possit, dirigitur tamen à judicio, quod formant beati de amando Deo. Secundò quia Logica sua directione efficit, ut ponatur, hæc apprehensio à voluntate imperata, cujus loco absque directione posita fuisset alia non imperata. Nec removet apprehensionem à ratione objecti, scientiæ, quod neutra sit modus sciendi; etsi enim complexa non sit modus sciendi rigorosus & perfectus, qui affirmando vel negando faciat scire, est tamen imperfectior; apprehensio verò simplex tanquam dispositio reddens nos aptos ad construendum modum sciendi, spectat ad Logicam.

VII. Inter objecta Logices partialia objectum Attributionis est syllogismus perfectus, quatenus comprehendit probabilem

&

& demonstrativum; ad illius enim constructionem & meliorem, notitiam ordinantur omnia, quæ in Logica tractantur sive ex natura sunt talia, ut possint componere syllogismum (quod sufficit ad rationem objecti attributi, & non requiritur, ut illud ex primario suo conceptu ordinetur ad compositionem objecti attributionis V. G. ut definitio ex primario suo conceptu sit illativa conclusionis, seu compositiva syllogismi; sic examinantur termini ad construendas propositiones, formantur Genera & Differentiæ ad formandas definitiones, ex quibus dein veluti partibus componitur syllogismus) quæ tamen objecta attributa propterea quod referantur aut referri possint hac ratione ad objectum attributionis, non dicuntur per accidens considerari à Logica, cum illud dicatur per accidens considerari ab aliqua scientia, & secundariò, quod in se nihil dignum scitu continet & cujus notitia utilis non est, nisi quatenus conducit ad aliud cognoscendum: & syllogismus vice versa ad nihil eorum refertur; Licet autem demonstratio ratione materiæ sit modus sciendi perfectior, adeoque objectum Logices principa-

cipalius, non erit tamen objectum attributionis, nisi in quantum comprehenditur sub ratione syllogismi perfecti; quia syllogismus perfectus ut sic non refertur ad eam, sed ipsa potiùs tanquam pars hujus totius refertur ad syllogismum ut sic: quin imò syllogismus probabilis ad eam non refertur, neque ut pars, neque ut imperfectius (non enim semper cognitio imperfectioris refertur ad cognitionem perfectioris;) neque ut contrarium; sic enim eodem modo vice versa demonstratio refertur ad syllogismum probabilem. Similiter etsi definitio sit quandoque causa conclusionis, cum nimirum est una ex præmissis, syllogismus adhuc non refertur ad illam, quia totum non refertur ad causam materialem vel formalem sui (quales dici possunt præmissæ respectu totius syllogismi, etsi respectu solius conclusionis referri possint ad causam efficientem) adeoque definitio non est objectum attributionis, quidquid sit de eo, num perfectius manifestet objectum, quod etiam falsum est in syllogismo, cujus una præmissarum est definitio, cum hic habeat quod habet definitio, & aliquid amplius. Item etsi præmissæ ordinentur ad

conclusionem, non tamen integer syllogismus, adeoque non omne, de quo tractat Logica, refertur ad conclusionem, sed hæc utpote pars potiùs ad syllogismum ordinatur.

VIII. Objectum Logices formale *quod*, seu ratio formalis *quæ* non est directivitas seu directio activa, neque ipsarum regularum logicarum, cum hæc directivitas sint ipsæ regulæ dirigentes, Logica autem seipsam habere non possit pro objecto: neque syllogismorum, definitionum &c. pro exemplo ad alias similes faciendas propositarum, cum prius sit, syllogismos ideales esse rectos secundùm primævas regulas, quàm esse aliorum directivos, & Logica intendat, ut syllogismi definitiones &c. Sint recti, ex qua rectitudine, quod dein oriatur, ut etiam sint directivi aliorum, est ultra finem Logices, & illi per accidens, adeoque Logica hanc directivitatem inducit in operationes, non ut formam à se primariò intentam, sed veluti consequentem & manantem ex rectitudine & non habet pro fine suo operationes ut directivas, sed quæ directivæ sunt. Nec objectum formale Logices est dirigibilitas

litas passiva operationum intellectus, sive operationes intellectus ut capaces dirigi sive ut possibiles fieri rectæ, cum hæc dirigibilitas, seu capacitas & non repugnantia ad suscipiendam directionem Logicam non sit ratio illa, quæ præcipuè consideratur à Logica in operationibus, nec sit forma, quæ inducitur in illas, sed potius ratio formalis *sub qua* sive conditio, sine qua operationes non essent objectum Logices saltem practicæ, de qua ratione formali, *sub qua* loquitur Arist. dum dicit; objectum habitus practici esse rem operabilem ut operabilem: & licet per hanc objecti sui operabilitatem habitus aliquis practicus ab aliis scientiis specularivis distinguatur, per eam non distinguitur tamen etiam à practicis. Unde etsi assignandum sit Logicæ objectum, quod est praxis, assignanda non est tamen in hoc objecto materiali pro ratione formali sive objecto formali terminativo ipsa ratio operabilitatis, sed alia, per quam adæquatè ab aliis scientiis etiam practicis distinguatur.

IX. Qualis ratio in operationibus intellectus à Logica spectata etiam non est earum physica veritas, seu conformitas earum cum

obje-

objectis; hanc enim virtus intellectualis, qualis est Logica, non intendit nisi in actibus suis immediatis, neque instrumentum aliarum scientiarum impropriè tale (quamvis non examinemus hic objectum Logices quatenus instrumenti, sed quatenus per se scientiæ) statim primariò eundem cum illis finem, nempe veritatem intendit, quæ veritas si quandoque sequatur ex rectitudine logica sive conformitate actus cum regulis Logices (qualis esse potest actus absque eo, quod verus sit physicè) Logicæ est per accidens, & ad summum ab ea intentum secundariò, veluti finis extrinsecus, quæ per se intendit rectitudinem logicam utilem, non ut utilē, ad veritatem investigandam. Unde hæc ipsa artificiosa actuum intellectus rectitudo seu conformitas eorundem cum regulis Logices, quatenus respicit activam harum regularum directionem (operationes enim casu factæ rectæ & conformes regulis esse non possunt objectum Logices, saltem quoad primum produci, cum circa illas nullus actus Logicus eas dirigens, ut bene fierent, versatus fuerit) est objectum Logices formale. Inducitur autem hæc rectitudo à directione

ctione regularum in operationes non ut jam rectas vel irrectas, neque in existentes sine rectitudine & irrectitudine à parte rei, sed in præscindentes juxta nostrum concipiendi modum ab utraque; & plus Logica non præstat per suam directionem, quàm ut prodeat operatio in entitate sua recta, cujus loco proditura fortè fuisset in entitate sua irrecta. Hinc facilè inferes irrectitudinem non esse objectum formale præceptorum logicorum negativorum, sed rectitudinem, propter quam talia præcepta vetant irrectitudinem, & quam procurare intendunt vitatis vitiis & irrectitudine.

X Logica circa hoc objectum suum versatur practicè. Ad cognitionem enim practicam requiritur: Primò, ut sit notitia repræsentans rem operabilem ut operabilem (quia poterit cognitio repræsentare rem, quæ operabilis est V. G domum ut ens est, vel rem considerare positivè ut jam factam & tamen non esse practica. Secundò ut repræsentet rem operabilem ab ipso habente hanc notitiã, quia si repræsentet rem ab altero operabilem V. G. motum cœlorum ab Angelo, quæ impossibilis sit ipsi habenti hanc notitiam,

tiam, non erit practica; cui tamen non obstat impedimentum aliquod per accidens impediens, quominus hæc operabilitas prodeat in actum; sic habet claudus adhuc scientiam practicam saltandi. Tertiò debet dirigere ad effectionem, id est, debet ostendere, & præscribere, modum, quo opus repræsentatum possit fieri; unde non sufficit, opus repræsentatum esse producibile ab habente talem cognitionem, sed requiritur præterea, ut sit capax directionis intellectualis & imperio voluntatis subjaceat, quale quid non est nutritio. Quartò debet dirigere ad objecti repræsentati effectionem; sic consideratio bonitatis divinæ etsi moveat & dirigat ad amorem, non est tamen practica, quia non dirigit ad effectionem sui objecti, quod est bonitas. Quintò debet immediatè dirigere, id est, vi istius cognitionis debet cognoscens constitui proximè aptus ad operandum, quantum est ex parte intellectus moventis voluntatem & dirigentis potentiam executricem, etsi dein habens hanc cognitionem nolit operari; Denique debet ex se seu ex fine suo intrinseco dirigere ad opus, quia quod de facto cognitio talis ordinetur vel non ordine-

dinetur à cognoscente ad opus, nihil facit ad rationem practici vel speculativi: jam verò hæc omnia conveniunt regulis logicis, ergo. Unde etiam negandum non est, objectum Logices esse praxin, cum non sola operatio potentiæ alterius ab intellectu, sed omne opus operabile, seu per rectam rationem dirigibile sive internum sive externum (qualiter etiam una cognitio etsi sit speculativa & speculatio, ab alia est dirigibilis) sit praxis, adeoque intellectus non tantùm extendendo se ad actus aliarum potentiarum dirigendos fit practicus, sed etiam extendendo se & transeundo ab uno actu ad alium intra suum objectum. Nihilominus fateor inveniri in Logicâ actus purè speculativos, quales sunt, qui considerant proprietates modi sciendi seu objecti Logici v.g. *Genus latiùs patet differentiâ: divisio tollit confusionem* &c. hæ enim proprietates non sunt à cognoscente factibiles, nisi mediatè, sed eodem modo ab essentia logica modi essendi dimanant, sive cognoscantur, sive non, ac proinde immediatè non subjacent imperio voluntatis & intellectus directioni. Quales item sunt, qui considerant opus Logicum jam factum, illudque

exami-

examinant, num ſecundùm regulas factum, & an in eo ſit quid vitii, hi enim actus non repræſentant rem amplius ut operabilem; & licet ſint occaſio, vel moveant voluntatem, ut imperet intellectui correctionem defectuum per ſubſtitutionem novi v.g. ſyllogiſmi, aut etiam in eum finem ſuſcipiantur, ad hoc tamen per ſe & immediatè non dirigunt. Qui tamen actus quia ſecundariò tantùm & reductivè ſpectant ad Logicam (uti etiam ad alias artes ſpectat examinare opera ſua, num bene ſint facta juxta earum regulas) Logica non magis dicenda erit partim ſpeculativa, quàm aliæ artes.

XI. Verſatur item Logica certò circa ſuum objectum adeoque eſt virtus intellectualis quoad omnem ſui partem; nam habitus Logicæ tam topicæ & ſophiſticæ, quàm analyticæ, utpote generatus à certis, veris & infallibilibus regulis (regulæ enim tractantes de ſyllogiſmo ſophiſtico, qualis eſt hæc: *Syllogiſmus conſtans quatuor terminis malè concludit:* & de topico, non minus ſunt certæ & infallibiles, quàm tractantes de ſyllogiſmo demonſtrativo) ſemper inclinat in ſimiles cognitiones certas & veras tanquam

in

in actus suos immediatos. Cui non obstat quod actus remoti, directi ab his regulis, vel quos per eas vitare intendit Logica, syllogismus nimirum probabilis & sophisticus, sint imperfecti, vitiosi, quandoque, vel semper falsi, sed ex eo tantùm sequitur, habitus ab his syllogismis topicis & sophisticis relictos non esse virtutes intellectuales. Non est tamen Logica habitus primorum principiorum, cum non inclinet ad assensum propositionum per se notarum, uti patet ex difficultate, quam habemus in apprehendendis regulis logicis. Nec Sapientia, cum non inclinet ad assensum firmum existentem in primis rerum causis & universalissimis principiis. Nec Prudentia, quia non dirigit actus humanos ad honestatem dictando quid hîc & nunc sit faciendum. Nec Ars strictè talis, cum non sit habitus cum rectâ ratione factivus, id est, versans circa actiones externas & transeuntes, sed activus, id est, versans circa actiones internas & immanentes; dici tamen potest ars, si ars cum Aristotele sumatur latiùs pro habitu intellectus practico, sive activus ille sit, sive factivus. Multò minus Logica est una ex non virtutibus intellectualibus

(quæ

(quæ quandoque in verum, quandoque in falsum inclinant) non enim est Facultas, quia non inclinat ad oppositа sive ad utramque partem contradictionis; neque est Habitus purè instrumentarius, licet enim prosit, & adhibeatur ad alias scientias obtinendas, per se tamen & propter se est expetibilis; neque est Fides humana, cum non innitatur authoritati tradentium regulas, sed ipsi regularum veritati, neque est Opinio vel Suspicio.

XII. Versatur denique Logica circa suum objectum scientificè, sive est scientia, tam quoad partem topicam & sophisticam, quàm quo ad analyticam, saltem secundùm nobiliores suas conclusiones (neque opus est ad aliquam scientiam, ut omnes omnino ejus conclusiones sint scientificæ) quia hæ deductæ sunt ex præmissis certis & evidentibus, qualis est hæc: *ergo definitio debet constare genere & differentiâ:* deducta ex his præmissis: oratio explicans rei naturam debet id facere per genus & differentiam, definitio est talis oratio &c. ita tamen ut logica artificialis habitus sit primitus acquisitus, non per demonstrationem artificialis Logicæ, quam ipsa Logica artificialis docet facere, sed per demon-

ſtrationem directam à Logica naturali, quæ dein ex primis rerum principiis deducitur. Neque obſtat ſcientiæ objecti Logices contingentia; eſt enim illud quoad exiſtentiam contingens, ſed quoad eſſentiam ſeu connexionem prædicatorum eſſentialium inter ſe neceſſarium; unde licet operationes intellectus poſſint à nobis bene vel malè fieri, quoad exiſtentiam, id eſt, poſſit quis facere, ut non exiſtat verbi gratiâ definitio, vel ipſius loco ponatur actus vitioſus; non poſſunt tamen à nobis bene vel malè fieri quoad eſſentiam, id eſt, non poteſt quis facere, ut eſſentia verbi gratiâ, definitionis non ſit, conſtare genere & differentiâ; & ſic licet habeant principium exiſtentiæ ſuarum proprietatum à nobis & à noſtra directione, non habent tamen principium veritatis ſuarum proprietatum à nobis; ſed ex natura ſua, ſive quod hæc ſit vera definitionis eſſentia, & quod ſit inter ejus prædicata connexio neceſſaria, id habet ex natura ſua. Neque obſtat objecti Logicæ ſingularitas, præterquam enim quod non ſit ratio, cur de ſingu-

lari-

laribus dari nequeat scientia, Logica saltem docens versatur circa singularia, non quatenus singularia, sed ut sunt in intellectu abstrahente ea à singularitate confusè cognita.

XIII. Non est autem Logica totalis una simplex scientia, seu unus simplex habitus & qualitas in essendo, virtute tantùm & in agendo, nimirum inclinando ad distinctos specie actus, multiplex; sed collectio plurium partialium habituum, tot nimirum, quot sunt distinctæ conclusiones demonstrativæ in logicâ; cum actus specie distincti generent distinctos specie habitus, & habitus seu major facilitas nata ab actu syllogizandi sæpius repetito accrescere non possit seu uniri habitui definiendi, utpote diversæ rationis. Certè si logica sit talis simplex qualitas, quæ tota acquiritur per primum actum, jam sciens facere propositionem, novit totam Logicam, quæ sequela frustra negatur, eò quod tali habitui adhuc desit relatio ad alia objecta, sinè qua is non potest versari circa illa, quia relatio, utpote quæ activa non est, non potest esse ratio agendi. Neque patrocinatur

huic doctrinæ natura habituum supernaturalium aut fidei naturalis, priores enim, cum non generentur per actus, neque per illos, nisi meritoriè, intendantur, inclinare possunt ad actus specie distinctos; posteriores verò inclinare possunt ideo ad actus specie diversos v.g quibus credo, quod dicitur mihi à Petro de inferno, & quod dicitur mihi ab eodem de cœlo quia auctoritas Petri, utpote motivum movens me ad credendum, est narrationi illius extrinseca, & cum quocunque objecto æquè connexa; in Logicâ autem aliisque scientiis debet esse intrinseca connexio motivi formalis cum materia; sed unum idemque motivum non potest connecti cum tam disparatis objectis, & movere me ad assensum tam diversorum.

XIV. Neque Logica est scientia subalterna; conditiones siquidem requisitæ ad hoc ut scientia aliqua sit subalterna, sunt hæ: primò ut objectum subalternæ contineatur sub objecto subalternantis, ita, ut ab illo dependeat intrinsecè in esse & cognosci à priori, sicut cognitio lineæ visualis dependet à cognitione lineæ. Secundò ut objectum subalternæ sit aliquo modo idem cum objecto subalter-

alternantis (aliàs ſubalternata non poterit uti iiſdem principiis & demonſtrationibus ſubalternantis) & aliquo modo diverſum, non eſſentialiter, ſed accidentaliter : ubi tamen advertendum, differentiam, quæ eſt accidentalis objecto in eſſe rei, eſſe eidem quandoque eſſentialem in eſſe objecti reſpectu talis ſcientiæ, ſi nimirum objectum conſideretur ſub tali accidente tanquam ratione formali objectiva, adeoque ſcientia agens de tali objecto per talem differentiam contracto, non eſt ſubalterna reſpectu ſcientiæ agentis de eodem objecto non contracto per talem differentiam, egebitque principiis prorſus diverſis & demonſtrationibus, utpote quæ conveniunt ſcientiæ ratione objecti formalis: debet igitur ſubalterna demonſtrare paſſiones de objecto contracto per talem differentiam ratione ſui & non ratione iſtius differentiæ, applicando demonſtrationes propriæ materiæ, quas ſubalternans conficiebat in materiâ non contractâ per talem differentiam, quæ demonſtrationes tantùm accidentaliter differunt ratione materiæ affectæ tali differentiâ accidentali in ſubalternâ à demonſtrationibus

subalternantis. Verbi gratiâ hæ duæ conclusiones: *partes figuræ circularis difficillimè inter se coëunt*; & *partes vulneris circularis difficillimè inter se coëunt*; differunt tantùm ex eo, quod una abstrahat à materia, posterior fiat in materia particulari, ac proinde posterior chyrurgica debet probari à Geometra eâdem demonstratione, quâ probatur prior dicendo: *quia partes figuræ circularis maximè inter se distant.* Hæ verò conditiones non conveniunt Logicæ respectu ullius scientiæ, ergo. Aliæ siquidem etiam scientiæ agunt de operationibus intellectus, ut Animastica, sed sub alia ratione formali. Neque principia logicæ, uti & aliarum scientiarum demonstrantur à Metaphysica, saltem per demonstrationem ostensivam (qualiter subalternans demonstrare debet principia subalternatæ) sed ad summum per demonstrationem deducentem ad impossibile seu ad duo contradictoria per principium universaliſſimum: *quidlibet est, vel non est.*

XV. Logica docens dicuntur logicalia præcepta universalia, quatenus in genere tra-

tradunt modum rectè definiendi, syllogizandi &c. abstrahendo ab eorum usu seu applicatione ad certam materiam. Logica utens activè dicuntur eadem præcepta quatenus actu dirigunt operantem in materia particulari propria, aut aliarum scientiarum, adeoque non nisi secundùm obliquum & connotatum distinguuntur hæ duæ Logicæ, suntque idem omnino habitus, ibi enim non sunt ponendi distincti habitus, ubi non occurrit distincta difficultas; atqui in exercendis actibus Logicæ docentis & utentis activè, sive in executione præceptorum logicorum non est diversa difficultas pertinens ad logicam, ergo: nam difficultas, quæ est in executione operis, vel provenit ex imperfecta cognitione præceptorum, & hanc sufficienter tollit Logica docens, tradens & explicans modum formandi syllogismos, definitiones &c. hinc si quis illa sciat & perspecta habeat perfectè, nunquam difficultatem patietur in materia nota: quod autem post frequens exercitium verbi gratiâ, syllogizandi ma-

jor acquiratur facilitas, non fit ex eo, quod distinctus nascatur habitus, sed quod habitus Logicæ docentis intendatur, id est, quod regulæ sic clariùs & firmiùs imprimantur: vel provenit ex imperfecta cognitione materiæ, cui præcepta sunt applicanda, hanc autem non debet, nec potest tollere Logica, sed aliæ scientiæ, quarum est materia: vel provenit ex eo, quod potentia exsequens à potentia dirigente sit distincta; unde quis sciens optimè artem citharizandi, in ipso usu & applicatione digitorum sentiet difficultatem; sed in Logica id locum non habet, ubi potentia dirigens & exsequens est idem intellectus. Porro notandum est, habitum Logicæ utentis activè non generari ab ipsis syllogismis, definitionibus factis juxta regulas Logices; nam effectio syllogismorum, vel ipsi syllogismi facti non sunt actus Logicæ utentis activè, sed utentis passivè, & generant facilitatem utendi regulis quasi passivè, seu generant facilitatem juxta directionem activam operandi; actus autem Logicæ utentis activè generant facilitatem utendi regulis quasi activè, seu dirigendi

gendi in particulari hunc vel illum syllogismum.

XVI. Logica hæc artificialis physicè, imò ne quidem moraliter est necessaria ad omnes scientias particulares acquirendas: cum inter illas quædam ita sint evidentes, ut ex ipsis terminis cuilibet pateant, & non requiratur ad conclusionem scientificam judicium evidens reflexum & in actu signato de bonitate consequentiæ: sed sufficiat, intellectum per ipsam conclusionem scientificam directè, implicitè & in actu exercito cognoscere bonitatem illationis. Neque physicè necessaria est ad scientias totales perfectè acquirendas, cum intellectus possit sinè habitu, quod potest cum illo, possitque esse intellectus tam perspicax & laboriosus, ut in materiâ aliarum scientiarum difficillima sine omni ope Logicæ artificialis eliciat actum scientificum, & consequenter omnes, quia sunt ejusdem rationis, & post unam demonstrationem intellectus non debilitetur, sed reddatur aptior ad aliam. Ad scientiam tamen totalem, imò & partialem in materiâ inevidente perfectè acquirendam Logica moraliter est necessaria, quia ut habeatur certitudo

& evidentia in materiis intricatis, sæpe opus est judicio reflexo de bonitate consequentiæ, scire quis debet, modum argumentandi, quo utitur, universaliter esse bonum, item causas cur sit bonus, idque sæpe in actu signato, quæ haberi non possunt absque Logica artificiali ab ingeniis, qualia ordinariè dantur. Floruêre itaque quidem aliqui in aliis scientiis ante Logicam perfectè ordinatam, non ante imperfectam, quam sibi ipsi ope Logices naturalis acquisierant. Et Aristoteles suader Matheſin addiscendam esse ante scientias alias reales, non sermocinales, qualis est Logica.

DISSERTATIO SECVNDA

De Universalibus in genere.

1. UNiversale fundamentaliter datur à parte rei ante operationem intellectus; cum non sit aliud quàm singularia, quæ propter similitudinem, quam habent ad invicem, dant intellectui fundamen-

damentum illa confusè, & per modum unius concipiendi; hinc Petrus & Paulus ante operationem intellectus sunt ejusdem speciei, Petrus & Leo ejusdem generis fundamentaliter, & non formaliter; similitudo enim nec est vera unitas realis, nec formalis seu universalis, sed hujus fundamentum. Universale formaliter, utpote quod est unum & multiplex, & in obliquo involvit ipsam intellectus operationem, non datur à parte rei. Neque enim primò dantur ideæ Platonicæ seu naturæ communes à parte rei existentes & identificatæ singularibus verbi gratiâ, natura humana communis seu homo communis, natura equina vel equus communis, à quo omnia hominum vel equorum individua suam participent essentiam; quidquid enim existit à parte rei, est singulare, utpote per singularem productum actionem: adhæc natura ista communis vel identificatur singularibus sinè sui multiplicatione, & jam non est universalis, uti natura divina ideo universalis non est, quia identificatur tribus Personis absque sui

multiplicatione; vel identificatur illis cum sui multiplicatione, & jam non habet unitatem nemine cogitante: denique erit ista natura incorruptibilis, ut docere dicitur Plato, & erit corruptibilis utpotè identificata singularibus corruptibilibus; erit eadem in Christo & Judâ, imò Christus & Judas erunt unus homo utpotè habentes unam naturam. Neque secundò natura v. g. humana à parte rei est universalis seu communis negativè, seu habet unitatem & indeterminationem negativam ex eo præcisè, quod ex se non sit singularis, & determinata ad hanc vel illam differentiam individualem; differentia enim individualis Petri habet positivam repugnantiam, ut sit in Paulo, ergo & natura Petri, utpote identificata cum differentia individuali Petri, habet hanc repugnantiam: ergo non datur ante intellectum natura ex se non singularis, neque negativè, id est, quæ possit intelligi carens singularitate, sicut aër tenebrosus privatus luce, neque præcisivè, id est, ex parte objecti præcisa à singularitate, cum talis præcisio non detur, & si daretur, ipsum actum intellectus involvat.

Hinc

Hinc natura Petri ex se est incommunicabilis Paulo, & cùm nihil sit in Petro distinctum ab ejus differentia, nihil quoque in eo est, quod ex se physicè non repugnet communicari Paulo; dum verò hæc natura per intellectum dicitur esse communicabilis, intelligendum non est, quasi intellectus positivè attingat, habeatque pro objecto suo communicabilitatem; sed quod non attingat formaliter incommunicabilitatem, à qua confusa cognitione natura denominatur extrinsecè communicabilis, sicut hæc natura, quæ physicè spectata, seu secundùm suam existentiam, necessariò est singularis, spectata logicè vel metaphysicè neque est singularis neque universalis; dum tamen dicitur, homo ex se neque est Petrus, neque est Paulus, negatur suppositum, nempe quòd detur homo à parte rei, qui neque sit Petrus, neque Paulus. Neque tertiò natura v. g. humana nemine cogitante pro statu possibilitatis antequam existat in Petro & Paulo &c. est universalis; quia cum natura possibilis & actu existens sit eadem, si hæc non est universalis, nec illa erit, & cum natura Petri pro nullo statu sit distincta à differentia Petri, etiam

non erit indifferens ut per hanc, vel aliam differentiam contrahatur, sed antequam contrahatur per actuales singularitates Petri & Pauli, jam erit contracta per has singularitates possibiles. Unde etiam Deus, etsi possit producere naturam ex omnibus, quamcunque voluerit, debet tamen quamlibet producere in illo individuo, cum quo est identificata, adeoque natura in statu possibilitatis est multiplex; nec opus est, prius fuisse unam, antequam multiplicetur, universalia enim sunt singularibus priora tantùm prioritate rationis seu essendi consequentiâ. Quod hic dici solet: natura pro statu possibili: talis non est divisa, sic accipiendum non est, quasi non sit singularis seu multa singularia, sed quod non sit divisa secundùm prædicata essentialia.

II. Universale metaphysicum est unum aptum inesse multis. Logicum est unum aptum prædicari de multis. Unde patet primò, prædicabilitatem, quæ est proprietas universalis metaphysici, esse de essentia universalis logici. Secundò debere universale inesse multis per identitatem & cum sui multiplicatione, quale quid, quia non sunt voces

&

& conceptus, non sunt hujus definitionis definitum. Tertiò neq; solam naturam, neq; solam universalitatem esse in hac definitione definitum, sed concretum ex natura & universalitate, id est, cognitione confundente & repræsentante multa per modum unius, ita tamen, ut natura sit definitum ut quod seu materiale, universalitas definitum formale seu ut quo, cùm ista cognitio confusa sit ratio formalis, cur natura possit de pluribus dici.

III. Significatum materiale universalis seu objectum actus, quo fit universale, non est quid unum, unitate tenente se ex parte objecti, sive non est natura una præcisa objectivè à singularitatibus, quæ immediatè cognoscatur non cognitis ullo modo singularibus; sed sunt ipsa singularia; hæc enim sunt id, quod in se est multiplex, & illis supervenit unitas intentionalis, seu constituuntur unum extrinsecè, dum confusè cognoscuntur secundùm id, in quo conveniunt (qualiter dum cognoscuntur, cognoscuntur similia, non ut similia, aliàs cognoscerentur plura ut plura, sed quæ similia, potestque intel-

intellectus vi hujus actus rationem reddere de prædicato, in quo plura conveniunt, non verò de convenientiâ ; quia similitudo non cognoscitur formaliter) item illa sola sunt id, quod significatum in recto identificatur cum singularibus, & de iis potest prædicari, & prædicatione adæquatâ prædicando adæquatum materiale universalis, seu omnia singularia de omnibus singularibus, & prædicatione inadæquatâ prædicando singula de singulis, ita ut in hac prædicatione ; *Petrus est homo* ; prædicetur quidem de Petro tota natura, vel totum, quod significatur per τὸ *homo* quasi intensivè, seu totus conceptus hominis, non verò totum id, quod *homo* dicit extensivè, id est, tota collectio hominum. Cognoscuntur itaque per actum universalificantem omnes homines, etiam quos nunquam vidi, imò & possibiles (quos ipsos reverà cognoscunt adversarii, dum dicunt : omnes homines, omnia possibilia &c.) sufficit enim species impressa & abstracta ab uno alterovè objecto (respectu cujus tantùm erit propria) ad repræsentanda omnia individua isti objecto in ea ratione similia, quæ & propterea erunt objectum tantùm

termi-

terminativum istius actus, & illud, à quo desumpta est species, simul erit motivum. Unde tamen non sequitur, me nosse omnes homines, aliud siquidem est, me cognoscere vel videre hominem, vel Petrum, aliud me noviſſe Petrum, vel me scire illud, quod video, esse hominem, ad quod requiruntur clariores & distinctæ magis species.

IV. Natura vel individuum physicè immultiplicabile, id est, cujus similia plura sunt impossibilia, nequit esse materiale universalis, aut denominari universale; quia nequiret inesse & prædicari de multis univocè, etsi fingeres aliam naturam similem, cum reale nihil sit commune univocè enti possibili & impossibili: adhæc talis natura nequiret conceptu essentiali concipi, nisi clarè cognosceretur esse singularis, utpote de cujus essentia esset singularitas. Neque ex eo erit universalis, quod posset concipi talis natura non clarè conceptâ ejus singularitate vel ejus repugnantiâ multiplicationis; requiritur enim insuper, ut neque à parte rei habeat talem repugnantiam, sed ut à parte rei sit multiplex, unde talis natura nequidem dici potest species subjicibilis, quia & hæc debet esse intrinsecè

secè multiplex. Et si singuli Angeli differunt specie, ut volunt Thomistæ, differunt specie, ut ita loquar, individuali, non autem specie pluribus communi seu universali, de qua hìc est sermo. Potest tamen unicum singulare naturæ physicè multiplicabilis esse materiale universalis; hoc enim licet non possit esse adæquatum objectum terminativum actus universalificantis, potest tamen esse objectum adæquatum motivum illius, utpote à quo solo haustæ sunt species, quæ dein intellectu; sufficiunt ad producendam speciem expressam repræsentantem confusè omnia singularia. Et verum quidem est, naturam talem esse abstractam ab uno tantùm individuo per cognitionem, quâ quis cognovit illam non cognitâ formaliter ejus hæcceitate, si tamen per alium actum antecedentem prius examinaverit, & deprehenderit plura similia esse possibilia, & tum postea cognoscat naturam, non cognoscendo formaliter hæcceitatem hujus individui, quod unicum defacto existit, censebitur eodem actu naturam abstrahere ab omnibus, etiam possibilibus individuis.

V. For-

V. Formale universalis, seu cognitio, per quam fit universale, est abstractiva & directa, id est, repræsentans solummodò objectum, seu singularia in ordine ad prædicatum aliquod cõmune, non repræsentatis formaliter eorum singularitatibus; nam cognitio reflexa & comparativa, quæ prædicatum illud commune, seu naturam jam factam vi præcedentis cognitionis cõmunem, & superiorem comparat cum individuis seu inferioribus, non facit primò universale, seu unum aptum inesse &c. sed universale factum cognoscit & confert cum suis inferioribus, sive repræsentat quasi positivè & in actu signato unum extrinsecè, quod per cognitionẽ directam repræsentabatur unum quasi præcisivè & negativè, & in actu ~~signato~~ *exercito*, in quantùm repræsentabantur multa non repræsentatâ clarè multitudine. Unde aliud longè est, per cognitionem reflexam fieri universale, aliud per illam cognosci universale factum, quod secundum vult Arist: inquiens: universale non cognosci, nisi per inductionem, quæ est comparatio, & quæ nisi intercurrat, non scietur, quale universale factum sit, an genus an species, an species subjicibilis, an præ-

prædicabilis, aliud item universale esse, & fieri quid relativum (saltem secundum dici) sive unum respiciens multa; aliud, universale cognosci, esse quid relativum, cognosci ut respiciens multa, ut prædicabile de multis, quod posteriùs non fit nisi per actum comparativum. Si tamen per universale intelligatur non tantùm ex se, sed & ex parte intellectus proximè aptum prædicari, ad illud constituendum requiritur actus reflexus, naturam abstractam comparans cum inferioribus; ad hoc enim, ut natura prædicetur de inferioribus, appareatque ratio identitatis prædicatum inter & subjectum, opus est, ut natura reflexè comparetur ad inferiora, videaturque, an illis conveniat, & num hæc sub ea contineantur.

VI. Hæc cognitio formativa universalis non tantùm est apprehensio, sed & judicium, & discursus; etsi enim certum sit, naturam primò fieri universalem per apprehensionem quâ multa similia apprehenduntur per modum unius, adeoque quando universale actu prædicatur, non fiat primò universale, sed factum supponatur per præviam apprehensionem; bene tamen etiam dicitur,

fieri

fieri universale per judicia (dummodo sint talia, ut per particulas universales, aut particulares, aliasve, universalitati non obstent) & consequenter etiam per discursum constantem talibus propositionibus, eò quod absurdum non sit, unum aliquod objectum bis confusè cognosci, ac proinde bis fieri universale.

VII. Unitas universalis est formaliter ipsa cognitio universalificans, cum enim unitas præcisa ex parte objecti sit impossibilis, & unitas individuis intrinseca nulla detur, præter numericam, supereſt hæc sola unitas cognitionis, per quam natura redditur extrinsecè indivisa in se, quatenus ita concipitur, ut nulla appareat intellectui divisio & diversitas individuorum; unde licet hæc cognitio repræsentativè sit multiplex, id est, repræsentet multa, habet tamen suam quoque in repræsentando unitatem, cum illa multa repræsentet per modum unius, adeoque etiam repræsentativè est una.

VIII. Aptitudo universalis remota est naturæ cujusvis singularis secum ipsa identitas, ratio enim, cur natura communis possit inesse multis & prædicari de multis, hæc est, quod

quod naturæ singulæ secum ipsis realiter identificentur. Aptitudo formalis & extrinseca propinqua est, quam habent singularia ab actu intellectus confuso: non est autem hæc aptitudo potentia realis intrinseca singularibus, sed non repugnantia ad essendum in multis & prædicandum de illis.

IX. Causa efficiens universalis est solus intellectus humanus & angelicus (si huic infundantur species tam confusæ, ut ad faciendum universale sufficiant) Deus enim non cognoscit confusè, nec cognoscendo universale à nobis factum, facit universale, quia cognoscit in hoc pluralitatem. Species autem impressa etsi propriè non possit esse formale universalis, utpote virtualis tantùm imago objecti, dici tamen potest causa efficiens minùs principalis universalis, in quantùm cum intellectu coefficit intellectionem universalificantem. Sensus tamen externi & phantasiæ etsi quoque quandoque cognoscant multa per modum unius, dentque rebus taliter cognitis unitatem quandam extrinsecam, non constituunt tamen eorum actus unum aptum proximè prædicari: præterea cùm in repræsentando dependeant

ab

ab accidentibus materialibus individuantibus, non possunt naturam ab iis omnibus, uti ad universale requiritur, abstrahere. Voluntas denique, cum cognoscitiva non sit, dum fertur amore confuso in hominem ut sic, tendit in universale factum ab intellectu, non verò illud facit.

X. Dum prædicatur universale, solùm materiale universalis, seu singularia prædicantur ut quod, dum enim termini supponunt personaliter pro singulis inferiorum, res solùm pro quibus supponunt, prædicantur formaliter. Sensus igitur hujus propositionis: *Petrus est homo*: est hic: res significata per vocem vel conceptum *Petrus*, & res significata per τὸ *homo* est eadem res. Ipsa universalitas seu conceptus prædicatur ut quo, id est, est conditio, sine qua formalis prædicatio fieri nequit, in his tamen propositionibus: *animal est universale*; *est genus* &c. prædicatur totum concretum seu universale reduplicativè sumptum & sensus est: animal est sua inferiora cognita per modum unius, sive est inferiora & cognitio; supponit enim hic *animal* simpliciter.

Univer-

XI. Universale, respectu suorum inferiorum dicitur totum potestativum, seu potentiale, utpote continens partes suas potentiales, potestativas, seu subjectivas, id est, inferiora, non actu, sed potentia, in quantum nimirum confusè cognitum V. G. *animal* sub se quidem has partes comprehendit, vi tamen istius confusæ cognitionis solius, de iis affirmari actu non potest, sive in quantùm omnia inferiora, quæ nunc simul sunt objectum adæquatum cognitionis confusæ, possunt dein singula esse objectum cognitionis claræ, dicuntur partes potestativæ vel potestate in tali toto contineri. Dum actu prædicatur de inferioribus prædicatione ordinata, prædicatur ut totum potestativum, in hoc tamen sensu: id, quod est totum potestativum extra prædicationem, vi tamen actualis prædicationis non manet totum, quia actu contrahitur ad tale inferius, adeoque non manet amplius contrahibile ad alia inferiora, quod requiritur ad tale totum: è contra dum inferius de superiori prædicatur, per prædicationem inordinatam. V. G. *homo est Petrus*: prædicatur pars potestativa, quæ fuit talis, non autem ut manens talis, quia ut talis

debet

debet confusè cognosci, contineri sub toto, hìc autem cognoscitur clarè contineri sub illo.

XII. Porrò universale retinet universalitatem, dum actu prædicatur nullo affectum signo de universali nullo affecto signo V. G. cùm dicitur: *homo est rationalis*, quia vi talis prædicationis ita subjectum & prædicatum repræsentantur, ut cùm sint multa singularia, neque tamen singularitas, neque pluralitas appareat. Vel etiam vi talis prædicationis universalitate latiori V. G. genereitate amissa, acquirit strictiorem. V.G. specieitatem, ut cùm dicitur: *homo est animal.* In prædicatione verò, saltem affirmativa, in qua additur signũ universale, tam subjectum, quàm prædicatum amittit universalitatem, quia etsi præscindatur adhuc aliquo modo à singularitatibus, & singularia aliquo modo confusè cognoscantur, repræsentatur tamen ipsa pluralitas etiam ex parte prædicati, utpote quod clarè cognoscitur identificari subjecto, adeoque multis: idem est si subjectum afficiatur signo particulari, ibi enim exprimitur pluralitas ex parte prædicati disjunctivè. Item in prædicatione singulari vel particulari, in qua

genus, ſpecies &c. prædicatur de individuis, prædicatum perdit ſuam univerſalitatem; dum enim natura per talem prædicationem contrahitur ad unum, non manet univerſalis, & idem homo, qui de Petro dicitur, non manet prædicabilis de Joanne, ſive *homo*, ut ſubſtat huic actuali judicio, prædicatur de uno tantùm ſingulari, adeoque uni tantùm indentificatur & conſequenter de pluribus non eſt prædicabilis. Non tamen ideo propoſitio hæc: *Petrus eſt homo*: erit identica, cùm ſubjectum quaſi primariò ſignificet differentiam individualem, quam prædicatum dicit ſecundariò & implicitè, adeoqùe ſignificandi modus ſit diverſus: neq; erit prædicatio ſingularis de ſingulari τὸ *homo* enim ſingulare nõ eſt, niſi quoad rem ſignificatã, non quoad modum ſignificandi, cùm non exprimat ſingularitatem, adeoqùe adhuc dici poſſet, univerſale negativè; quæ tamen præciſio ab hac una hæcceitate non eſt ſufficiens ad conſtituendum univerſale, quia non confundit multa per modum unius, cùm non ſit præciſio ab omnibus individuis, ſiquidem ad præciſionem ab omnibus individuis non ſufficit, ut nullum illorum repræſentetur, ſed requiri-

quiritur, ut omnia individua cõfusè cognoscantur, repræsenteturqùe prædicatum aliquod, quod cum iis sit realiter idem. Quibus non obstantibus, universale adhuc bene dicitur, unum aptum prædicari de multis, etsi pro ut subsstat huic actuali judicio, non maneat aptum prædicari de multis, sicut totum dicitur aptum dividi in partes, lignum comburi, etsi in actuali divisione non maneat totum &c. præterea universale manet unum aptũ prædicari de multis, prout subsstat præviæ vel concomitanti apprehensioni, vel etiam alteri judicio confuso. Sic itaque nunquam superius vel genus, manens superius vel genus, prædicatur de individuo.

DISSERTATIO TERTIA

De universalibus in specie.

I. UNiversalia sunt quinque, quia quinque sunt modi logicè & formaliter essendi in multis: vel enim est aliquid in multis essentialiter, vel accidentaliter; si essentialiter, vel est ut tota essẽtia, & est Species, vel ut pars essentiæ materialis, & est Genus; vel ut pars formalis, & est Differentia; si accidentaliter, vel inest ut accidens necessarium habens naturalem

turalem cum essentia connexionem , & est Proprium; vel merè contingenter, & est Accidens. Unde prædicatur aliquid, vel in quid completè; vel incompletè; vel in quale quid; vel in quale necessarium, vel in quale contingenter : sicque tota diversitas prædicabilitatis sumitur à modo inessendi, non materialiter , entitativè & physicè , qui modus totiens diversus est, quot sunt prædicamenta & formæ, quæ insunt ; sed logicè & formaliter per identitatem vel connexionem prædicati cum subjecto. Quare nec differentiæ specificæ & genericæ (idem est de proprio & accidente, generico & specifico, genere summo & infimo) cõstituunt diversa universalia; etsi enim unum prædicetur de specie , alterum de solo numero differentibus , prædicantur tamen ambo incompletè ut pars determinativa. Neq; accidens subjecto intrinsecum, & accidens subjecto extrinsecum faciunt duo universalia. Nec etiam individuum vagum constituit sextum universale cùm non prædicetur de multis univocè ut quid præcisum à singularibus, vel si detur, esse universale, pertinet ad illud , ad quod ablato signo pertinet, V. G. *aliquis homo* ad speciem.

II. Uni-

II. Universale respectu quinque universalium est genus. Quod declaratur: primò concretum ex inferioribus seu naturâ & genereitate, specieitate &c. dicitur genus, species &c. essentialiter & formaliter talis; hujus verò concreti pars materialis sive objectũ actus, universalificantis dicitur universale, genus, species, differentia accidentaliter; quia per accidens est & extrinsecum naturæ. V. G. animalis, à tali cognitione, confusa denominari genus. Secundò, sicut à singularibus primò intentionaliter sumptis potest abstrahi ratio cõmunis primò intentionalis. V. G. à brutis & hominibus *animal*, à lapidibus, *lapis*, per quam abstractionem *animal*, *lapis* fiunt genera, in ratione generis præcisè solo numero inter se distincta, sic ab his rationibus cõmunibus animalis, lapidis &c. ut generibus formaliter & essentialiter, adeoq; jam secundò intentionaliter sumptis potest iterum abstrahi ratio communis secundò intentionalis, in qua hæc genera essentialiter sumpta conveniant, nempe genus, & tum hæc genera vi secundæ abstractionis fiunt & dicuntur accidentaliter & denominativè species, habent se quippe ista genera tota, seu ista genera formaliter &

essẽtialiter sũpta respectu hujus secundæ abstractionis & speciei ut significatum illius materiale tantùm, & quibus accidentale est: per hanc secundam abstractionem confusè cognosci, & sic unà cum hac cognitione specificante fieri speciem essentialiter: idem est, quando à pluribus speciebus abstrahitur ratio cõmunis speciei, à pluribus differentiis ratio differẽtiæ &c. Tertiò potest denuo ab hac cõmuni ratione generis, speciei, differentiæ, proprii, accidentis abstrahi ratio cõmunis, in qua hæ quinque species essentialiter sumptæ conveniunt, nimirum *universale* vel *prædicabile*, quod se respectu harum quinq; specierũ habet per modum generis, & respectu cujus hæc quinq; erunt denominativè & accidentaliter species; adeoq; advertendum est, *universale* secundùm suum conceptum intrinsecum essentialem imbibitum in singulis quinque prædicabilium (qui est esse unum aptum inesse multis, & prædicari de multis,) esse quid latius patens genere, & sic non poni sub genere; spectatum verò *universale* ut præterea dicit cognitionem, per quam abstrahitur à quinque prædicabilibus tanquam terminis secnndæ intentionis, & per quam constitui-

stituitur inesse generis, seu denominatur genus accidentaliter, esse quid inferius suâ prima specie, quæ dicitur *genus*, & tanquam particulare genus poni sub genere ut sic. Est itaque universale genus accidentaliter seu denominativè respectu harum quinq; specierum, in quantùm hæ sunt essentialiter genus, species, differentia &c. definiturq; genus (idem est de specie differentia &c.) per aliquid, cui accidentaliter convenit ratio generis, nempe per τὸ *universale*, cui per accidens est, quòd per cognitionẽ confusam abstrahatur à dictis quinq; prædicabilibus, sicut homo definitur per *animal*, quod secundùm se sumptum non est genus, sed cui accidentaliter cõtingit ratio generis: quatenus ab hominibus & brutis abstrahitur; nulla enim res definitur per genus, ut genus est, sed per naturã, cui accidentaliter cõtingit ratio generis, sicq; genus essentialiter genus respectu illius prædicati superioris, cui accidẽtalis est denominatio generis, fit denominativè species; sicut enim accidẽtale est rationi universalis, quòd abstrahatur à quinq; prædicabilibus, & per hanc abstractionẽ denominetur genus, sic quoquè accidentale est generi essentialiter sumpto, quòd per eandem

abstractionem fiat & denominetur species subjicibilis, sive quòd unà cum specie essentialiter tali & differentia essentialiter tali &c. sit objectum istius cognitionis abstrahentis; ex eo namq; quod genus essentialiter sit universale per cognitionem directam constitutivam generis, non sequitur, esse etiam universale essentialiter per cognitionem reflexam, per quam ab eo & specie essentialiter tali aliisquè abstrahitur ratio universalis, sive per quam fit species subjicibilis; neque enim genus essentialiter est species universalis, sive essentialiter subsstat huic cognitioni reflexæ, sed tantùm essentialiter fundamentaliter, in quantùm aptum isti cognitioni reflexæ subsstare. Datur igitur hac ratione aliquid, quod diverso modo spectatum est quid superius & inferius genere, nimirum universale spectatū secundùm sua prædicata essentialia, est superius genere, spectatum secundùm denominationem accidentalem generis, est inferius genere, tanquam hoc singulare genus. Sicuti autem universali accidentale est, tali modo fieri genus, sic eidem accidentale est, hoc modo subjici, & fieri inferius genere. Neque tamen ex eo, quòd τὸ *universale* sit essentialiter

ter superius genere, sive conveniat pluribus, quàm τὸ *genus*, sequitur, esse essentialiter genus generis, sed tantùm fundamentaliter, cùm secundùm suum conceptum non sit unum aptum prædicari de multis specie differentibus, sed tantùm unum aptum prædicari de multis. Neque ex eo, quòd hoc modo detur genus generis, adeoque genus, quod sit supra decem summa genera, sequitur, illa malè appellari summa; talia enim dicuntur, quatenus ab iis primò intentionaliter sumptis non potest abstrahi prædicatum communius primò intentionale.

III. GENUS est unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè, ubi τὸ *incompletè* non necessitatis, sed majoris explicationis gratiâ additur, eo ipso enim, quòd prædicetur de pluribus specie differentibus, prædicatur ut pars, cùm tota essentia unius speciei nequeat esse communis alteri speciei. Ut autem quid prædicetur in quid, requiritur, ut totã exprimat essentiam, vel ejus partem nomine substantivo, sive habeat se per modum stantis, & non adjacentis, ut differentia, quæ etsi sit pars essentialis, exprimatque partem essentiæ, exprimit tamen

illam nomine adjectivo, concipiturque per modum adjacentis seu advenientis generi, illudque determinare ad certam speciem. Neq; committitur hic vitiosus circulus, dum genus per speciem, hæc postmodùm per genus explicatur; præterquam enim, quòd id habeant correlativa, ut unum per alterum explicetur, supponit hoc loco species pro absoluto; nempe pro natura perfecta & completa, & talis fit sensus: genus prædicatur de pluribus differentibus inter se naturis perfectis & completis seu integris, sive etiam notabiliter inter se differentibus; sicque species est quid notius genere. Gratis autem dicitur, quòd genus, utpote unum per accidens, & conflatum ex singularibus & cognitione, non queat definiri; unum enim per accidens ad summum nequit definiri, definitione explicante naturam cujusvis partis distinctè, non verò explicante naturam totius & partium, quatenus ad illud totum conducunt.

IV. Individui, hìc fit mentio in ordine ad universalia. Est itaq; individuum physicum idem, quod intrinsecè unum numero, seu indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

alio. Individuum logicum, seu secundò intentionaliter sumptum, pro concreto ex natura singulari & cognitione differentiam illius individualem aliquo saltem modo explicitè attingente, dupliciter definitur: prout respicit speciem: cui immediatè subjicitur, dicitur esse id, quod immediatè subjicitur speciei: prout respicit id, de quo prædicatur, est id, quod de uno solo aptum est prædicari. Constituitur autem natura singularis in ratione individui logici per cognitionem directam, comparata dein per cognitionem reflexam, ad se ipsam, cognoscitur esse prædicabilis, & constituitur proximè apta prædicari, & quidem prædicatione non identica, sed formali; dum enim dicitur: *hoc animal est Petrus*: adhuc diversus est significandi modus prædicatum inter & subjectum. Unde Arist. dicens: individua de nullo subjecto dici vel prædicari posse; vult, prædicari non posse prædicatione universali, seu tanquam superiora de aliis inferioribus.

V. Potest ab omnibus individuis abstrahi ratio communis individui; cùm enim

omnia individua in hoc sint similia , quòd possint prædicari de uno solo , & quòd sint indivisa in se &c. licet differant in ratione talis indivisi in se , poterit non minùs ab iis hæc ratio abstrahi , & in ordine ad illam rationẽ omnia individua cognosci confusè per modum unius , quàm ab animalibus ratio animalis : sicque accepta singularia in communi definiri possunt definitione explicante rationem hæcceitatis in communi , etsi res singularis accepta particulariter & determinatè definiri nequeat, definitione explicante rationem hujus in particulari hæcceitatis ; sicque ratio individui, prout substat huic confusæ cognitioni, erit universale, non minùs, quàm ratio animalis: quamvis quando sic per τὸ *individuum* significo rationem communem abstractam , utar hoc nomine contra ejus primam institutionem , vi cujus significat objectum aliquod intrinsecè unum cum aliqua differentia ultima clarè cognitum. Nihilominùs adhuc bene definitur, esse id, quod de uno solo prædicatur, cùm sic definiatur individuum confusè cognitum, non quidem in actu signato, ita ut confusa cognitio teneat se ex parte defini-

definiti, sed ut confusè cognitum in actu exercito, vi ipsius actus definientis, quod vi actus, quo constituitur prædicabile de uno solo, cognitum est clarè. Nec dicas: à differentiis non ultimis non potest abstrahi ratio, in qua conveniant, ergo nec ab ultimis: nam etsi ab iis non possit abstrahi ratio communis, quæ significet earum convenientiam in natura, potest tamen abstrahi ratio significans earum convenientiam in officio. v. g. quod constituant speciem, dividant genus: sic licet à differentiis clarè cognitis non possit abstrahi ratio communis, potest tamen hæc ab iis confusè cognitis abstrahi; idem dic de differentiis ultimis; differunt enim individua inter se per differentias individuales clarè cognitas, conveniunt per easdem confusè cognitas: & dicit hoc individuum: v.g. Petrus clarè & solitariè cognitum esse indistinctum à Petro, & distinctum à non Petro; cognitum cum aliis tantùm dicit esse indistinctum à se, vel indivisum in se & divisum à quolibet alio. Pertinet autem hæc ratio communis individui ad quartum prædicabile, si sumatur physicè pro indiviso in se, unitas quippe est proprietas entis. Pertinet

ad quintum, si sumatur logicè, hæc enim prædicatio; *Petrus est individuum*: non minùs est quinti, prædicabilis, quàm hæc: *homo est species.*

VI. SPECIES spectata absolutè est quid extrinsecè unum inexistens multis per modũ naturæ completæ, vel est natura essentialiter completa, intentionaliter indivisa, physicè divisa in plura individua non notabiliter differentia; quæ definitio convenit etiam speciei subalternæ v. g. *animali*, ut concipitur conceptu naturæ completæ, sive ut quid constans genere & differentia, nimirum vivente & sensitivo. Spectata ut prædicabilis, est unum aptum tantùm prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid completè. Qualis tamen non est prædicatio; *Petrus est animal rationale*; non prædicatur enim in quid completè incomplexè, sed hæc potiùs est in quid & quale. Dum autem rationale prædicatur de hoc, illo & isto rationali, prædicatur completè ut species, ad quod sufficit, ut species exprimat totam essentiam logicam seu prædicabilem de multis, etsi non exprimendo differentiam individualem, non exprimat

mat totam essentiam physicam. Spectata ut subjicitur generi, est natura intrinsecè multiplex, extrinsecè una, quæ subjicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur: quà talis non est universale, quia in tantùm non est respiciens multa inferiora, de quibus prædicetur. Neque inferius ut inferius participat rationem superioris sui; nam ut inferius supponit rationem sui superioris participatam, ideoquè est inferius; adeoquè non ideo participat rationem sui superioris, quia est inferius, sed ideo est inferius, quia hanc participat: sic itaquè sufficit, ut species, quæ est inferior genere, sive quæ est subjicibilis participet rationem superioris, nimirum universalis. Dividitur species in prædicabilem tantùm, quæ nulli subjicitur generi, sed tantùm de individuis prædicatur, talis sunt, differentiæ & propria: v.g. *rationale, risibile* respectu hujus & istius risibilis & rationalis. In prædicabilem & subjicibilem simul, quæ tam respectu superiorum, quàm inferiorum est species, ut *homo* aliæquè species infimæ seu atomæ; & in subjicibilem tantùm quæ respectu superiorum est species, respectu inferiorum genus, ut *animal*.

VII.

VII. DIFFERENTIA est unum aptū inesse multis, & prædicari de multis numero vel specie differentibus, per modum partis essentialis formalis (ut conveniat tam differentiæ infimæ v. g. rationali, quàm subalternæ v. g. sensitivo) in quale quid, seu in quale essentiale, intellige, incomplexè: dicitur autem in quale quid prædicari, non quòd prædicetur essentialiter & simul accidentaliter, sed quòd prædicetur in quid essentiale quoad modum accidentaliter, nimirum adjectivè. Porrò differentia nec respectu generis, quod dividit, nec respectu speciei, quā constituit, est formaliter universale; quia conceptus universalis est formaliter conceptus superioris; unde in hac propositione; *homo est rationalis*: differentia prædicatur de specie, nec ut singularis, nec ut formaliter universalis, sed tantùm ut materialiter vel virtualiter universalis, in quantùm ex eo, quòd de homine prædicetur, possit quoque de individuis hominum prædicari. Differentia tamen generica respectu specierum, quæ sub genere vel specie subalterna à se constituta collocantur, est verè universalis v. g. *sensitivum* respectu hominis & bruti.

VIII.

VIII. Differentia inferior superiorem aut genus nõ includit formaliter, nequidem implicitè v. g. *rationale sensitivum* vel *animal*; aliàs *rationale*. v. g. differentia hominis non erit purum principium disconveniendi hominis, conveniret siquidem *rationale* cum bruto ratione sensitivi & animalis in rationali formaliter inclusi: propter quod tamen non omnes differentiæ erunt supremæ, nisi fortè negativè, quatenus non habent sibi directè superiores, quas includant, sicut *animal* includit *vivens*, quod ideo animali positivè est superius: vocantur autem differentiæ aliæ aliis superiores, quòd pluribus subjectis, speciebus nimirum & individuis conveniant, quàm inferiores. Membra itaque dividentia, per quæ fit divisio v. g. *rationale* & *irrationale*, per quæ dividitur *animal* non includunt formaliter divisum, sed tantùm membra dividentia, in quæ fit divisio v. g. *homo* & *brutum* includunt formaliter divisum, v. g. *animal*. Rugibile item acceptum formaliter, non est principium rugitionis adæquatè acceptæ (qualiter accepta est totum, metaphysicum, dicitquè genus & differentiam formaliter, nempè actionem vitalem,

lem, sensitivam, rugitivam) sed est tantùm principium rugitionis inadæquatè acceptæ, & formaliter secundùm ejus differentiam ultimam, quæ est rugitiva; de cætero rugitionis adæquatè spectatæ, nimirum ut est actio vitalis, sensitiva & rugitiva, principium est vivens, sensitivum, rugitivum vel rugibile; adeoquè rugibile non dicit sensitivum. Neque valet hæc argumentatio: *Homo formaliter est animal, homo formaliter est rationale: ergo rationale formaliter est animal:* cum *rationale* sumatur in consequente formaliter, qualiter nunquam fuit in antecedente sumptum.

IX. PROPRIVM primo intentionaliter sumptum est id, quod est extra rei essentiam physicam vel metaphysicam, ab illa necessariò tamen per physicam actionem, si physicum, secundùm nostrum concipiendi modum, si metaphysicum, oritur: ab eaquè distinguitur eodem modo, & illam comitatur, inseparabiliter, intellige, naturaliter, si physicum, etiam divinitus realiter inseparabile, si metaphysicum; ratione tamen separabile, in quantùm ab ea per rationem præ-

præscindi potest, non positivè illud negando de essentia. Secundò intentionaliter sumptum, sive prout est quartum prædicabile, est unum aptum inesse & prædicari de multis in quale necessariò: hanc autem denominationem universalis accipit per ordinem ad subjecta mediata, nimirùm vel ad individua speciei, si sit proprium specificum, vel ad species, si sit proprium genericum; de his enim solis prædicatur ut superius: de subjectis verò suis immediatis, genere vel specie prædicatur ut convertibile, & æquè latè patens.

X. ACCIDENS sumptum primò intentionaliter, prout comprehendit accidens logicum (quale est illud, quod est extra rei essentiam, & de illa merè contingenter dicitur, sive sit substantia, sive accidens, sive sit positivum, sive sit negativum) & physicum, id est, oppositum substantiæ, & prout distinguitur à proprio quarto modo, benè definitur: *quod adest atque abest* (physicè vel metaphysicè, sive intentionaliter affirmando, vel negando illud de subjecto) *sine subjecti corruptione &c.* physica, vel metaphysica; quædam enim acci-

accidentia adesse non possunt sine corruptione physica subjecti, v. g pestis in animali, possunt tamen adesse metaphysicè sine subjecti corruptione metaphysica, id est, manet essentia metaphysica incorrupta, etsi accidentia illa de subjecto affirmentur, vel etiam Physicè violenter eis insint: mors autem respectu animalis, combustio respectu ligni, in summa, corruptio respectu subjecti dici possunt, non esse propriè accidentia, cùm non respiciant illud tanquam forma subjectum, sed veluti habitum, quo privant; si tamen admittantur esse accidentia, dici debet, quòd non destruant subjecta, de quibus affirmantur, nisi in sensu ampliativo; hæ enim similesve propositiones: *animal est mortuum*: veræ non sunt, nisi in sensu ampliativo, id est, animal, quod ante fuit, nunc non est animal; quòd autem animal ante existens, non existat ampliùs, essentiæ ejus convenit accidentaliter, sicque non repugnat alicui essentiæ vel subjecto prædicationis, nunc non esse, quod ante fuit, ac proinde prædicata illa, quæ tantùm ampliativè insunt subjecto prædicationis, non repugnant ejus essentiæ, nec destruunt subjectum prædicæ-

dicationis. Accidens physicum est ens secundariò à natura intentum existens, vel potiùs exigens esse in alio (actualis enim inhærentia non est de essentia accidentium absolutorum) tanquam in subjecto inhæsionis, pro ut hoc nomine comprehenditur simul subjectum adhæsionis. Accidens sumptum secundò intentionaliter, sive ut quintum prædicabile, est unum aptum inesse multis & prædicari de illis in quale contingenter. Definitur hìc accidens in concreto, sic enim tantùm subjecto identificatur: in abstracto namqùe prædicatum de suis inferioribus, v. g. albedo de hac, illa & ista albedine, color de albedine, nigredine &c. est primi vel secundi prædicabilis.

DISSERTATIO QVARTA

De Enuntiatione.

I. SIGNVM in genere est quid aptum potentiæ cognoscitivæ repræsentare aliquid, sive illud aliquid distinctum sit ab ipso signo, sive non (dantur enim signa sui ipsius repræsentativa, ut cognitio; quòd ipsum fit, dum dico: *cognitio*, repræsentat enim inter reli-

reliquas cognitiones hæc cognitio se ipsam) sive potentia sit materialis, sive spiritualis. Signum aliud est proprium, quod à natura vel libera hominum voluntate institutum est ad significandum aliquid: aliud improprium, quod quidem significat, aut significare aptum est, ad significandum tamen neque à natura, neque à voluntate hominum est institutum, tale signum ignis est fumus. Signum proprium aliud est formale, quod ita ducit in cognitionem alterius, ut ipsum tamen priùs non cognoscatur ut quod; sed est ipsa ratio, quâ aliquid cognoscitur, tale signum est cognitio respectu sui subjecti proprii, quam tamen inspiciens Angelus, perque illam cognoscens objectum, habet pro signo instrumentali: aliud instrumentale, quod priùs cognitum ut quod, sive media sui cognitione ducit cognoscentem in cognitionem rei significatæ. Hoc iterum aliud est naturale, quod independenter ab hominum institutione propter connexionem naturalem, quam habet cum re significata, ducit in ejus cognitionem, ut risus lætitiæ: aliud ex instituto, quod

tan-

tantùm à libera hominum voluntate & institutione vim significativum habet, ut hædera vini venalis. Item aliud est rememorativum, quod rem præteritam ducit in memoriam, ut crux crucifixionem Christi. Aliud prognosticum, quod rem futuram significat, ut serò rubens cœlum cras indicat esse serenum; aliud demonstrativum, quod rem præsentem significat, ut fumus ignem. Item aliud practicum, quod rem, quam significat, etiam producit, ut Sacramenta gratiam; aliud Theoreticum, quod rem tantùm significat. Denique aliud sensibile, quod cadit sub sensum, aliud spirituale, ut character Sacramentalis.

II. Ratio formalis vel vis significativa signi naturalis est naturalis connexio, quam habet cum re significata: signi verò ex instituto vis significativa non est res, nec modus intrinsecus rei, quæ signum dicitur; quid enim hæc vox *homo* habet sibi intrinsecum, quare potiùs hominem, quàm lapidem significet? sed est ipsa instituentium res vel voces volitio, sufficienter aliis declarata, acceptata & moraliter perseverans, his enim positis habet

res,

res, quæ signum dicitur, vim excitandi intellectum audientis vel videntis ad cognoscendum rem significatam; aliquo eorum sublato, non habet. Hinc, qui cognoscit signum formaliter reflexè & in actu signato, imò qui cognoscit signum in actu exercito, cognoscit implicitè & exercitè, sed obscurè hanc volitionem; ex qua obscura & valde tenui hujus volitionis cognitione est, quòd interrogatus rudis aliquis, cur hæc vox *homo* significet animal rationale, dicat, se nescire: ad quod tamen aliquantò eruditior dicet: quia sic voluerunt instituentes hoc idioma. Ipse verò author instituens signum, volensque illud esse significativum hujus vel istius rei, non habuit volitionem suam pro objecto, quia non habuit vim significativam signi in actu primo, pro objecto, sed ipsam actualem manifestationem, sive ipsam audientium & videntium intellectionem excitatam actu à tali signo, seu vim significativam signi in actu secundo; si tamen hic author habuit hanc volitionem: *volo, ut hoc illud significet dependenter à voluntate mea*: includitur duplex volitio, una directa, quâ dicit: *volo, ut hæc vox hoc significet*: alteram reflexam,

flexam habet, quâ dicit: *volo, ut illud faciat dependenter à mea voluntate*: & sic reflectit se supra priorem suam volitionem: vel dic, eandem volitionem directè ferri in actualem significationem, abstrahendo an ea fiat dependēter à sua voluntate, & indirectè habere sei psam pro objecto, qualiter multæ volitiones habent se pro objecto, v. g. hæc, quâ Princeps dicit subdito; volo, ut dependenter ab hac mea volitione sis judex. Sic itaqùe signum est concretum, in recto seu pro materiali dicens rem, quæ signum est, in obliquo vim significativam, id est, voluntatem authoris, quæ voluntas utiqùe entitati signi est extrinseca, ipsi verò huic concreto intrinseca.

III. Voces inarticulatæ animalium pleræq; non tantùm in levamen aut exultationē naturæ sunt institutæ, sed etiam signa naturalia sunt doloris & lætitiæ, ut gemitus, ejulatus. Voces articulatæ hominū signa naturalia nō sunt objectorum (signa enim naturalia apud omnes gentes sunt cōmunia & eadē, quales non sunt voces) sed ad placitum; quare dum Adam omnia dicitur appellasse nominibus suis, intelligendum non est, illū ea appellasse

nominibus significantibus naturaliter, sed talibus nominibus, quæ voluit deinceps ex sua institutione singulis esse propria. Nihilominùs voces signa sunt naturalia voluntatis illas proferentis; cum illa enim & cum cognitione naturalem connexionem habent, utpote soni prolati ab animali cum imaginatione & intētione aliquid significandi. Significant verò voces humanæ (quales non sunt voces corvi, dormientis, vel prorsus ebrii;) utpote à natura institutæ ad hoc, ut possimus colloqui de rebus, & unus alteri suos de rebus conceptus manifestare, res & conceptus; illas quidem immediatè, saltem per modum imaginis; quia harum species immediatè excitant in audiente: hos immediatè per modum argumenti; quia sunt argumentum immediatum, ex quo infertur, quòd loquens habeat conceptum conformem verbis; mediatum verò argumentum, quòd objectū sit conforme loquentis conceptui; auditis enim à Paulo, quē scio hominem esse veracem, his verbis: *Petrus est doctus*, infero & judico Petrum reverà esse doctum. Supponunt item pro rebus & conceptibus (habent enim id signa quædā, quæ præterquam, quòd manifestent rem, pro ea quo-

quoquè ſupponant, id eſt, ut quod de iis, non tamen purè materialiter acceptis, affirmatur vel negatur, cenſeatur affirmari vel negari de re, pro qua ſupponunt (quod non facit hædera reſpectu vini) quia præſtant id in audiente, quod præſtaret res, ſi ipſa in medium adduceretur, & conceptus, ſi hi immediatè inſpicerentur. Sic itaquè etiam, hæc vox *cognitio* ſupponit pro re & cognitione, dum enim illam profero, duas habeo cognitiones, unam objectivam, quæ nomine rei venit, alteram formalem, quæ objectivam cognoſcit. Ex eo tamen, quod voces ſupponant pro re & conceptu, ſive pro re ut concepta, non ſignificant ſecundò intentionaliter; quæ enim ſic ſignificant, ſupponunt pro re ut affecta conceptu tanquam concreto, quod totum nomine rei venit, & præterea pro cognitione altera, cum qua vox hujus concreti profertur.

IV. Scripturæ, quæ componuntur ex litteris (Zypheræ enim & notæ Chinenſium & Ægyptiorum hieroglyphicæ ſingulæ incompoſitæ res ſingulas ſignificãtes, immediatè ſignificant res) ſignificant immediatè vocem, ut patet in eo, qui poteſt legere hæbraica, &

non intelligere, is dicitur scire immediatum hujus scripturæ significatum; quòd verò legens priùs de re, quàm de voce cogitet, est, quia ob celeritatem & consuetudinem non advertit, præcedere cognitionem vocum.

V. Envntiatio sive judiciũ est una simplex qualitas, & non composita ex tribus apprehensionibus, quarũ una subjecto, altera copulæ, tertia prædicato correspondeat; dantur enim hæ tres apprehensiones, dum audita hac propositione: *Petrus est doctus*; singula tria possunt singulis apprehensionibus apprehẽdi, & omne judiciũ suspendi, cùm intellectus per hoc, quòd horũ trium successivè habeat apprehensiones, adhuc nihil judicet, sed post singulorum terminorũ apprehensiones priùs unico indivisibili actu ferat sententiam & judicet. Ad hæc neq; meræ apprehẽsiones constituere possunt judiciũ, aut componere cõpositum, aliquod essentiale; quænam enim ex istis tribus habebit se per modũ formæ? quæ per modũ materiæ? absurdiùs autẽ est dicere, esse aggregatum per accidens, ut cumulus lapidum. Nihilominùs resolvi potest judicium in prædicatum & subjectũ tanquam partes virtuales (quod vult Arist.) quatenus tot apprehen-

prehensionibus æquivalet. Neqùe actus ille ex his tribus, qui terminatur ad copulam seu identitatem, vel non identitatem, constituere potest hoc concretum in ratione affirmativi vel negativi; cùm ista identitas vel non identitas repræsentari possit per apprehensionẽ, vel si repræsentetur affirmando vel negando, erit actus illam repræsentens per suã entitatẽ formaliter judiciũ, & repræsentando identitatẽ repræsentabit simul prædicatũ & subjectum. Imò nequidẽ propositiones hypotheticæ componuntur ex duplici judicio; quia v.g. hæc hypothetica: *Si sol est, dies est:* æquivalet isti: *Sol lucens est dies, seu facit diem.* Dicitur autẽ judicium res componere vel dividere, in quantùm objecta repræsentata per plures apprehẽsiones componit judicando, esse unum, vel dividit, negando esse unum.

VI. Omne judicium humanum (contrarium est de angelico ob intellectus angelici præstantiam) etsi non necessariò præcedat apprehensio complexa nudè priùs repræsentans totum sine affirmatione & negatione, quod postea actus judicativus affirmando vel negando repræsentat, saltem in materiis evidentibus, præcedit tamen, vel necessariò

comitatur singulorum terminorum apprehensio simplex, etiam in propositionibus lumine naturæ notis; prædicatum enim & subjectum prædicationis affirmativæ non identicæ differunt, non ex parte objecti, nec ex parte actus judicantis, quia hic idem & simplex est; ergo ex parte apprehensionum simplicium præcedentium vel concomitantium: item prædicatum & subjectum debet diversimodè attingi, quòd cùm facere nequeat idem actus, fieri debet ab istis diversis apprehensionibus. Dicitur autem intellectus immediatè assentiri veritatibus lumine naturæ notis, non quòd non præcedat simplex apprehensio, sed quòd assentiatur intellectus iis sine medio termino seu motivo.

VII. Objectum propositionis tam affirmativæ quàm negativæ non est prædicatum & subjectum secundùm se; sed identitas prædicati & subjecti, quia illud est objectū, quòd in propositione vera affirmativa datur, in negativa non datur, & contra, quòd in affirmativa falsa non datur in negativa falsa datur, talis est sola dicta identitas, ut patet in his propositionis: *Homo est lapis: homo non*

est

est lapis : in quarum utrâqùe *homo* & *lapis* dantur, identitas autem inter hominem & lapidem non datur; quæ quia non datur, prior est falsa, secunda vera : & nisi hæc identitas sit objectum in affirmativis & negativis propositionibus, non dabuntur contradictoriæ, quæ sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Simile habes in actibus voluntatis: actus fugæ, quo nolo peccatum, & actus prosecutionis, quo volo peccatum, habent idem objectum, & tantùm differunt ex modo tendendi, prior fugit illud, posterior amplexatur illud: sic affirmatio & negatio diversimodè tantùm tendunt in idem objectum, hæc negando, ista approbando: & sicut nolitio peccati non habet pro objecto nolitionem vel etiam negationem peccati, sed ipsum peccatum fugiendo illud: sic actus negativus non habet pro objecto negationem identitatis subjectum inter & prædicatum, sed ipsam identitatem, negando illam, tenetqùe se hæc negatio tantùm ex parte actus. Etsi autē identitas ex parte objecti nihil sit distinctum realiter à prædicato & subjecto, sufficit tamen ad hoc, ut identitas hæc sit objectum cognitionis, quòd ab illis

distinguatur ratione, sicut sufficit distinctio rationis inter prædicatum & subjectum, ut dicantur duo objecta partialia propositionis. Dum itaque concipio hominem, non esse lapidem, rem, sicuti est à parte rei, sic illam concipio ex parte modi cognoscendi, concedo, id est, sicuti à parte rei est negatio identitatis inter hominem & lapidem, ita & hæc cognitio est negativa hujus identitatis: rem, sicuti est, sic concipio illam in hac propositione ex parte objecti negati, & repræsentati (quod est identitas fictitia inter hominem & lapidem) nego: objectum enim propositionis negativæ repræsentatum & negatum semper debet esse falsum vel fictum, ut propositio negativa sit vera; objectum verò quod à parte rei est, sed quod non repræsentatur, & in præsenti est negatio identitatis inter hominem & lapidem; semper debet esse verum & existens à parte rei, ut propositio negativa sit vera. Etsi igitur omnis cognitio affirmativa vera debeat conformari objecto repræsentato, non tamen cognitio negativa, ut vera sit, debet conformari objecto repræsentato, sed tantùm debet illud negare, sicut illius negatio existit à parte rei: simile habes

in

in hoc: *Omnis actus bonus debet tendere in bonum*: id tantùm verum est de actu prosecutionis, non de actu fugæ, hic enim potest tendere in malum aversando illud, & tamen esse bonus.

VIII. Veritas Enuntiationis non consistit in aliqua relatione transcendentali; quia Enuntiationi non est adæquatè intrinseca, ut mox dicetur. Aliud autem est dicere, cognitionem veram dicere relationem transcendentalem ad objectum, nimirum in quantùm est objecti repræsentatio: aliud actum verum ut verum dicere, aut veritatem cognitionis esse talem relationem. Neque est relatio strictè prædicamentalis; quia multarum cognitionum verarum objectum actu non existit, imò sæpe est ens rationis, & consequenter cùm veritas aliquarum Enuntiationem non consistat in relatione prædicamentali, nullarum veritas in ea consistit, & si essentia veritatis aliquando in tali relatione non consistat, nunquam in ea consistit, cùm essentiæ sint immutabiles, per quod tamen non negamus, aliquas cognitiones veras, utpote similes seu conformes suis objectis actu existentibus, secum trahere talem

relationem sed negamus veritatem, quæ ut talis est similitudo cognitionis cum objecto, præscindendo an illud existat, nec ne; an sit reale, nec ne; consistere præcisè in relatione strictè prædicamentali, ad quam requiritur terminus actu existens & realis, adeoquè dicendum veritatem reductivè tantùm spectare ad relationem prædicamentalem, vel esse relationem secundùm dici.

IX. Veritas (idem est de falsitate) est denominatio realis, actui partim intrinseca, partim extrinseca, desumpta ab entitate actus significata in recto, & ab objecto sic se habente, utì repræsentatur, significato in obliquo, ad eum fere modum, quo differemus de similitudine in Metaphysica; objecto enim sic se non habente, utì repræsentatur, perit formaliter similitudo seu conformitas actus cum eodem. Porrò si veritas esset actui adæquatè intrinseca, Angelus comprehendens essentiam suorum vel alienorum actuum, de futuris contingentibus, cognosceret futura contingentia libera. Licet itaquè actui sit essentiale & adæquatè intrinsecum, utpote prædicatum transcendentaliter respectivum, esse objecti repræsentativum;

tivum; est tamen actui extrinsecum, & accidentale, repræsentare objectum sicuti est, seu objectum sic se habens. Item licet actus judicativus necessariò habeat unum ex his duobus, quòd sit vel conformis, vel difformis objecto, sicut paries necessariò assimilatur vel dissimilatur alteri, neutrum tamen habet per essentiam; hæ autem propositiones: *actus per suam essentiam solam est conformis objecto: actus per suam essentiam non est conformis suo objecto*: non sunt contradictoriæ, sed ambæ falsæ, quia τὸ *per suam essentiam* sumitur in utraquè affirmativè, & hic efficitur sensus: quòd actus sit conformis, id habet per suam essentiam, quòd sit difformis objecto, id habet per suam essentiam, ideoquè non sequitur: actus per suam essentiam non est conformis objecto, ergo per suam essentiam est difformis objecto, sicuti non sequitur; paries per suam essentiam non est albus vel similis alterius, ergo per suam essentiam est non albus, vel dissimilis alteri. Neque actus supernaturales fidei, vel naturales facti in materia necessaria sunt veri per suam essentiam, sive veritate adæquatè illis

intrinseca; aliud enim est, veritatem esse illis essentialem aut adæquatè intrinsecam, aliud, esse necessariò cum illis conjunctam: & actus quidem facti in materia necessaria, quòd necessariò repræsentent objectum, sicuti est; non provenit ex eorum natura, sed quòd objectum se aliter habere nequeat: actus verò fidei supernaturalis necessariò sunt veri, quia oriuntur à principio, nempe habitu supernaturali determinantè illos ad cognoscendum tantùm verum, & hinc veritas radicalis, quæ est exigentia repræsentandi semper objectum, sicuti est, est illis adæquatè intrinseca: veritas è contra formalis, sive quòd actu repræsentent objectum sicuti est, est iis inadæquatè extrinsecum. Nõ tamen ex dictis sequitur, actum divinum versantem circa creaturas fore verum veritate creata, etsi hoc concretum, quod dicitur; actus verus Dei versans circa creaturas: ingrediatur aliquid creatum, sicut nec actus hominis verus versans circa Deum, dicitur ideo verus veritate divina, quod Deus tanquam objectum ingrediatur hoc concretum. Neque dictis obstat, quòd actus verus sit perfectio intellectus; non enim omnis illius perfectio illi

est

est adæquatè intrinseca, cùm potentiæ intentionales non tantùm à nuda actuum entitate, sed simul ab objectis, quatenus hæc terminant actus, perficiantur, ut patet in visione beatifica.

X. Nihilominùs actus, qui semel fuit verus (actum enim omninò eundem, qui jam est verus, potuisse esse falsum, sequitur ex dictis) non potest ex vero fieri falsus; actus enim semel repræsentans objectum sicut est, semper repræsentat objectum, sicut est; quia hic actus: *Petrus currit*: vel affirmat Petrum currere toto tempore, quo durat propositio, vel pro determinato tempore. v. g. pro instanti A, vel pro indeterminato aliquo tempore; & erit semper verus, Petro currente vel toto isto, vel determinato isto, vel pro aliquo tempore, etsi continuetur dein propositio pro alio tempore, quo non currit Petrus; quia pro illo eum currere non affirmarat. Sic quando dicitur *Petrus currit nunc*: vel intelligitur idem *nunc* instantis, vel diversum (cum τὸ *nunc* significet tantùm tempus præsens, vel hoc, vel illud) vel pro isto *nunc* vel pro alio *nunc* affirmatur currere. Sic si dicatur: *Petrus currit tertio quadrante proximè*

sequente, posito quod eo quadrante currat Petrus, erit actus verus, etsi continuetur dein post tertium quadrantem, quando Petrus non currit ampliùs. Idem deniq; est circa prophetias Scripturæ, v. g. dum dicitur: *Virgo pariet & concipiet*: quæ nunc sunt, & in æternum erunt veræ, si τὸ *pariet* non significet tempus futurum post hoc instans, sed futurũ, post tempus, quo Isaias hoc dicebat. Veritas ergo ideo non est actui non essentialis, quia ab eo separari potest, sed quia potuisset ab eo separari, quia potuisset idem actus, qui nunc est verus, esse falsus, objecto aliter se habente, quàm jam se habet.

XI. Veritas propriè formalis & in dicendo seu perfecta, conformitas nimirum cognitionis dicentis seu enuntiantis & determinantis se ad alterutram partem contradictionis, soli convenit judicio: veritas tamen in repræsentando seu veritas inchoata, quæ est sine affirmatione & negatione, tam apprehensioni simplici, quàm complexæ convenit; sic enim apprehensio contra imperium voluntatis jubentis repræsentari hominem, repræsentans piscem, adhuc objecto suo est con-

conformis, etsi difformis sit objecto jusso repræsentari : Item falsitas in repræsentando non tamen formalis est in apprehensione cõplexa, v.g. in hac: *Deus est auctor peccati*: quales apprehensiones multas habent ei, qui eas veluti hæreticas refutant, absq; eo, quòd per illas affirment aut negent quidquam.

XII. Ex duabus contradictoriis de futuro contingente, tã absoluto, quàm conditionato, una est determinatè vera, altera falsa; ideo enim propositio de præterito & præsente cõtingente determinatè est vera; quia determinatè repræsentat rem, sicuti est, sed idem facit propositio de futuro contingente v.g. *Petrus cras peccabit*: posito Petrum cras peccaturum esse, licet id ego ignorem pro tempore, quo id enũtio; Item illud est determinatè verũ, quod determinatè est futurum, sed cõtingẽtia, futura sunt determinatè futura; illorum enim Deus habet determinatã cognitionem, neq; etiam futuritio determinata, quæ tantùm dicit, rem fore pro tali tempore, & non dicit non posse non esse, opponitur esse contingenti, quod tantùm dicit, rem posse non esse, & non dicit rem non fore: unde aliud est, rem esse determinatè veram, aliud est, esse necessa-

necessariò veram, id est, ita veram, ut non possit, aut potuerit esse falsa, & consequenter non quæritur, an una ex contradictoriis necessariò sit vera necessariò. Ex eo autem quod una videatur à Deo determinatè vera, res non est futura necessariò necessitate antecedente, sed tantùm consequente; ideo enim videtur determinatè futura, quia determinatè futura est, & non ideo determinatè futura est, quia determinatè futura videtur. Ex hypothesi igitur, quòd res futura sit liberè, non potest non fieri, absolutè tamen potest non fieri; similiter quod Deus præviderit Petrum peccaturum, non potest Petrus omittere Peccatum; verùm hæc hypothesis, seu præscientia involvit ipsam liberam positionem peccati futuram à Petro, utpote priorem scientiâ Dei: non est autem in potestate Petri, tollere hanc præscientiam Dei semel habitam, sicut non est in ejus potestate, posito, quòd sit peccaturus, non peccare, sed potuit facere, ut Deus absolutè hanc præscientiam non haberet. Magnum autem discrimen est inter necessitatem ortam ex suppositione de re simpliciter præterita (illa enim nullum dicit ordinem ad aliquid, quod nunc est absolutè

lutè in potentia Petri, adeoqùe illi simpliciter est inevitabile, ut non peccaverit heri) & inter necessitatem ortam ex hypothesi de re non simpliciter præterita, qualis est scientia Dei de peccato Petri futuro; illa enim dicit ordinem ad aliquid futurum, quod absolutè nũc est in potestate Petri, & quod, si ille velit, non esset futurum, adeoqùe non esse, aut fuisse illa suppositio.

DISSERTATIO QVINTA

De Discursu:

I. DIscursus in genere est assensus, vel dissensus mediatus, quo assentimur, vel dissentimur uni propter aliud; alius est enim assensus vel dissensus, quo assentimur vel dissentimur objecto, non proprer aliud ab ipso re vel ratione ratiocinata, distinctum, sed propter ipsam terminorum evidentiam, seu quia res in se ipsa videtur vera. Requiruntur igitur vel prærequiruntur ad omnem discursum plura judicia distincta illuminantia intellectum ad inferendam conclusionem, quæqùe notiora sint ipsa conclusione (licet enim quandoqùe conclusio sit nota, ignota tamen est, quatenus ex talibus deducta

ducta præmissis) & quidē ad formalem discursum requiruntur vel prærequiruntur talium judiciorum semper virtualiter duo præter conclusionem, explicitè sufficit unum; debet enim medium semel connecti cum singulis extremis, quod fieri non potest, nisi per duas formaliter vel virtualiter enuntiationes; dum autem in præmissis unum extremorum conjungitur cum medio, & alterum cum eodem in conclusione v. g. *omnis homo est animal, ergo Petrus homo est animal*: cōclusio virtualiter è duplex, & inferri non potest ex dicto antecedente, cùm illatio vel conclusio supponat conjunctionem utriusq; extremi cum medio factam esse in præmissis: quibus præmissis ambabus, sive quo antecedente adæquato, adæquatè vero, cōclusio semper erit vera, eo inadæquatè falso, seu unâ præmissarum falsâ, erit falsa v.g. in eo: *Petrus est homo ergo est sanctus*; consequens est falsum; quia antecedens adæquatum, quod erat hoc: *omnis homo est sanctus, Petrus est homo*; non erat adæquatè verum.

II. Syllogismi essentia non consistit in solis præmissis; quia hæ solæ cùm sint duæ enuntiationes, non distinguuntur essentialiter à secunda

cunda mentis operatione, syllogismus autem essẽtialiter ab hac distinguitur, utpote discursus, seu tertia mentis operatio. Neq; syllogismus est causa cõclusionis , sed hæc est suo modo effectus præmissarum : neq; syllogismus generat scientiã actualem, sed est scientia actualis (si sit certus evidens) generans scientiam habitualem, neq; variatur tantùm syllogismus variatis solis præmissis, sed etiam variatur variata conclusione. Dum autem Aristoteles dicit, planum esse, syllogismum constare duabus & nõ pluribus propositionibus: loquitur de syllogismo causaliter sumpto, quales sunt præmissæ. Syllogismus tamẽ prout est artefactum aliquod logicum, essentialiter præmissas includit & conclusionem, & hoc modo acceptum syllogismum Aristoteles definit, cùm dicit; *syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis , aliud quidpiam necessariô sequitur*: & sic syllogismus est aggregatum ex duobus judiciis non illativis, & uno judicio illativo , in quo aggregato habet se per modum formæ artificiosæ ipsa artificiosa præmissarum & conclusionis juxta regulas logicas facta dispositio. Syllogismus acceptus , prout est tertia

mentis

mentis operatio, consistit formaliter & adæquatè in sola conclusione formali, quæ tamen essentialiter prærequirit & supponit duas præmissas, vel unam virtualiter duplicem, cujus ratio est; quia tertia mentis operatio est specie distincta à secunda, adeoque ex illa componi non potest, sicut homo nequit componi ex bruto: ad hæc, si discursus sit aggregatum ex talibus tribus enuntiationibus, vel ergo tertium illud judicium illativum seu conclusio est quid distinctum à duobus aliis judiciis, vel non; non secundum, quia ex tribus judiciis non potest conflari tertia mentis operatio specie distincta: non primum; si enim conclusio ut distincta à præmissis est distincta operatio à secunda mentis operatione, jam illa se solâ & prout distincta à præmissis est discursus. Denique discursus scientificus dicitur ab Aristotele, cognitio evidens unius veritatis per & post aliam, habita per principia demonstrativa, talis est sola conclusio, ergo: hinc sequitur, syllogismos; ut sunt tertiæ mentis operationes, non differre inter se specie propter varias dispositiones medii & præmissarum, sed tantùm per formales conclusiones, quarum

una

una habet tale objectum materiale & motivum, altera aliud.

III. Solæ præmissæ objectivæ per sui species impressas efficienter concurrunt ad assensum conclusionis; sunt enim hæ præmissæ partiale objectum, imò realiter, & virtualiter idem objectum cum objecto conclusionis. Neqùe species impressæ causant solas apprehensiones, & apprehensiones dein cum intellectu loco specierum impressarum concurrunt effectivè ad judicia; judicia dein ad discursum; eædem enim species impressæ, quæ complent intellectum in ratione potentiæ sufficientis ad eliciendam apprehensionem, complent eundem, eodem influxu, & reddunt sufficientem ad eliciendum judicium & discursum seu conclusionem, & hinc præmissæ formales, quæ intellectum supponunt jam completum in ordine ad eliciendam conclusionem, eundem tantùm ad eandem inclinant illuminando; unde dici possunt, concurrere ad conclusionem in genere causæ efficientis latiùs dictæ, vel in genere causæ formalis extrinsecæ, qualiter dicitur illud concurrere, quod non ut pars intrinseca componit effectum, sed ipsi

causæ

causæ efficienti tanquam forma inhærens, illam disponit ad efficiendum effectum.

IV. Posito seu dato assensu præmissis cognitaq; bona earum dispositione in modo & figura, intellectus necessitatur ad præbendum assensum conclusioni, necessitate contrarietatis seu quô ad speciem actus, patet ex syllogismi definitione, & ratio est; quia non potest intellectus per actum positivum dissentire ei, quod ipsi ut verum proponitur, & quod ut verum admisit, nec judicare idem simul esse verum & falsum, quod faceret, si concessis præmissis, cognitaq; bona illarum dispositione negaret conclusionem; qui enim dicit aliqua eadem esse uni tertio, dicit virtualiter, illa esse eadem inter se: habet hoc quoq; locum, quando præmissæ sunt tantùm probabiles vel etiam falsæ; etsi enim objectum illatum secundùm se evidens non sit, ex suppositione tamen seu concessione præmissarum tanquam verarum, repræsentatur evidenter verum, & evidenter esse connexum cum objecto præmissarum, quod jam ut verum supponitur. Non tamen necessitatur intellectus ad exercitium actus; quia vehe-

vehemens subitoque succedens distractio post datum præmissis assensum potest impedire assensum explicitum conclusionis (dico assensum conclusionis explicitum sive assensum, qui sit actus distinctus ab assensu præmissarum; de cætero enim, dum assentitur præmissis, eodem indivisibili actu virtualiter assentitur conclusioni) sed voluntas potest imperare politicè intellectui, utpote qui non est causa merè naturalis nullo modo subjecta voluntati, quæ ne intrinsecè quidem sit libera, sed habitis omnibus ad agendum requisitis agit necessariò, sive velit, sive nolit voluntas, ut mox à dato præmissis assensu talem distractionem suscipiat, cogitationesque ad alia objecta divertat, & phantasiæ, ut talia objecta ingerat: qualem distractionem imperando, voluntas imperat suspensionem & omissionem, non tamen puram, conclusionis. Licet itaque intellectus non egeat positivo imperio & determinatione voluntatis ad assentiendum objecto evidenter proposito, eget tamen determinatione negativa, id est, eget, ut voluntas non imperet dicto modo cessationẽ ab actu, & aversionem cognitionum aliò;

quòd

quòd autem voluntas non possit suspendere amorem erga objectum repræsentatum absque admixtione mali, inde est, quia non est potentia imperans illi hac ratione suspensionem actus: & quòd non possit imperare cessationem à visione beatifica intellectui, inde est, quod hæc cessatio sub nulla ratione boni repræsentetur voluntati.

V. Actualis assensus præmissarũ est necessarius pro eo instãti, quo elicitur assensus cõclusionis; causa enim physica per se ipsam agens (qualis suo modo sunt præmissæ formales) debet existere, quando producitur effectus, illuminando, & determinando nimirum intellectum, non minùs, quàm debeat existere cognitio pro eo tempore, quo amatur objectum; & sicut cognitio reflexa quâ quis recordatur, se aliquando amasse objectum, sufficiens non est, ut determinet voluntatem ad idem objectum iterum amandum, sic nec cognitio reflexa, quâ quis recordatur se aliquando fuisse assensum talibus præmissis, sufficiens est, ut intellectus assentiatur conclusioni. Neque major seu prima præmissa præcedit minorem causalite, sed tantùm ordine; simul enim & immediatè causant conclusionem.

VI. Con-

VI. Conclusio formalis (secus est de conclusione materiali, utpote quæ per varias præmissas inferri poterat) attingit formaliter objectum præmissarum formaliter idem, sive præterquam quòd attingat identitatem suorum extremorũ inter se, attingit quoq; identitatem singulorum illorum extremorum cum medio; illa enim est natura potentiarum intentionalium, intellectus nimirum & voluntatis, ut eodem indivisibili actu ferantur in objectum suum materiale & formale seu motivum; moveri enim hæ potentiæ non possunt à motivis, nisi quando illa attingunt: sicuti igitur non sufficit, bonitatem finis per actum antecedentem intellectus fuisse propositum, perquè alium actum voluntatis antecedentem fuisse intentum, nisi per eundem actum, quo propter bonitatem finis eligitur hoc medium, ipsa bonitas finis iterum ametur; sic non sufficit, intellectum sibi ipsi antecedenter proposuisse identitatem utriusquè extremi conclusionis cum medio, & illi assensum fuisse, nisi intellectus denuò in conclusione, & per eundem actum conclusionis assentiatur eidem identitati extremorum cum medio: sic

igitur requiritur, ut præmissis, quibus ante a
sensus sum propter se, sive tanquam objecto
quod, assentiar iterum actu conclusionis, sal
tem ut objecto *quo*, & propter illas alteri
Etsi autem conclusio præstet intellectui
quod præmissæ, adhuc tamen opus est præ
missis, cùm intellectus ob suam limitatio
nem debeat paulatim procedere, & priù
connexionem extremorum seorsim in præ
missis attingere, ut dein expeditiùs propta
illam possit assentiri conclusioni, præsertim
in rebus obscuris. Neque ex dictis sequitur
medium ingredi conclusionem ut objectum
illatum, seu ut *quod*, quod vetat regula, sed
tantùm ut motivum; seu ut objectum pro
pter quod.

VII. Conclusio sequitur partem debilio
rem, estq; falsa, particularis, tantùm probabi
lis, ngativa, quando una præmissarum est ta
lis; talis enim est connexio extremorum con
clusionis formaliter talis inter se, qualis est
connexio eorundem extremorum cum me
dio, sed quando una tantùm præmissa
rum est falsa, negativa, probabilis, tota
connexio extremorum cum medio dicitur
esse falsa, probabilis; bonum enim ex integra
causa,

causa, malum ex quolibet defectu; adeoq; totum principium conclusionis (quod sunt præmissæ indivisibiliter influentes in effectum) censetur imperfectum & consequenter etiam effectus, qui non assimilatur perfectiori causæ è duabus in se influentibus, nisi quando hæ influunt influxu divisibili. Potest autem ex duabus præmissis, quarum una est falsa vel contingens sequi conclusio quæ materialiter sit vera & necessaria, v. g. in hoc syllogismo: *omnis equus est animal, omnis homo est equus, ergo omnis homo est animal*: quæ tamē conclusio quatenus deducta ex talibus præmissis est falsa. Item ex præmissis, quarum una est de fide, sequi potest conclusio, quæ materialiter accepta sit de fide, non tamen ut ex talibus præmissis deducta per discursum. Ex antecedente verò impossibili sequitur quandoque necessarium, v. g. *si homo est equus, est brutum*: non tamē absolutè, (sed ex hypothesi, quòd verum sit antecedens. Tunc autem valet argumentatio ab impossibili conditionato, quando nec implicitè, nec explicitè ponitur in antecedente principium, unde inferri possit utraquè pars contradictionis, uti

fit ex hoc antecedente ; *si homo esset Angelus ; esset purus spiritus* , licet mihi enim ex eodem antecedente inferre : ergo non esset purus spiritus ; quia maneret homo , qui essentialiter est non spiritus purus , cujus ratio est, quòd consequens non tantùm pendeat ex prædicato antecedentis, sed & ex subjecto ejusdem , cujus perseverantia inesse habet etiam rationem medii.

DISSERTATIO SEXTA

De Demonstratione.

1. DEmonstratio est discursus faciēs sci-re , vel formaliter intrinsecè tanquā scientia actualis, inhærens intellectui, eumquè scientem denominans ; vel strictè efficiens habitum scientificum ; & in utroquè sensu accipitur syllogismus pro sola conclusione ; vel latè efficiens, id est, directivè & in genere causæ formalis extrinsecæ causans conclusionem , & sumitur syllogismus pro præmissis. Sive etiam demonstratio est syllogismus constans præmissis, veris, certis, evidentibus, primis, immediatis, notioribus, prioribus , causis conclusionis. Dicitur autem actus certus, qui præterquā, quòd verus est,

est firmiter & indefectibiliter adhæret objecto, idq; magis appretiativè propter majorē infallibilitatem ortam ex dignioribus majoribusq; motivis infallibiliter determinantibus ad assensum verum, quàm intensivè propter majorem conatum, vivacioremq; & teneriorem cognoscentis affectū erga objectum: atq; hæc firma adhæsio appretiavè major, actui adæquatè intrinseca, & certitudini essentialis est. Dicitur actus evidens, qui quia intuens objectum, tendit in illud sine omni formidine errandi, tam prudente, quàm imprudente; quam imprudentem formidinem errandi nō excludit fides propter suam inevidētiam. Porrò hæc evidentia cognitionis nō tam oritur ab imperio vel affectu voluntatis (à quo oritur intensivè major certitudo) quàm ex immediata claritate objecti aut specierum ejus, aliove: & in actu naturali tantùm ratione distinguitur à certitudine; utraquè enim oritur ex iisdem principiis: sufficit autem ad demonstrationem evidentia physica, & non requiritur semper evidentia metaphysica, quâ intellectus ex principiis metaphysicis convincitur, rem ne divinitus quidem posse se aliter habere. Dicitur propositio im-

mediata & prima, quæ per aliam demonstrari nequit, ut: *omne totum est majus sua parte.* Dicitur nota per se, quæ ex suis terminis innotescit, vel etiam cujus prædicatum est de essentia subjecti, aut ejus proprietas metaphysica. Requiruntur hæ conditiones duæ posteriores ad demonstrationes perfectissimas, ad reliquas perfectas sufficit, esse certas & evidentes. Demonstratio alia dicitur *propter quid* seu à priori, in qua effectus vel quasi effectus, id est, proprietas demonstratur per causam vel quasi causam, id est, essentiam: alia dicitur *quia*; in qua demonstratur causa seu essentia per effectum, seu per proprietatem: ad hanc reducuntur omnes, quæ in aliquo deficiunt à demonstratione *propter quid.*

IX. Actus scientiæ & erroris illi directè oppositus nequidem divinitus possunt stare simul in eodem intellectu; impossibile enim est, ut intellectus positivè dissentiat, objecto, quod clarè cognoscit esse verum, vel contra: sed hoc fieret, si cum assensu certo & evidente subsisteret error priori assensui directè oppositus. Id tamen non fit, dum intellectus utramque contradictionis partem judicat

pro-

probabilem; hoc enim faciendo, intellectus non assentitur utriqùe, sive judicat, utramqùe esse veram, aliàs manifestè assentiretur falso; licet enim neutra pars contradictionis determinatè appareat falsa, manifestè tamen apparet, utramqùe non esse simul veram. Si autem Deus habenti judicium erroneum superadderet actum contrarium evidentem, possent in eo casu hi actus simul subsistere, sed secundus non erit vitaliter productus, adeoq; per illum intellectus non poterit dici assentiri, vel dissentiri, affirmare, vel negare.

X Possunt tamen naturaliter in eodem intellectu circa idem indivisibile objectum materiale propter diversa tamen motiva stare simul scientia, opinio, fides, ita tamen ut opinio & fides non habeant sibi conjunctam actualem formidinem de opposito, quæ formido non est de essentia horum actuum neq; illis necessariò conjuncta (etsi formido radicalis sit illis essẽtialis) hæc enim actualis formido est judicium distinctum à fide, & opinione, quâ quis judicat, rem istam fortè se ita non habere, adeoqùe non

potest stare cum judicio certo & evidente, quo quis judicat, rem evidenter sic se habere, non minùs quàm actus erroris directè oppositus scientiæ cum illa. Ratio asserti est; quia primò potest intellectus simul elicere plures actus circa diversa objecta, ergo etiam circa idem objectum. Secundò actus inevidens positivus non magìs opponitur evidenti, quàm albo non album positivè, id est, dulce sunt; in hoc casu claritas & obscuritas veluti in diversis virtualiter partibus intellectus; quia sunt in diversis cognitionibus; præterea obscuritas non est negatio majoris lucis seu claritatis in subjecto, seu existentis in intellectu, sed est negatio majoris claritatis in ipso actu obscuro, non quidem formaliter, sed consecutivè, cùm obscuritas formaliter sit lux parva: est item in hoc casu intellectus certus & non certus positivè, id est, per actum positivum, non verò non est certus negativè; vel est certus simpliciter, & incertus secundùm quid: Tertiò sicut voluntas obtento semel adæquatè fine ex parte rei possessæ, possesso tamen inadæquatè secundùm modum possidendi, potest alio modo illum velle possidere, & sic nova adhibere

media,

media, sic & intellectus potest alio & alio modo finem suum, qui est cognoscere objectum, obtinere. Quartò motivum scientiæ non destruit motivum fidei vel opinionis, nec impedit in agendo; falsum enim est, obscurũ in præsentia medii evidentis non posse movere intellectum, cùm agens debile in præsentia fortioris possit agere, nisi agentia sibi opponãtur. Falsum item est, intellectum tamdiu debere cessare ab actu evidente, quamdiu exercet fidem, & hinc Deum tunc evidentes species impedire; fides enim tantùm est argumentum rerum non apparentium formaliter per ipsam fidem; cui non obstat, quod res illæ vi alterius actus concomitantis evidenter appareant. Neq; verum est, quòd subjectum habens jam aliam formam formaliter vel eminenter eandem cum forma recipienda, aliam non possit recipere; Christus enim habens scientiam infusam rerum omnium, etiam acquisivit scientiam experimentalem. Neq; sequitur, opinio vel fides superveniens scientiæ non potest intellectum magis illustrare (quamvis & illum magis possit illustrare, si non intensivè in eodem genere luminis, saltem quasi extensivè, & in

alio genere luminis) ergo est superflua; visio enim non beatifica non potest intellectum Beatorũ magis illustrare de objectis cognitis per visionem beatificam, & tamen non est superflua, sed eâ utuntur Beati pro libitu. Neq; sequitur ex dictis fidē posse naturaliter stare cum visione beatifica, quia totum motivum fidei, quod est auctoritas Dei & revelatio, clarè & evidenter repræsentatur, & hinc non manet obscuritas ex parte objecti motivi essentialiter ad fidem requisita.

XI. Potest etiam unus idemqùe actus esse opinionis, fidei, scientiæ, dum nimirum intellectus uno indivisibili actu assentitur objecto propter plura motiva, quorum unum est probabile, alterum certum & evidens, tertium auctoritas dicentis, utì & tales actus mixti dantur in voluntate eliciti ex diversis motivis, v. g. Obedientiæ, Temperativæ, Charitatis. Observandum tamen est, talem actum non conflari ex diversis speciebus sibi oppositis, cùm sit specie distinctus à scientia purè tali, item à fide purè tali, habeatq; propriam suã differentiam, per quã constituitur in specie actuum mixtorum, sed æquivalenter esse fidē, scientiam, opinionem,

&

& in quantùm transcẽdentaliter respicit motivum scientificum, dici sciẽtiam, in quantùm respicit motivum probabile, dici opinionem, in quantùm respicit simul motivũ scientificũ & probabile, differre à scientia opinione &c. Erit autem talis actus præcisivè tantùm & secundùm quid, nimirum consideratus, ut procedit ex motivo fidei, vel opinionis, inevidẽs, &nõ erit inevidens negativè, id est, actus, qui simpliciter caret evidentiâ, è contra erit simpliciter evidens; quia evidẽtem esse, est denominatio positiva, esse inevidentẽ, est denominatio negativa, adeoq; si simpliciter dicatur, negat omnẽ claritatem, si dicatur secundùm quid, tantùm negat claritatẽ provenire ex isto motivo opinionis. Erit item hic actus formidolosus radicaliter secundùm quid tantùm, si per actũ formidolosum intelligas actum carẽtem certitudine, erit simpliciter talis, si per formidolosum intelligas respectũ ad ejusmodi motivum, quod, si solum concurreret, refunderet in illum formidinem radicalem; sic enim formidolositas est prædicatum positivum: quare autem talis actus propter motivum probabile non sit dicendus simpliciter inevidens, sicut conclusio secuta partem debi-

debiliorem, unâ præmissarum probabili, est simpliciter probabilis, hæc est ratio, quia hic actus dependet à duabus vel tribus connexionibus extremorum cum duobus, vel tribus mediis; conclusio autem dependet ab una connexione medii cum extremis tanquam indivisibili motivo. Poterit quoq; in hoc casu motivum inevidens producere actum certum & evidentem in sensu materiali, etsi hic ut evidens non procedat à tali motivo, sicut intellectus producit actum supernaturalem, sed non ut talem: dici quoque poterit in eodem sensu: opinio est certa &c. Indigebit item hic actus imperio voluntatis, in quantùm est assensus ex pluribus motivis simul; imperare enim poterat intellectui, ut propter unum motivum tantùm assentiatur. Habitus deniqùe à tali actu generatus inclinabit ad similes actus mixtos: ad illum autem actum primò eliciendum concurrunt diversi habitus fidei, opinionis, scientiæ; ad eliciendum secundò habitus talis mixtus, à tali actu mixto generatus.

* * *
* *

PHYSICA.

TAmetsi versetur Physica circa res generabiles & corruptibiles, nihilominùs scientia est, dum eas secundùm prædicata universalia necessariò inter se connexa examinando, multa de objecto suo per causas necessarias demonstrat; neque enim objecti incomplexi corruptibilitas obstare debet scientiæ. Absolutè speculativa est, utpote in objecti seu pura contemplatione subsistens. Objectum illius primarium & attributionis est corpus naturale, prout hoc significat substantiam completam, corpoream, constantem principio motus & quietis: quale quid minùs distinctè exprimitur per ens mobile; hoc enim etiam substantiis incompletis, imò rebus accidentalibus convenit. Objecta attributa sunt corporis naturalis proprietates, principia, causæ & cætera, quæ unà cum corpore naturali, in cujus gratiam, & ad cujus meliorem notitiam considerantur à Physica, objectum ejusdem integrant adæquatum. Ratio verò formalis, quæ hoc objectum materiale ad considerationem physicam restringit, est naturalitas; quæ quia est, benequè exprimit principium radicale tam motus quàm quietis, pro radice prima proprie-

tatum de objecto suo à Physica demonstrabilium assignatur meliùs, quàm mobilitas, quæ præter quam quòd formaliter mobile à mobili radicaliter non secernat, accepta etiam radicaliter, ad hùc non exprimit, nisi principium motus solùm.

DISSERTATIO PRIMA

De Principiis corporis naturalis in genere.

I. PRincipium latissimè sumptum, pro u convenit principiis tã productivis seu extrinsecis, quale est causa efficiens, quã constitutivis intrinsecis, quale est materia respectu compositi; tam cognoscitivis, quale est quidlibet ducẽs in cognitionẽ alterius, quàm quibuscunq; rerum initiis, definitur ab Arist *unde aliquid est, fit, aut cognoscitur*: importa prioritatem quamcunq; & unius cum altero connexionem, sive unius, ex alio quamcunq; consecutionem. Principia corporis naturalis intrinseca dicuntur: *quæ neque ex se invicem, nec ex aliis, ex ipsis autem fiunt omnia*: intelli ge, composita substantialia materialia, qua ordinario modo & per causas efficientes se-

cun-

cundas in hoc mundo producuntur; accipiendo τὸ *omnia* juxta accommodam distributionem, nempe quòd omnia in communi accepta composita fiant ex omnibus in communi principiis, singula verò composita ex suis in particulari principiis: unde principium in singulari definiri potest: *quod non est ex alio, ex ipso autem fit corpus naturale.* Porrò particula *ex* tertiò repetita ubiquè in eodem sensu est accipienda, ut sensus sit hic: principia sunt, quæ neque fiunt ex se invicem, neq; ex aliis in eodem principiandi genere, in quo sunt principia, & ex ipsis in eo genere, in quo sunt principia, fiunt omnia; sic v. g. privatio non fit ex alio termino privativo à quo, nec materia ex alio tanquam subjecto &c. & ex privatione tanquam termino privativo à *quo*, ex materia tanquam subjecto fiunt omnia. Vel etiam ut sensus sit hic: principia sunt, quæ neque ex se invicem sunt, neque ex aliis tanquam ex principiis elementaribus, physicis & essentialibus, ex ipsis autem tanquam ex principiis elementaribus (quale dicitur illud, cujus essentia est indivisibilis in plura entia specie distincta, quodquè inexistit principiato, ut ejus con-

stitutivum essentiale physicum) fiunt omnia
Unde nec materia est principium formæ; li
cet enim hæc, si materialis est, fiat ex materia
eductivè, non sit tamen ex ea compositivè
tanquam ex principio elementari inexistente
materiæ: neque partes integrantes sunt prin
cipia totius, quia ad principium elementare
requiritur, ut sit pars essentialis totius: nequ
elementa sunt principia mixtorum; quia &
ipsa componuntur ex materia & forma, in
super non inexistunt mixtis formaliter.

II. Principia corporis naturalis in fieri p
mutationem, seu principia generationis, n
quantùm est mutatio, terminativè accepta
(generationis enim seu mutationis causaliter
acceptæ, sive ipsius actionis generativæ, ut
pote entitatis omnino simplicis, nulla dan
tur principia intrinseca physica) sunt tantùm
tria: *Materia, Forma, Privatio.* Ratio est
quia tot præcisè sunt partes elementares seu
constitutivæ hujus totius quod dicitur cor
pus naturale in fieri per mutationem, seu ge
neratio mutativa terminativè accepta, &
definitur; esse transitus à non esse formæ a
esse formæ; hìc enim est necessariò subje
ctum, quod transit, & hoc est materia; e
term

terminus privativus, à quo transit & is est privatio formæ (ut enim materia censeatur mutari, seu corpus naturale fieri per mutationem, essentialiter requiritur, ut producatur aliquid, cujus privatio immediatè ante inerat materiæ) est deniqùe terminus positivus, ad quem transitur, & hic est forma: quæ licet sit quid posterius generatione causaliter acceptâ, utpote per quam producitur, non est tamen quid posterius generatione adæquatè, & objectivè seu terminativè acceptâ; hujus enim pars est intrinseca, & non effectus, adeoqùe principium. Hinc liquet, præter hæc tria constitutionem hujus totius non ingredi carentiam veteris formæ, cùm vera adhuc intelligi queat mutatio, etsi forma nulla præcessisset in materia, aut etiam forma vetus cum adveniente nova perseveraret. Neque dispositiones; nam & sine his subsistit mutatio, in quo casu tamen principiaret privatio remota. Mirum autem non est, quòd privatio, quæ est non ens, unâ cum opposita sibi forma constituat hoc totum, quod ex parte tantùm est positivum, item quod est successivum, parteſqùe suas habet unione physica non unitas; ad hæc ratio

principii abstrahat ab ente & non ente, adeoque utrique sit communis. Quod si Arist. privationem vocat principium per accidens, respectu corporis naturalis in facto esse vult esse talem.

III. Principia corporis naturalis in facto esse sunt hæc duo tantùm, *Materia & Forma*; ex his enim duobus tantùm componitur corpus naturale in facto esse. Nam subsistentia non requiritur ad corpus naturale complendum in ratione corporis naturalis, sed tantùm in ratione suppositi; imò dici potest, subsistentiam materiæ cum materia, subsistentiam formæ cum forma constituere unum totale principium; Unio autem, cùm sit ratio formalis, per quam dicta duo principia in actu secundo principiant, non magis diversum ab iis constituit principium, quàm actio seu causalitas causæ efficientis constituat principium extrinsecum diversum à causa efficiente.

* * *
* *

DIS-

DISSERTATIO SECVNDA

De Privatione.

I. PRIVATIO ut intelligatur meliùs, de negationibus quoquè tractandum est. Dantur itaq; negationes necessariæ & intollibiles (quales sunt negationes rerū impossibilium) à rebus positivis distinctæ, iisq; contradictoriè oppositæ; tales enim negationes sunt negatio Chymæræ, negatio identitatis Petri cum lapide, quæ nulli enti positivo identificantur; nam entia positiva v. g. lapis per suam entitatem non est negatio Chymæræ; aliud quippe est dicere: *Lapis per suam entitatem non est, vel est non chymæra*; aliud: *Lapis per suam entitatem est non esse, seu negatio chymæræ*: hoc postremum falsum esse, inde patet, quod existentia lapidis præcisè non obstaret, quò minùs posset cum illo existere chymæra, dummodò hæc aliundè non implicaret: similiter aliud est dicere: *Petrus per suam entitatem non est idem cum lapide, vel est non lapis*, aliud: *Petrus est negatio identitatis cum lapide*; quæ negatio necessariò tantùm resultat ex entitate Petri; unde & hic dici

posset negatio fundamentalis hujus identitatis. Dantur quoque negationes contingentes & tollibiles, seu rerum contingentium à rebus positivis distinctæ; tales enim sunt, negatio visus, negatio alterius mundi &c. quæ si identificarentur rebus possibilibus, sensus harum propositionum: *Iam est negatio alterius mundi: negatio visus inest lapidi &c.* esset hic: *jam alter mundus est possibilis: visus possibilis inest lapidi,* quas patet esse propositiones diversissimas. Si dicas, identificari rebus purè possibilibus; contra est, quòd *illud*, quod pura possibilitas dicit præter possibilitatem, sit negatio actualis existentiæ. Si dicas, esse res possibiles, quatenus de illis formari potest propositio negativa vera; contra est: quòd hæc propositio: *alter mundus non existit:* ideo vera sit, quia est conformis objecto, sive quia reverà existit negatio alterius mundi. Si dicas, esse res possibiles, quatenus connotant nolitionem Dei nolentis illas existere; contra est, quòd hæc voluntas, utpote actus Dei liber, debeat habere objectum, per quod compleatur in ratione liberi, quod hìc aliud non est, quàm negatio mundi alterius. Neque hinc sequitur, objectum pro-

positio-

positionis negativæ fore negationem, adeoque diversum ab objecto propositionis affirmativæ, & sic nunquam dandas contradictorias, quæ sunt de objecto eodem; quia objectum propositionis negativæ esse quoque identitatem, & non negationem (aliàs negaretur negatio, & sic propositio foret affirmativa) tradidimus in Logica. Neque sequitur has duas propositiones: *Antichristus jam est per se ipsum*; *Antichristus jam non est per se ipsum*: fore contradictorias simul falsas; quia posterior non est prioris contradictoria, cùm sit ex parte affirmativa; non enim tantùm negat, Antichristum jam existere, sed etiam affirmat, hoc *non existere* Antichristi convenire illi per seipsum. Dum autem Scriptura de tenebris loquitur veluti de ente positivo, loquitur metaphoricè. Dum Arist. inquit: privationem esse unam numero cum materia, non vult, illam identificari materiæ, sed non esse aliquid extra materiam existens. Dum privatio dicitur intendi, intelligi debet, intendi illam, non ratione sui, sed ratione formæ, pro ut pluribus vel pauciori-bus gradibus formæ privat. Dum privatio in concreto affirmatur, v g. *homo est cæcus*:

affirmatur quidem purum nihil de subjecto positivo, sed expressum per vocem negantem certam tantùm speciem entis, & non per vocem negantem omne ens, qualis vox est *nihil*, quæ proinde de subjecto positivo affirmari nequit.

II. Negatio in genere est carentia entis positivi; pro ut opponitur privationi, est carentia formæ in subjecto inepto. Privatio est carentia formæ in subjecto apto, vel potiùs, est carentia unionis formæ cum subjecto apto; licet enim forma esset in subjecto, dummodò illi non uniretur, diceretur adhuc bene subjectum privatum tali formâ. Unde patet, privationem in obliquo importare capacitatem subjecti, vel tanquam intrinsecum sui constitutivum, vel ad minimùm tanquam terminum, ad quem dicat relationem quasi transcendentalem. Diversitatem non tantùm numericam, sed etiam specificam desumunt privationes, non tantùm à diversis numero vel specie subjectis, quibus suo modo insunt, sed vel maximè à formis, quibus opponuntur, specie vel numero tantùm diversis; ratione quarum quoquè aliâ est privatio substantialis, alia accidentalis; & pro ut sub-

subjectum proximè vel remotè capax est, uniri cum tali forma, alia est privatio proxima, alia remota.

III. Tollitur privatio positivè per unionem formæ oppositæ cum subjecto; negativè per destructionem subjecti capacis, & privatio proxima per ablationem dispositionum proximarum. Positâ autem re in uno loco, perit opposita illi negatio ubiquè, quod, si non fieret, res eadem simul erit simpliciter, & non erit simpliciter; est simpliciter; ad hoc enim sufficit, ut sit alicubi; non erit simpliciter; quia ejus negatio erit alicubi; sicut enim ad hoc, ut res sit simpliciter, sufficit, ut sit alicubi, sic ad hoc, ut non sit simpliciter, sufficit, illius negationem esse alicubi. Ex eo itaquè, quòd Petro tantùm existente Coloniæ, ille non sit Romæ, non sequitur, negationem Petri fore Romæ; sed negationem ubicationis Petri fore Romæ; eodem modo, ex eo, quòd posita ubicatione Petri Coloniæ, tollatur negatio hujus ubicationis Colonienſis etiam Romæ & ubiquè, non sequitur, ubicationem Colonienſem Petri fore Romæ; quia ubicationem Colonienſem esse Romæ, præter

existentiam ubicationis Colonienſis dicit aliquid, per quod ubicatio Colonienſis ſit, vel defigatur Romæ, nempe coëxiſtentiam ſpatii Romani & ubicationis Colonienſis.

IV. Exiſtit privatio proxima immediatè ante generationem cauſalem, ſeu quando omnes diſpoſitiones, exceptis iis, quæ una cum forma inducuntur) ſunt in materia ad formam ſequentem; exiſtere enim non poteſt eo inſtante, quo fit corpus naturale, ſeu quando eſt generatio, quia tunc eſt forma illi oppoſita. Principiat quando primò eſt compoſitum ſeu generatio, & conſequenter quando ipſa privatio primò non eſt, ſeu definit; quod enim ſe habet per modum tranſeuntis, ſeu termini, à quo receditur, quodquè inexiſtit fluenter toti alicui fluenti ſeu ſucceſſivo, eiquè morali tantùm, ſeu non habenti partes ſuas omnes invicem unione phyſica multòque minùs permanente unitas quale eſt hoc totum; *corpus naturale in fieri per mutationum*; adeoquè dicit plura inſtantia (etſi generatio aliqua cauſaliter ſumpta, ſeu in quantùm præcisè eſt productio formæ, ſit inſtantanea) opus, inquam, non eſt, ut illud exiſtat tunc, quando dictum totum

exiſti

existit adæquatè seu secundùm ultimam sui partem, ut videre est in primo quadrante horæ, qui utiqùe horæ inexistit. & tamen præteriit, quando hæc est completè. Non sequitur itaq; privatio est actu principium pro instanti generationis, ergo tunc est: axioma enim illud: *verificata propositione de tertio adjacente, verificatur propositio de secundo adjacente*: non tenet in rebus privativis, successivis, essentialibus; sic malè infero: primus quadrans est initium horæ completæ, ergo est, dum hæc completur: item: homo moritur, sive est moriens, ergo est: hæc enim, utì & ratio, actualis principii transeuntis, important disinere & destructionẽ rei, de qua dicuntur; unde etsi sint prædicata actualia, non supponunt tamen actualem suorum subjectorum existentiam. Dum autem dicitur primò: generationem immediatè sequi post privationem, intelligendũ est de generatione causali, vel quòd hoc totum morale successivũ: *corpus naturale in fieri per mutationem*: completè acceptum sequatur desitionẽ suæ primæ partis, sicut hora completè accepta pro ultimo minuto sequitur desitionem primi quadrantis. Dum dicitur secundò; privationem prin-

cipiare desinendo, intelligendum non est, quòd ratio formalis principiandi privationis sit illius non esse seu desitio (aliàs forma foret ratio principiandi privationis, cùm esse seu introductio formæ sit formalissimè non esse seu desitio privationis) sed quòd desitio sit mera conditio ad hoc, ut actu principiet privatio, necessaria: ratio autem principiandi privationis sit ipsum esse privationis tendens ad non esse, seu importatum in ratione, recedentis, & principiet per suũ esse desinens, & non per desitionem sui esse. Dum deniq; dicitur: privatio principiat, quando primò est forma seu compositum, ergo non principiat corpus naturale in fieri; hoc enim tunc est in facto esse; malè concluditur, cùm fieri rei non dicat instans antecedens factum esse rei, sed tantùm præter factum esse dicat processionem rei extra causas, seu qualiter res procedat ad suum esse à non esse formæ, ubi necessariò facienda est mentio alicujus, quod nequit existere pro eo instante, quo res primò est in facto esse, principiare tamen potest rem eo instante; quia principiatio privationis & principiatio materiæ & formæ est simultanea.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA

De materia prima.

I. MATERIA prima datur ut suppono, cùm quotidiè ab agentibus naturalibus multa de novo fiant, v.g. ex ligno ignis, ex igne cinis &c. sed hæc non fiunt ex nihilo; ex nihilo enim nihil fit, ergo ex aliquo subjecto, & hoc est materia prima; dicere hìc, illud, quod ita transit ab una forma ad aliam, esse aliquod mixtum ex quatuor elementis, est admittere aliquod subjectum; insuper, ubi elementa in se invicem convertuntur, v.g aqua in aërem, ibi saltem pro subjecto communi assignari non potest tale mixtum. Creatur illa à solo Deo; quia si generaretur, non esset subjectum primum: unde etiam est, quòd non possit corrumpi; corrumpi enim in rigore dicitur illud, quod est in subjecto, & quia ex eo pellitur, perit vel etiam est, quod pereunte subjecto perit quoquè, ut compositum. Neqùe dicetur materia corruptibilis propter uniones suas integrales corruptibiles, sicut homo dicitur absolutè corruptibilis propter unionem essentialem, corruptibilem; licet enim sine

aliquibus indeterminatè unionibus integralibus esse nequeat materia, non tamen hæ magìs sunt de ejus essentia, quàm ejus ubicatió & duratio.

II. Definitur ab Arist. quòd sit *subjectum primum* (in quo convenit adhuc cum Angelis, disconvenit cum formis, quæ sunt subjecta secunda suorum accidentium) *cujuscunque rei* (id est, cujuscunque formæ) *ex quo, cùm insit, fit aliquid per se*; (id est, ex quo inexistente fit compositum substantiale) *& si aliquid corrumpatur, in hoc abibit ultimò*: quæ verba solius explicationis majoris gratiâ adjiciuntur. Ab aliis breviùs hoc modo: *materia est substantia incompleta, receptiva formarum, tanquam subjectum simpliciter primum.*

III. Sicut habet essentiam propriam ab essentia formæ distinctam, sic etiam habet existentiam suam ab existentia formæ distinctam; essentiæ enim rerum & existentiæ non distinguuntur; aliàs existentia, utpote ens distinctum ab essentia, suam haberet essentiã, & hæc essentia existentiæ vel est indistincta ab existentia, cujus est essentia, & existit per se ipsam; vel distinguitur ab ea, & existit per superadditam sibi aliam existentiam; si prius; habe-

habetur jam aliqua essentia existens per se ipsam, & indistincta ab existentia; si posterius, abitur in infinitum. Præterea essentia materiæ existit per seipsam formaliter; quia non tantùm existentia aliqua essentiæ materiæ superaddita, sed ipsa quoquè materiæ essentia immediatè terminat actionem, quâ materia ex nihilo in rerum naturam protrahitur; neque enim ipsæ essentiæ, dum res producuntur, pergunt hærere in puri nihili statu; neq; solâ distincti entis, existentiæ nimirum, affixione possunt intrinsecè transire à non esse ad esse. Demum essentia posita extra causas, & actu subsistans existentiæ, separata dein realiter, vel mente præcisa ab hac existentia, vel manet in se prorsus invariata eo modo, quo erat ante positionem sui extra causas, & tum, si ab æterno fuit purum nihil, manet purum nihil, postquā tamen posita est extra suas causas, & sic proscribitur omne esse actuale intrinsecum à rerū essentiis: & quâ ratione hoc purum nihil materialiter causabit suā existentiā? si autē ab æterno fuit ens actu, manet ens actu: vel non manet intrinsecè invariata, & sic ut distincta ab existentia secundùm se & per se relinquit statum puri nihili, & transit ad existentiam.

IV. Jam verò concesso, essentiam materiæ ab ejusdem existentia distingui realiter, adhuc non existit materia existentiâ formæ; sic enim (cùm unitas rei secundùm Thomistas desumatur ab existentia rei) non transibit eadem numero materia ab una forma ad aliã, ut inquit Arist. sed toties erit alia, etiã specie materia, quoties acquirit aliam specie existentiam seu formam. Item existentia materiæ in homine erit spiritualis, quia talis est ejus forma seu anima, quod est contra D. Thomam l. 2. extra gentes c. 56. docentem, existentiam materiæ in quolibet composito esse materiale. Insuper eâdem actione produceretur materia & forma; quia juxta Thomistas essentia & existentia rei eâdẽ indivisibili actione ponuntur extra causas; & producens formam censeretur quoq; producere materiam; quia rem producere, est existentiã rei producere; imò causaret materia se ipsam utpote causans suam existentiã, dum materialiter causat formã, quin & hanc causaret physicè antequam intelligeretur existere. Existeret existentiâ sui effectus, adeoq; hoc naturâ foret posterior. Neq; posset Deus destruere materiã manente formâ, utpote cujus sic in rerũ natura sem-

per

per perſeveraret exiſtentia. Ut verò hæ rationes vim ſuã retineant, ſic formanda erit hæc ſuppoſitio diſtinctionis eſſentiã inter & exiſtentiam rei; ut eſſentia tanquã pura potentia ad omnẽ actualitatẽ, de ſe nihil habens actualitatis diſtinguatur ab exiſtẽtia, quæ ſit tota rei actualitas; ſi enim ponatur eſſentia ſuam quoq; habere diſtinctã actualitatẽ & terminari à diſtincta actione, ſequitur quidẽ bene, ſupervenientẽ exiſtentiã formæ eſſe fruſtraneã ad reddendã præcisè materiã exiſtentem, nihilominùs infirmantur hæ rationes, ut examinanti patebit. Vult itaq; D. Tho. materiã ſine forma non debere dici ens in actu, intellige, formali; & Ariſt. dum illam vocat purã potentiam nullũ includentẽ actum, nõ vult, eſſe illam puram potentiam logicã ſine omni actu entitativo, ſeu exiſtentiâ, ſed ſine omni actu formali ſeu formâ. Dumq; forma ſe ſuamq; exiſtentiã cõmunicat materiæ, & cum materia ejuſq; exiſtentia incompleta conſtituit unã exiſtentiam completã compoſiti, recipitur quidẽ immediatè exiſtentia formæ in materia ſecundũ nos, qui exiſtentiã formæ ab ipſa forma non diſtinguimus, nõ denominat tamen materiã exiſtentem; ſicut ſpiritualitas

animæ ab anima indistincta, immediatè re cepta in materia non denominat eam spiritualem, aut materialitas formæ ignis materialem; non enim potest superveniens rei jam existenti alia existentia denominare eandem existentem, cùm communicare existentiam primò, formaliter sit ponere rem extra nihilum quæ immediatè ante erat nihil, (qualiter actio conservativa non communicat novam existentiam, sed conservat, seu pergit producere, & ponere extra nihil rem ejusqùe primam existentiam;) neque etiam in talibus denominationibus consistit effectus formalis.

V. Materia, quantùm est de se, naturaliter, potest existere sine omni forma substantiali, sive conservatio materiæ absq; forma est eidem naturalis, & ejusdē rationis cum conservatione, quâ conservatur conjuncta formæ, utpote etiā in isto casu adhuc debita materiæ & ab ea exigibilis; sicuti cōservatio ignis sine calefactione non est eidē supernaturalis, etsi negatio concursus ad calefactionem debiti & impeditio effectus sit eidē supernaturalis, vel potiùs violenta: neq; enim statim cōservatio, quâ conservatur res in statu, in quo naturaliter esse non potest, id est, ad quem sine miraculo

culo religi, & in quo sine violentia esse non potest, est rei conservatæ supernaturalis, sed ea tantùm, quâ conservatur in statu, in quo naturaliter, id est, sine miraculo existere nequit: materia autem existere nequit sine omni forma absque miraculo, si τὸ *existere* significet primam ejus ab omni forma separationem, secus, si τὸ *existere* significet ejus conservationem supponentem jam istam primam separationem. Imò hæc ejus conservatio ne quidem ei erit violenta, etsi impeditio agentium naturalium à producenda forma, & his agentibus, & ipsi materiæ sit violenta. Hujus rei totius ratio est; quia nec à priori, nec à concomitante, nec à posteriori materia dependet à forma: non primum, cùm forma in nullo genere sit causa materiæ: non secundum, cùm hæc dependentia sit inter ea, quorum neutrum est causa alterius, uni tamen absque altero non debetur conservatio, cujus contrarium in materia jam vidimus: non tertium, cùm hac ratione ab aliquibus dicatur dependere tantùm causa necessaria & adæquata à suo effectu, qualis nõ est materia respectu formæ; imò cùm hæc dependentia à posteriori probabiliùs sit fictitia; quia causa

naturâ prior suo effectu, pro isto priori jam esse & existere intelligitur cũ omnibus ad su existentiã requisitis; quòd autẽ causæ quæ existere sine suo effectu, qui hìc & nunc exig necessariò procedere à talibus causis, sive a ejus productione impediri nequeant sine mi raculo, aut sine illata illis causis à causa prim violentiâ, non importat taliũ causarũ depen dentiã à posteriori à tali effectu, aut quòd n exigant sine illo conservari. Jã verò, quòd n turaliter separari nõ possit ab omni forma, i de est, quòd agentia naturalia formam vete substãtialẽ expellere nequeãt sine introduct dispositionibus ad formã novã, quæ quand sunt, naturaliter producitur forma nova; un de etiã, si quandoq; agẽtia inducant dispos tiones sufficiẽtes, ad formę veteris expulsion & nondũ sufficiẽtes ad introductionẽ nova quã ultimatè intendit natura, inducitur for ma tertia, ut videre est in forma embryonis.

VI. Supernaturaliter nihilominùs spoliar potest materia omni formą; si enim accident tia dependentia à priori à subjecto possint ec privari supernaturaliter, multò magìs mate ria formis, à quibus nulla ratione dependet imò in eo casu ampliori concursu conserva

tiv

tivo Dei non egeret, cùm non ſubtrahatur illi hac ratione ulla cauſa naturalis. Ad hæc materia non eſt eſſentialiter actu compars, aut dicit reſpectum tranſcendentalem ad formas ut ſibi actu inexiſtentes. Neqùe ceſſat in hoc caſu finis adæquatus materiæ, ſed tantùm inadæquatus, etſi primarius, nimirum recipere formas. Neqùe eſſe ſubſtantiale eſſentialiter includit formam, ſicut eſſe accidentale, quod eſt ipſa forma; neqùe aliunde eſt ulla implicantia peculiaris, qualis eſſet in eo, ſi ſpoliaretur materia omni forma accidentali & conſequenter ſua etiam duratione & ubicatione. Et ſubſiſtunt hæc adhuc, etſi Thomiſtis detur, materiam naturaliter exiſtere exiſtentiâ formæ; poſſet enim materia adhuc aliunde ſupernaturaliter habere ſuam exiſtentiam; ſicut de facto ſecundùm illos corpus Chriſti (quod naturaliter deberet exiſtere exiſtentiâ animæ) exiſtit exiſtentiâ Perſonæ divinæ.

VII. Materia prima non eſt potentia pura logica (quæ eſt mera non repugnantia ad exiſtendū, connotans in obliquo negationem actualis exiſtentiæ) nullum includens actum

entitativum, ut patet Neqùe est pura potentia metaphysica, id est, merus gradus generi cus nullum includens actum metaphysicum id est, differentiam metaphysicam. Neqùe est ita pura potentia passiva physica, ut excludat omnem potentiã activam physicam; ad minimùm enim est emanativa suarum proprietatum; sed est potentia pura passiva physica nullum includens actum physicũ seu formã Potentia autem hæc passiva remota, seu receptiva formarum, non est accidens aut proprietas materiæ superaddita; sed ipsa materia entitas; est siquidem illud, per quod materia concurrit tanquam pars materialis ad constituendum compositum substantiale, & in quo immediatè recipit formas substantiales, quæ præstare non potest accidens. Neqùe hæc potentia remota materiæ ad aliquas formas perit aliquando, etsi pereat potentia ejusdem proxima v. g. ad formas semel corruptas. Neqùe tot sunt hæ potentiæ passivæ materiæ, quot sunt distincti & inadæquati in particulari actus, seu quot sunt formæ; sed tot, quot sunt actus adæquati, qui unus tantùm est, à quo potentia hæc materiæ specificatur, nimirum forma naturalis in

in genere, sive tota collectio formarum. Neque his obstat, quòd potentia activa physica quandoq; sit accidens, & causa efficiens medio, vel simul concurrente accidente causet, cùm potentia activa non faciat unum per se, seu compositum substantiale cum suo effectu, quale debet facere potentia passiva materiæ cum suo actu primario; propter quam eandem rationem falsum est, quòd forma substantialis recipi debeat in isto subjecto, in quo immediatè recipiuntur dispositiones ad illam, quod est quantitas. Et quidem est de conceptu formali essentiali primo materiæ, esse potentiam receptivam formarum substantialium, per hunc enim conceptum primò distinguitur ab omni alio. Neq; priùs est, materiam esse partem determinabilem compositi; in hoc ipso enim concepturelucet, esse potentiam passivam, cùm determinari nequeat, nisi recipiendo dererminativum. Neque, ubi potentia identificatur rei, priùs naturâ est esse, quàm operari, aut pati posse. E contra, esse potentiam receptivam formarum accidentalium, est quidem de conceptu essentiali physico; quia sublatâ potentiâ recipiendi formas accidentales, non

minùs periret materia, quàm sublatâ potentiâ recipiendi formas substantiales; non est tamen de conceptu primo metaphysico materiæ, sed ejus veluti proprietas metaphysica.

VIII. Ratio hujus potentiæ passivæ seu subjecti, pro ut communis est subjecto informationis tantùm, & sustentationis simul, bene statuitur in eo, quòd quid sit indifferens ad aliud, antecedat illud, adeoq; ab eo sit perfectibile (cum enim natura ab imperfectioribus ad perfectiora, maximè in productione cõpositi, progrediatur, eo ipso, quòd materia præsupponatur ad formam, magìsq; distet a composito, quàm forma, cùm nequeat transire ad compositum, nisi priùs habeat formam, cẽsetur se habere ut perfectibile ad formam) perinde autem est, sive hæc indifferentia & antecedentia sit realis, temporis (qualis est materiæ respectu formarum materialium primâ exceptâ) sive sit naturæ, sive secundùm nostrum concipiendi modum, quo intelligitur semper forma superveniendo materiæ illam perficere, & qualiter nunquam materia intelligitur perficere formam, etsi hanc quoq; compleat; imò etiamsi crearetur post formam jam existentem, nam & in hoc

hoc casu forma adhuc exigeret produci superveniẽdo materiæ, & materia præcedendo formam, etsi hic ordo miraculosè inverteretur. Etsi igitur subjecta secundùm se considerata defædentur quandoq; à formis, ut intellectus ab errore, perficiuntur tamen ab iisdem spectata in ordine ad compositum.

IX. Desumit materia suam specificationem ab eodem vel diverso ordine ad easdem aut diversas formas, ita ut ea censeatur specie differre ab altera, quæ potest recipere formas, quas non potest recipere altera, quòd quia de facto non est, rerum sublunarium materiæ sunt ejusdem speciei; & sic homo ab equo non differt totaliter, id est, secundùm utramq; partem: sic quoq; materia est species infima, metaphysicè ulteriùs non contrahibilis, etsi physicè ad varia composita contrahatur per formas. Quò minùs verò possibilis sit materia specie distincta ab ea, quæ de facto datur, eâq; imperfectior, nil vetat: non enim materia est absolutè ens imperfectissimum, aut omne genus imperfectionis includens, sicut actus purus sive Deus includit omne genus perfectionis, adeoque hoc alius actus purus perfectior dari nequit.

X. Ap-

X. Appetitus, quo materia appetit formas, non est elicitus; quia non est actus animantis, sed innatus & metaphoricus; qui non appetit formas perfectiores præimperfectioribus, cùm per omnes æquè assequatur suum finem, qui est constituere cum forma compositum; licet enim cum perfectiore compositum constituat perfectius, non constituit tamen magis perfectè compositum; adhæc ratio illa majoris boni (ad finem obtinendum tamen non magis idonea;) non apprehenditur ab appetitu innato. Appetitu remoto & indeterminato per modum amoris & simplicis complacentiæ fertur in omnes formas etiam corruptas (non quidem collectivè, seu omnes habendi simul, sed disjunctivè, id est, hanc vel illam habendi) abstrahendo veluti ab earum præsentia & absentia; respectu enim omnium est potentia passiva (etiam illius, quam de facto habet, quamvis non sit pura potentia ad illam, id est, connotans negationem actualis unionis illius secum) & omnes hæ formæ sunt bonum illius naturaliter acquisibile, etiam semel corruptæ; hæ enim cùm nullum ex prædicatis suis essentialibus perdiderint, naturali-

ter

ter quantùm est ex ipsis, reproduci possunt: quòd autem de facto reproduci nequeant, est ex decreto Dei, statuentis ad majorem universi varietatem formam semel corruptam non reproducere, quæ extrinseca rei impossibilitas, repræsentata etsi obstet quò minùs feratur in rem illam appetitus elicitus efficax, non obstat tamen, quò minùs feratur in illud bonum ex se adhuc obtinibile appetitus naturalis, inefficax & indeterminatus: Estque illa solùm potentia frustranea, quæ ex defectu principiorum sibi intrinsecorum redigi non potest in actum. Illam formam solam appetit appetitu gaudii & fruitionis, quam possidet; illa enim sola bonum est præsens. Illam solam appetit appetitu desiderii determinati & efficacis, ad quam est proximè depositа. Habens unam formam reliquas adhuc appetit indeterminatè, nō quidem desiderando illas pro tunc, sive conjungendas sibi in sensu composito formæ, quam habet, sed habendas pro alio tempore & in sensu diviso, nimirum perditâ illâ, quam jam habet; appetitus enim hic remotus materiæ est insatiabilis, licet proximus satietur per unam formam; neque hoc modo desiderandas

rando alias, desiderat illius, quam num habet destructionem. Et hæc quidem om nia conferendo appetitum innatum (cu de cætero nec absentia, nec præsentia re præsẽtatur, utpote qui inanimatus est) meta phoricè cum elicito; à quo differt etiam in hoc, quòd hujus tendendi modus, adeo- qùe ipsa entitas mutetur, repræsentatâ præ sentiâ vel absentiâ boni; ille verò semper manet idem secundùm rectum, & mu tatur tantùm secundùm obliquum, pro uti nobis dicitur nunc ferri in bonum præsens nunc in absens.

DISSERTATIO QVARTA

De Forma.

I. *Forma est substantia simplex* (intellige, simplicitate physicâ, utpote nullis constans partibus essentialibus physicis; non metaphysicâ, utpote constans genere & differentiâ) *& incompleta, quæ per modum actus constituit cum materia unum per se*: Non est tota quidditas compositi; hoc enim est ens completum habens partes, quæ non conveniunt formæ: & essentiæ rerum consistunt quidem in indivisibili, sed non per modum puncti

puncti vel unitatis, sed per modum numeri, cujus partibus nihil demi aut addi potest, quin pereat ratio numeri istius. Neq; itaq; illud est tota rei essentia, per quod ultimò distinguitur specie ab omni alia re, quale quid est forma. Neq; illud, quod est principium adæquatum aliquarum operationum, sed illud, quod est adæquatum principium operationum omnium, quale quid non est forma. Etsi autem ex eo, quòd materia quoq; pertineat ad essentiam, bene sequatur, hominem senem non fore eundem physicè secum puero, utpote cujus materia, qãu habebat puer, paulatim vi caloris naturalis consumpta est, aliâ substitutâ per nutritionem, (quod idem etiam formis materialibus evenit) erit tamen adhuc idem moraliter homo, cùm paulatim & imperceptibiliter pereant istæ partes materiæ, & ita per continuatam successionem succedant novæ, & quidem ejusdem rationis, & non nisi in instaurationem partium pereuntium, ut Petrus v. g. singulis momentis dicere possit: *hæc est mea materia*, quod quia non fit in eo, qui subito perderet totam materiam, aliâ totâ mox substitutâ, dicetur & physicè & moraliter alius homo.

II. For-

II. Forma hominis ex nihilo subjecti, se ex non præexistente subjecto materialit causante producitur seu creatur; respect cujus proinde sustentandæ materia non ha bet potentiam passivam, etsi hanc habeatu spectu ejusdem recipiendæ, ad quod suffici dari potentiam activam naturalem unientem illam materiæ; quamvis & Deus in creation animæ gerat se ad modum agentis naturalis utpote non creans illam, nisi ad exigentiam materiæ dispositæ. Reliquæ formæ mate riales educuntur è materia tanquam caus materiali seu subjecto sustentationis, ùti al hoc dependent in conservari & operari. Dum autem educi dicuntur è materia, non est intelligendum, quòd præexstiterint in ea actu & formaliter, neque secundùm se totas; aliàs de facto existerent in materia formæ contrariæ eæq; infinitæ, & eædem in omnibus materiis, cùm formæ omnes ex eâdem materia, & forma eadem ex omnibus materiis possit educi; & nulla fieret mutatio; cùm nihil produceretur de novo, ne quidem unio; nam & hæc juxta adversarios eodem modo præexstitisset in materia; neque secundùm partem sui, quæ dein in generatione per

per additionem novæ partis compleatur; hæc enim nova pars vel etiam præexstitit in materia, vel non, & sic adhuc juxta adversarios producetur ex nihilo; sed quòd virtute contentæ fuerint in & à materia, sive quòd materia habuerit virtutem, eas causandi materialiter; id enim est, effectum in virtute causæ contineri. Sic quoq; cœlorum & Elementorum formæ de facto sunt productæ; supponendum enim est, Deum eas secundùm earum exigentiam, quâ exigebant dependenter à materia produci, sicut & postea conservari, produxisse. Cui non obstat, formas has esse quoq; incorruptibiles. Quia tamen in materia non præexstitit privatio harum formarum, utpote quæ simul cum materia fuêre productæ (actione tamen distincta à creatione materiæ) & quibus materia non nisi naturâ fuit prior, non sunt generatæ generatione Aristotelica, quæ includit mutationem. Similiter formæ accidentales, tam modales, quàm absolutæ; tam spirituales, quàm materiales; tam naturales, quàm supernaturales producuntur per eductionem; ita tamen, ut ipsæ actiones educantur *ut quo*, excepta creatione, quæ creatur *ut quo*, nec habet

habet subjectum inhæsionis aut sustentationis, sed adhæsionis tantùm, nempe rem creatam; dicuntur tamen accidentia supernaturalia, V. G. habitus fidei &c. à Deo infundi non quòd ab eo creentur, sed quia non possunt ab agente naturali naturaliter educi: quâ ratione verò educantur è potentia obedientiali animæ, leges infra, ubi agetur de potentia obedientiali passiva.

III. Possunt nihilominùs accidentia materialia & nominatim modalia à Deo creari; tolli enim potest à modis dependentia, quâ dependent à modificato in ratione subjecti, utpote ab entitate modorum distincta, etsi tolli ab iis nequeat connexio illa, quâ ita connectuntur cum suis modificatis actu existentibus, ut impossibile sit, eos ab illis existere separatim, utpote ipsis modis identificata. Idem est de formis & modis substantialibus. E contra nulla in eo apparet implicantia, si forma substantialis immaterialis, exigens creari creatione à le distincta, educatur; non enim talis forma formaliter per se ipsam est independens à subjecto; nam sicut ideo eductio identicè est dependentia rei à subjecto, quia

præ-

præterquam, quòd dicat reſpectum ad agens, dicat quoqùe reſpectum ad paſſum ſive ſubjectum, ſic creatio ideo erit non dependentia ſive formalis & poſitiva independentia; quia non dicit reſpectum ad paſſum; neqùe enim requiritur, ut dicat poſitivè reſpectum ad non ſubjectum, ſicut bene dico: *Petrus ideo eſt homo; quia præter reſpectum, quem dicit ad ſenſationes, dicit quoqùe reſpectum ad ratiocinationes: ergo equus eſt non homo ſeu irrationalis, quia dicit reſpectum ad ſenſationes, & non dicit reſpectum ad ratiocinationes.* Ad hæc, ſicut primaria functio eductionis eſt, reddere rem exiſtentem; ſecundaria, reddere eandem actu egentem ſubjecto; ſic primaria functio creationis eſt, reddere rem exiſtentem, ſecundaria, reddere eandem actu non egentem ſubjecto; & ſicuti jam res non habet à ſe, quòd fit actu, ſed ab actione ejus productiva; ſic non habet à ſe, quòd ſit actu egens, vel non egens ſubjecto, ſed ab eductione, vel creatione. Etſi autem attentâ præcisè virtute cauſæ ſecundæ non ſit proportio inter actionem materialem & effectum ſpiritualem, ſufficientem tamen

tamen inter ea esse proportionem attenta vi
tute divina, patet ex eo, quòd sufficiens si
proportio inter actionem ex natura sua in
dependentem, & effectum materialem e
natura sua omninò dependentem à materia
Asserit quidem Hurtado, actionem nobi
liorem, qualis est creatio, per ignobilio
rem, qualis est eductio, non posse suppleri
sed non probat; quinimò ipse docendo
accidens spirituale inhærere posse subjecto
corporeo, docet, inhærentiam nobilio
rem per ignobiliorem suppleri. Quamvis
doceant alii, & bene, simul creari & educi
posse talem formam, in quo casu una actio
aliam non suppleret: & non sequeretur
hinc, formam illam habere negationem
absolutam dependentiæ; sed habere nega
tionem dependentiæ ortæ ex ista actione
creativa, sive per illam non dependere, &
vi illius nullam trahere dependentiam. Ne
què ex dictis hujusquè sequitur, talem for
mam fore corruptibilem; etsi enim contra
suam exigentiam educeretur è materia, ab
eaquè verè dependeret, nihilominùs defi
ciente hoc subjecto, semper illi adhuc debita
est creatio.

IV. Plu-

IV. Plures formæ simul nequeunt naturaliter informare eandem materiam; cùm enim materia, quæ de facto datur, sustentare nequeat plures formas, aut uniones substantiales, secunda forma & unio deberent creari. Præterea esse aliquam incompossibilitatem, quò ad simultaneam informationem inter formas substantiales, etiam exigentes similes dispositiones, experientia videtur docere, quâ videmus, unam alteram nunquam admittere ad idem secùm hospitium; etsi, unde sit hæc formarum incompossibilitas, difficulter assignetur. Neq; contrarium probat experientia de ferro candente; illi enim ignis extrinsecè adhæret, intimosq; paulatim pervadens poros ferri, latentia in illis corpuscula seu exhalationes pinguiores accendit. Neq; multitudo accidentium informantium idem subjectum; horum enim plura ab ipsis formis substantialibus, quarum sunt ornatus & comitatus, exiguntur.

V. Nihil tamen vetat, quò minùs id fiat supernaturaliter. Quod dum fit, redduntur duæ formæ in actu primo ad summùm, seu radicaliter & exigitivè incompossibiles, in actu secundo cõpossibiles, agiturq; à Deo

contra earum exigentiam , non tollitur ex gentia, sive radicaliter incompossibiles non redduntur radicaliter compossibiles. Cùm forma secunda adveniat materiæ, quæ com pleta est, nõ ut completa est, sive toti compo sito, consurgit ex tali forma & materia adhu unum per se, completurq; materia ulteriùs, in ordine tamẽ ad aliud cõpositum inadæqua tè à priori diversum. Neq; per hoc Deus red dit capacitatem materiæ ampliorem (quod implicat , cùm hæc ipsi materiæ identificetur) est enim illa per se naturaliter capax re cipere præcisè plures formas , & illius appetitus, proximus & efficax expletur per unam formam , non verò remotus. Neq; ex eo, quòd duæ formæ informarẽt eandem materiam , poterit unum compositum de altero prædicari & dici : *Hircus est Cervus* ; sicut dicitur : *album est dulce* : *Deus est homo*, in Christo : nam cùm compositum substantiale in recto dicat materiam, formam & unionem, sensus hic erit : *materia & forma & unio Hirci est materia, forma & unio Cervi*; compositum verò accidentale in recto tantùm dicat subjectum : concreta substantialia ex natura & subsistentia in mysterio Incarnationis in

recto

recto dicant subsistentiam. Neq; unio præcisè secundùm se est causalitas causæ formalis respectu effectus secundarii, nempe expulsionis veteris formæ, sed ut actu movens Deum ad substrahendum veteri formæ conservationem, adeoque hac unione posita, potest nõ expelli vetus forma. Deniq; si duæ animæ rationales, vel anima lupi & ovis, vel anima & forma cadaveris (dummodò hæc non importet negationẽ animæ seu formæ viventis) informarent eandem materiam; poterit una bene agendo salvari, altera malè agendo damnari, de corpore & bonorum, & malorum operum instrumento affligendo, vel beando, providebit Deus; non poterit tamen una anima aliquã functionem egẽrem ministerio corporis exercere, alterâ animâ invitâ, aut utente corpore ad functiones contrarias. Lupus autem abstinebit à voranda ove, ne hanc devorãdo suam quoq; voret materiam, sibiqùe dolorem creet: idem corpus dici vivens, & habens formam cadaveris. Porrò an possit eadem materia, quæ de facto datur, se solâ sustentare quoq; plures formas substantiales, ex eo pendet, an id possit naturaliter, quantùm est de se, nam incapacitas

materiæ naturalis ad hoc non poterit el
vari ; supplere enim hunc defectum n
potest Deus in genere causæ materialis, ec
cendo ex se , seu sustentando per se forma
secundam ; si verò suppleat in genere caus
efficientis , præbendo ampliorem concur
sum activum secundæ formæ, ita ut hæc con
cursu causæ materialis sustentativæ non eg
ret , jam materia non sustentaret secunda
formam ; si suppleret producendo compri
cipium aliquod passivum supernaturale
quod simul cum materia secundam forma
sustentaret , jam materia illam se solâ no
sustentaret ; certè fundamentum nullum ha-
bemus, hanc virtutem naturalem concede-
di materiæ.

VI. Præter formas speciales non datur in compositis physicis forma corporeitatis indi-vidua materiæ socia ; non enim servit ad cō-stituēdum cum materia corpus, si per *tò cor-pus* intelligas alteram partē physicam viventis seu materiam organizatam, cùm id sufficiēter habeat materia à formis partialibus, vel à va-riis variorum accidentium collectionibus in diversis suis partibus : neq; ad cōstituendum cum materia corpus, id est, alteram compo-

sitū

siti inanimati partem, quæ est substantia incompleta, exigens impenetrabiliter extendi, cùm id habeat materia ex se & à quantitate: neq; ad cõstituendum corpus, quod ponitur in prædicamento substantiæ, estq; substantia completa, cõpositа, exigens impenetrabiliter extendi, cùm posteriùs habeatur à quantitate; prius habeat materia à forma substantiali totali; hæc enim, etiãsi sit spiritualis, dat denominationẽ corporis & corporei, prout τὸ *corpus & corporeus* est gradus metaphysicus & differentia metaphysica substãtiæ, eo ipso, quò constituit cum materia compositum substantiale; sicq; in hoc sensu homo dicitur corporeus formaliter, etiam ratione animæ, non tamen solius; dicitur verò corporeus, pro ut hoc idem significat, quod *materialis*, à sola materia, & non spiritualis ab anima; etsi hæc ejus pars sit nobilior; cujus ratio est, quod τὸ *spirituale* prædicatum sit modo negativo explicari solitum, qualia prædicata, ut toti simpliciter dent denominationem, requiritur, ut nihil oppositi sit in isto toto. Pereunte igitur formâ substantiali, manet quidem ratio corporis, id est, substantiæ incompletæ, corporeæ, non verò ratio

corporis positi in prædicamento substanti
Quòd autem viventia dicantur constare co
pore & animâ , inanimata verò materiâ
formâ, non est ratio, quòd in viventibus d
tur forma corporeitatis , sed quòd ea co
stent materiâ organizatâ.

VII. Dantur verò in quolibet viven
præter animam seu formam totalem form
substantiales, partiales, subordinatæ anim
(non tamen propterea sunt accidentia, cùm
ordinentur ad compositum substantiale,
quo inadæquatè tantùm distinguuntur, illud
autem est accidens, quod subordinatur sub
stantiæ; seu rei primariò à natura intentæ, u
cum ea tanquam subjecto inhæsionis com
ponat rem secundariò à natura intentam)
inter se & ab anima realiter distinctæ , qua
rum singulæ informant diversas partes mate
riæ , constituuntque singulas partes hetero
geneas corporis organici , & omnes simul
unum corpus organicum. Præsupponuntur
hæ formæ in materia ante animæ introdu
ctionem , (non tamen ideo sunt dispositio
nes strictè tales, cùm ingrediantur intrinsecè
rationem viventis) manentque in ea solæ
discedente anima , donec & ipsæ corrum
pantur,

pantur, ſuccedente illis aliâ formâ totali; nequit enim abſqùe his formis intelligi corpus organicum, ex quo eſſentialiter conſtituitur vivens, utpote cujus anima eſt actus corporis organici. Non primò per ſolam materiam primam; hæc enim eſt incorruptibilis, corpus organicum corruptibile. Non ſecundò per materiam diſpoſitam & informatam variis accidentibus, aliàs homo eſſentialiter componetur ex accidentibus, etſi corpus organicum illa connoter in obliquo, dummodò eſſentialiter conſtituant illud. Non tertiò per materiam informatam animâ; cùm corpus organicum ſit pars adæquatè condiſtincta ab anima. Non quartò organizatur corpus per unionem, quæ in diverſis materiæ partibus eſt heterogenea; cur enim hæ partes unionis eſſent heterogeneæ, cùm partes extremorum, quas unit, ſint homogeneæ? ad hæc corpus mortuum, utpote carēs unione cum anima, erit diverſum à vivente. (Præterea ubi in diverſis partibus ejuſdem ſubjecti reperitur diverſorum accidentium, operationum & proprietatum collectio, qualis reperitur in cerebro

corde, osse, carne, ibi bene arguimus, existere diversas formas immediatè exigentes illa, (præsertim si eadem accidētia corruptâ formâ totali perseverent, utì fit in animali mortuo) aliàs & potiùs quidem licebit dicere, formas diversorum suppositorū v. g. auri, ligni &c. esse easdem specie, etsi habeant & exigant proprietates & operationes dissimillimas. Deniq; in morte viventis materia non manet absque omni forma substantiali, neq; inducitur etiam forma aliqua cadaveris; qua enim causa illius ? & qua ratione eadem à tam contrariis dispositionibus, à quibus mors causatur, pendebit ? certè jam Verbum partem substantialem in morte assumpsit, quam in resurrectione iterum dimisit. Neque ex hac nostra doctrina sequitur, formam totalem supervenientem materiæ jam actuatæ & completæ per formas partiales constituere cum ea unum per accidens; actuatur siquidem & completur materia per dictas formas magis quidem, quàm per se complebatur, non tamen completur ultimò, sive non statuitur per has formas in actu completo non subordinato alteri actui: unde est, quòd lignum mor-

mortuum sive materia ligni cum solis formis partialibus existens sit quid minùs completum, quàm ferrum; quia subordinatur animæ vegetativæ: quæ materia non tamen ideo dicenda erit, esse in statu violento, cùm hic status sit juxta appetitum materiæ, saltem secundarium, quo appetit in genere formam aliquam, sive totalem sive partialem. Ex eo autem, quòd materia actuata his formis actuetur ulteriùs per formam totalem, non sequitur quidem, habituras se formas has respectu formæ totalis tanquam potentiam, ab eaque verè informandas (docent enim bene plures, formam totalem uniri materiæ habenti has formas, & non immediatè his formis) nihilominùs in eo quoque nihil est absurdi; habent enim hæ formæ duplex munus, ut informent, & informentur. Sic itaque dabitur secundùm nos corruptio incompleta & non ultimata, dum in morte viventis materia cum his solis formis manet, sine generatione immediatè concomitante. Neque nobis contrarius est Arist. hic siquidem vult, animam esse actum corporis, non constitutivum, sed informativum, vocatque corpus

mortuum respectu vivi æquivocè corpus, non præcisè in ratione corporis organici, sed in ratione instrumenti proximè apti ad actiones vitales eliciendas, sic enim connotat animam.

DISSERTATIO QVINTA

De Unione.

I. UNIO est quid distinctum à materia & forma; in productione enim hominis datur actio generativa distincta à productione materiæ & formæ, quæ creantur hujus actionis assignandus est terminus, hic alius esse nõ potest, quàm unio. Præterea implicat, rem transire à denominatione reali ad denominationem realem priori contradictoriam; V. G. materiam & animam D. Petri, quæ jam denominantur non unita, transire ad denominationem contrariam & denominari unita, quin pereat, vel de novo ens aliquod producatur, nullum autem hìc ens perit; ergo aliquod de novo producitur, & hoc aliud non est, quàm unio. Demum possunt materia & forma existere & non uniri, seu separari ab unione. Neqùe approximatio est condi-

conditio , ut materia & forma uniantur seipsis , sive ut existat unio identificata materiæ & formæ , quia non est conditio , ut existat materia & forma , adeoqùe nec est cõditio alicujus cum materia & forma identificati ; neqùe dici potest, esse conditionem, non ut unio identificata materiæ & formæ existat secundùm entitatem, sed ut existat secundùm formalitatem , id est , ut actu exerceat officium uniendi ; Nam unio secundùm physicam suam entitatem, & unio secundùm formalitatem seu exercitium uniendi non distinguuntur ; cùm unio sit ipsum actuale exercitium uniendi. Multò minùs consistit unio in ista approximatione seu intima præsentia formæ cum materia ; aliàs compositum substantiale constitueretur per accidentia , qualia sunt istæ duæ ubicationes materiæ & formæ ; imò motum semper esset aliud & aliud ; cùm ad quemcunqùe motum istæ ubicationes mutentur ; neqùe posset cõpositum unum cum alio penetrari , quin continuò unius materia cum alterius forma uniretur, adeoq; Christi corpus penetrans lapidẽ sepulchralem, illi unitum fuisset. Jam verò si dicatur , præter approximationẽ

localem requiri approximationem virtutis: an illa erit quid distinctum à materia & forma, an non? Si dicatur, requiri præterea dispositiones ad formam, jam accidentia ingrediuntur constitutionem totius substantialis; conditio enim esse non possunt, ut materia & forma uniantur se ipsis, sicut conditio esse non possunt, ut existat materia & forma. Si dicatur, requiri præterea, ne alia materia vel forma cum priori materia & forma existat in eodem loco, jam negatio vel absentia alterius formæ vel materiæ ingreditur compositum substantiale, & non possunt duo composita penetrari, quin hoc ipso singulorum pereat unio. Si requiratur præterea dependentia formæ à materia, aut exercitium actionis vitalis in materia, jam requiritur iterum accidens ad constitutionem substantiæ, & aliquid, quod omnibus compositis non est commune.

II. Non est tamen unio formaliter *ipsa* eductio formæ materialis è subjecto; hæc enim eductio est accidēs & prior naturâ formâ; unio autem, utpote ingrediens rationem totius substantialis, debet esse substantia, & suo

ſuo modo poſterior extremis. Item actio eductiva procedens à cauſa prima & ſecunda, eſt alia ſpecie ab eductione procedente à ſola cauſa prima (mutato enim principio mutatur actio) ergo ſi hæc ſit unio, alia erit unio compoſiti, dum hoc primò producitur à Deo & cauſa ſecunda; alia, dum illud dein à ſolo Deo conſervatur. Connectitur itaque tantum vi eductionis ſeu dependentiæ forma cum materia tanquam causâ materiali, inhæret illi præcisè tanquam ſubjecto ſuſtentationis, eſt tanquam actus radicaliter informans in materia tanquam in ſubjecto vel potentiâ ſuſtentationis, non verò tanquam actus actu informans in potentia informationis, & potentia materiæ ſuſtentativa, non unitiva, per eductionem reducitur ad actum; imò poteſt forma educi, & tamen ſupernaturaliter impediri, quò minùs uniatur materiæ, tanquam ſubjecto informationis, in quo caſu non erit v. g. *Leo*, ſed materia ſuſtentans formam Leonis. Nec dicas: unio eſt paſſio; quia per illam formaliter patitur materia & recipit formam, paſſio autem identificatur eductioni; Nam eſt paſſio, ſi per pati intelligatur quomodo-

cunqùe mutari & recipere novum effectum formalem; non tamen unio est passio, si per pati intelligatur influere in genere causæ materialis; unio enim non est talis influxus materiæ in formam.

III. Verùm unio est modus, utpote actualis determinatio materiæ & formæ de se indifferentium ad esse uniti; substantialis, utpote ingrediens constitutionem totius substantialis. Dum ergo dicitur ab Aristotele, materia uniri formæ immediatè, sensus est, quòd nihil mediet *ut quod*, non, quòd etiam nihil mediet *ut quo*, sive quo uniantur: ipsa verò unio unitur materiæ & formæ, etiam nullo *ut quo* mediante; quia non est indifferens, ut illis uniatur, vel non uniatur; posset tamen aliqua unio per modum extremi uniri alteri extremo per aliam unionem, sicut unio animam inter & corpus Christi unitur Verbo per unionem hypostaticam. Porrò licet unio Petri includat prædicatum diversum, nimirum quòd sit affixa partibus Petri, ab unione Pauli, quæ est affixa partibus Pauli, & non Petri; cùm tamen hæ partes diversæ non sint speciei, diversa hæc prædicata inter has duas

unio-

uniones distinctionem non inferunt specificam.

IV. Unica in composito est unio totalis & essentialis (esse tamen plures uniones partium integralium, certum est, & probabilius, tot dari uniones partiales, quot dantur formæ partiales) & non duplex, una se tenens ex parte materiæ, altera ex parte formæ; unica enim unio, sive ea subjectetur in materia, & respiciat formam, ut purè terminum, sive subjectetur in forma, sive creetur, & in nullo extremorum subjectetur, sed respiciat utrumq; ut purè terminũ, æquè propriè, strictè & perfectè unit materiam formæ, quàm formam materiæ, & utriq; extremo æqualiter communicat suum effectũ formalem, qui est constituere illud, quod unit, componens compositũ cum altera comparte; implicat siquidé, constituère materiam componentem unum cum forma, quin æquè constituat eo ipso formam componentem unum cum materia. Hic itaqùe conceptus: *materia componens unum cum forma:* non dicit unionem subjectatam in materia, sicut nec hic: *forma componens unum cum materia:* unionem subjectatam in forma, cum maneant iidẽ conceptus, etsi

etsi unio crearetur, adeoque neque in forma, neque in materia subjectaretur, unioni enim, quatenus unio est, per accidens est, subjectari in hoc, vel illo, vel nullo subjecto; & perficere adhuc potest extremum, cui tantùm adhæret. Ex eo autem, quòd eadem unio, in quantùm unit materiam formæ, sive in quantùm præstat, ut materia actu exerceat munus partis materialis, dicatur materializatio, & in quantùm formam unit materiæ, dicatur informatio, non sequitur: ergo materia informat, forma materializat; sicut ex eo, quòd eadem entitas sit actio & passio, & denominet principium, à quo procedit, agens, subjectum, in quo recipitur, passum, non sequitur: ergo patiens agit, agens patitur. Neque ex eo, quòd alia sit relatio, quâ paries A respicit parietem B, & alia, quâ paries B respicit parietem A. sequitur, fore aliam unionem, quâ materia unitur formæ, & aliam, quâ forma unitur materiæ; disparitas enim in hoc est, quòd eadem physicè & logicè relatio eo ipso, quo constituit parietem A in ratione fundamenti, non constituat terminum similiter in ratione fundamenti, sicut unio eo ipso, quò constituit materiam

teriam in ratione uniti formæ, etiam constituit formam unitam materiæ; cum enim relatio identificetur fundamento & termino, ita tamen, ut fundamentum veniat in recto, quoties hic rectus mutatur, alia efficitur, saltem logicè, relatio.

V. Subjectatur de facto unio in sola materia, & formam respicit tanquam purum terminum: imprimis enim unio subjectata in uno extremorum sufficienter unit ambo, sic Verbum sufficienter unitur humanitati per unionem receptam tantùm in humanitate; quod Verbum ideo non dicitur, non perfici ab hac unione, quia hæc in eo non recipitur, sed quia est completissimum; neque requiritur, ut hoc, à quo res perficitur, mutatur intrinsecè, & accipit denominationem, inhæreat rei ut subjecto sustentationis aut inhæsionis, sed sufficit, illud esse in re mutata adhæsivè tantùm, sicut creatio intrinsecè tantùm adhæret Angelo, qui tamen per illam mutatur; imò Verbum intrinsecè denominatur ab unione juxta de Lugo adhærente illi tantùm; etsi extremorum illud, in quo subjectatur unio, præterquam, quòd perficiatur in ratione uniti, perficiatur insuper

per in ratione subjecti. Neque requiritur ut illud, quod est causalitas causæ materialis compositivæ & causæ formalis, ab his duabus causis tanquam influentibus dependeat; id enim requiritur propriè ad causalitatem causæ efficientis & causæ materialis sustentativæ. Quòd verò potiùs in materia quàm in forma subjectetur, inde suadetur; quòd in hac subjectentur dispositiones ad unionem & formam, item actio ipsa generativa terminans unionem.

VI. Producitur de facto unio *actione* distinctâ ab eductione formæ; connaturalius est enim, entia distincta per distinctas produci actiones. Ex eo autem, quòd agens naturale non intendat formam secundùm se, sed ut unitam, non magis sequitur, produci unionem & formam per eandem actionem, quàm materiam & formam; hæc enim etiam non intenduntur secundùm se, sed ut invicem unita. Hæc productio unionis connaturaliter est eductio, supernaturaliter potest esse creatio, nullum enim *prædicatum* habet unio, vi cujus repugnet illam creari; nam duplicem à materia habet dependentiam, unam à priori, quâ ab illa.

illa dependet tanquam à causa materiali, & hæc illi essentialis non est: alteram, quâ dependet à materia tanquam à concomitante, seu tanquam à termino, & hæc illi essentialis est, sicut omnibus aliis modis; neque hæc tollitur per creationem.

DISSERTATIO SEXTA

De Composito & subsistentia.

I. COMPOSITVM non est quarta aliqua entitas à materia, forma & unione simul sumptis adæquatè realiter condistincta, aut dicta tria simul sumpta includens, & ab iis ex natura rei distincta, in qua constituatur ratio totalitatis: vel enim ista quarta entitas est totum compositum; & sic v. g. anima & corpus non erunt partes hominis; vel est pars, & sic compositum vel distinguitur à materia, forma, unione, & hac quarta entitate; & jam dicit præterea aliam adhuc entitatem, & de hac formabitur denuo eadem quæstio, & ibitur in infinitum: vel non distinguitur, & jam habetur totum à suis partibus indi-

indistinctum. Sed tantùm est dicta tria simul sumpta, & in recto importata; his enim solis positis, & aliis re vel ratione præcisis, manet conceptus compositi, cùm implicet, materiam & formam media unione actu componere, aut concipi ut actu componentes, & non haberi actu, aut concipi compositum. Item omnia, quæ de composito, de his quoque tribus simul sumptis dici possunt; sunt enim quid unum unitate compositionis, quo ad simultatem illam seu complexum illud ex dictis tribus entitatibus; dicuntur generari *ut quod*; item partes istæ acceptæ collectivè dicuntur constare & componi ex se ipsis, seu ex partibus unitis acceptis distributivè. Nec dicas: causa distinguitur realiter à suo effectu, partes ut unitæ sunt causa, & compositum est effectus, ergo; nam partes ut unitæ acceptæ distributivè & singulatim in hoc sensu; *Forma ut unita materiæ est una causa*; *materia ut unita formæ est altera causa*; sunt causæ; non verò acceptæ collectivè sunt causæ, aut una causa totalis compositi; implicat enim causa totalis intrinseca compositi; quia cum causa intrinseca tantùm causet componendo cum

alte-

altera comparte, de eſſentia illius eſt, eſſe partem; & cum quo componeret cauſa totalis intrinſeca? vel cui uniretur materia, forma & unio ſimul ſumpta? dicitur tamen compoſitum intrinſecè cauſatum adæquatè, non quòd habeat cauſam intrinſecam adæquatam, ſed quòd ſit perfectè cauſatum, ſeu compoſitum à pluribus cauſis intrinſecis ſeu partibus, quarum ſingulæ in ſuo genere dici poſſent ad ſummùm adæquatæ; & uniuntur cauſæ intrinſecæ ſibi in ratione cauſarum, non ut conſtituant unam cauſam totalem, ſicut partes in ratione partium ſibi uniuntur, non ad conſtituendam unam partem totalem, ſed in ordine ad effectum totalem; eodem modo ſingulæ cauſæ intrinſecæ dicuntur cauſa partialis, non in ordine ad cauſam totalem, ſed in ordine ad effectum totalem: contrarium eſt in cauſis extrinſecis, ex earum enim pluribus fit una cauſa adæquata extrinſeca; quia hæ etiam ſimul ſumptæ cauſant effectum à ſe adæquatè diſtinctum. Neqùe noſtræ huic doctrinæ contrarius, ſed potiùs fautor eſt Ariſtoteles inquiens: *ſicut bis tria non ſunt ſex* (intellige bis tria ſeparatim accepta, & ſine unione quaſi

ex-

extrinseca, quæ est actus intellectus ordinantis bis tria in unum numerum senarium) *& sicut syllaba Ba non est B & A* (sed præterea ordo aliquis & situs harum literarum) *sic totum non est suæ partes*; nos enim non dicimus, totum esse tantùm suas partes materiam & formam, sed esse insuper unionem earum physicam.

II. Ad hoc, quod hìc quæri solet, num dari possit compositum substantiale, quod neque constet materiâ neque formâ; respondeo negativè; nisi enim pars una habeat se per modum actus, altera per modum potentiæ, vel erit aggregatum per accidens, vel totum integrale, homogeneum, vel heterogeneum.

III. Svbsistentia, Suppositum, Persona, Hypostasis etsi sumantur sæpe pro eodem, in rigore tamen persona & hypostasis naturis tantùm intellectualibus, & quidem completis; suppositum etiam non intellectualibus, subsistentia insuper etiam materiæ & formæ tribuitur, quandoqùe item suppositum & persona accipiuntur pro abstracto nimirũ personalitate suppositalitate ut condistinctâ à natura (sicur semper accipitur sub-

subsistentia) frequentiùs pro concreto ex natura & subsistentia. Est autem subsistentia creata (de divina enim constat, non nisi ratione distingui à natura) plusquam ratione à natura distincta: quæ enim solâ ratione distinguuntur in creatis, illorum uno existente, necessariò etiam existit alterum, & uno permanente non potest perire alterum; in Christo autem de facto existit natura humana, & non subsistentia humana, ergo hæc ab illa plusquàm ratione distinguitur. Nec dic: manente uno, alterum illi identificatum non posse quidem perire per ablationem suæ entitatis, posse tamen perire per additionem alicujus alterius, & hanc separationem factam per additionem novæ entitatis, non obstare identificationi duorum inter se; sic numerum ternarium non distingui à tribus, etsi per additionem quartæ entitatis pereat numeri ternarii ratio, manentibus tribus; sic totalitatem aquæ non distingui à tota aqua, & tamen eâdem hac aqua manente perire totalitatem per affusionem ulterioris aquæ; similiter subsistentiam humanam in Christo separari à natura humana, per additionem unionis hypostaticæ; hoc ipso enim, quod

quod natura humana uniatur Verbo, desinit existere per modum totius, & perit ejus totalitas. Nam exempla hæc ad rem non faciunt; quia ratio numeri ternarii & totius integralis præter partes fortè includit negationem ulterioris entitatis, quâ negatione per additionem quartæ entitatis sublatâ, adhuc perit numerus ternarius per ablationem alicujus sui constitutivi, & sic incidunt adversarii in sententiam Scotistarum. Præterea non licet mihi dicere, ne quidem in sensu identico: *humanitas est homo*; sicut dicere possum: *Deitas est Deus*, quod signum est, personam humanam â natura humana plus distingui, quàm divinam â Natura divina.

IV. Non est subsistentia creata aggregatum aliquod ex natura importata in recto, & duplici negatione importata in obliquo, quarum una est negatio unionis actualis cum aliquo, cum quo constituat aliquod perfectius, quàm erat ipsa sola (quod additur propter Verbum; hoc enim aliàs careret subsistentiâ, quia actu unitur) altera est negatio unionis aptitudinalis (per quam unionem non intelligitur ea, secundùm quam res capacitatem habet, ut supernaturaliter unia-

uniatur alteri, sed secundùm quam de se inclinationem habet, ut uniatur alteri) ita ut illa natura censeatur carere propriâ subsistentiâ, quæ vel actu unitur alteri, cum quo constituit perfectius, quàm ipsa sola erat, utì contingit Humanitati unitæ Verbo; vel inclinationem habet, ut uniatur alteri, utì contingit animæ separatæ, & materiæ existenti sine omni forma: illa è contra habeat subsistentiam propriam, quæ nec unitur actu alteri digniori, nec apta est cum inclinatione uniri alteri. Si enim vera est hæc doctrina, imprimis tam seria tamqùe bene ponderata definitio Ecclesiæ definientis contra Nestorium, Humanitatem Christi unitam Verbo carere subsistiâ humanâ, erit otiosa & ridicula utpote cujus sensus erit: *Humanitas unita Verbo non retinet negationem unionis cum verbo*; quod ex ipsis terminis patebat. Item istorum verborum Concil. Ephes. *Neqùe enim adjectionem Personæ vel subsistentiæ SS. Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Dei Verbo*: Sensus esset: *ex unione hypost. SS. Trinitas non suscepit negationem istius unionis.* Ad quæ ingeniosè quidem responderi posset: intendisse Ecclesiam subvertere ipsum

fundamentum hæreticorum censentium Verbum inter & hunc hominem JESUM non interceſſiſſe unionem veram phyſicam, ſed moralem & affectivam peculiaris amicitiæ per peculiaria dona gratiæ &c. cum qua unione ſtaret perſona propria iſtius naturæ, adeoqùe ſuperioris definitionis ſenſum eſſe hunc: *Natura humana ita eſt unita verbo, ut non retineat negationem unionis phyſicæ*, ſive, quod idem eſt, ut amittat perſonam propriam, ſive eſt unita Verbo phyſica unione, quæ ſola deſtruit perſonam propriam. Verùm hoc eſt reddere definitiones Conciliorum valde obſcuras & intellectu difficiles; hunc enim ex iis ſenſum eruere nemo, niſi valde eruditus, potuiſſet; ad hæc cur Concilia peculiari Anathematiſmo ſtabilivêre hanc in Chriſto unionem eſſe phyſicam; & alio, non eſſe in Chriſto perſonam humanam? Secundò ſi ſubſiſtentia ſuperaddat naturæ tantùm quid negativum, natura humana Chriſti jam habebit omnem perfectionem creatam, quam habitura eſſet, ſi exiſteret non unita verbo, ſive cum propria ſubſiſtentia; quòd enim hanc perfectionem nunc non habeat, impedit unio hypoſtati-

statica: sed ex negatione præcisè hujus unionis natura non potest acquirere majorem perfectionem, quàm nunc habeat; cùm per ablationem alicujus positivi nunquam natura magìs perficiatur, nisi illud positivum, quod auffertur, sit positiva naturæ imperfectio (qualis v. g. esset ablatio cornu ex facie de cætero decora) unio verò hypostatica non est positiva naturæ humanæ imperfectio, sed summa perfectio. Tertiò nomine suppositi alieni, cui nec actu, nec exigitivè debet uniri natura subsistens, vel intelligitur quid positivum, & sic suppositum seu subsisterent aliena erit quid positivum, & consequenter etiam propria; hæc enim respectu alterius naturæ est aliena; vel intelligitur aliquid negativum, & sic ad naturam subsistentem subsistentiâ propriâ sufficit, uniri negationi, adeoqùe omne ens erit subsistens, quia nullum ens est, aut esse potest unitum negationi. Neqùe dicas, sic esse intelligendum: ut natura subsistens nec actu, nec potentiâ (quæ est cum inclinatione) uniatur alteri naturæ habenti istas binas negationes. Nam juxta Adversarios impossibile est, ut natura subsistens uniatur

naturæ alienæ subsistenti; continuò enim nec natura, quæ unitur, nec natura, cui unitur, erit subsistens, cùm amittat negationem actualis unionis cum alio; & sic subsistentia jam dicit præterea tertiam negationem, nimirum unionis absolutè possibilis cum alio.

V. Sed est subsistentia aliquid positivum à natura distinctum, & radix, ex qua immediatè memoratæ sæpiùs negationes binæ, & quidem posterior, nempe unibilitatis, quæ est cum inclinatione, necessariò, resultant, sicut ex unitate resultat negatio identitatis cum alio, ipsa verò unitas non est formaliter hæc negatio; debet enim esse ratio, cur natura, non exigat, aut possit naturaliter uniri alteri, hæc alia non est, quàm quòd natura antecedenter ad has negationes completa sit ultimo complemento positivo, quod ideo ex se emanat, veluti ejus causa materialis simul & efficiens, ut propriæ indigentiæ succurrat, à quâ emanatione si impediatur, ex indigentia inclinatur ad unionem cum alio. Sic demum bene intelligitur, quomodò Verbum assumpserit naturam humanam, ejus subsistentiâ relictâ inassumptâ, quam etiam im-

plica-

plicabat aſſumi, aut reddi ſubſiſtentem, cum ſit terminus ultimus in ratione ſubſiſtẽdi (ex quo tamen non ſequitur, ſubſiſtentiã creatã & increatã eſſe ſibi contrarias, ſicut non ſequitur, duas ubicationes eſſe ſibi contrarias, ex eo, quòd una alteri nõ poſſit uniri, & reddere illam ubicatam.) Hoc non obſtante bene dicitur Chriſtus, aſſumpſiſſe rem omnem plantatam in natura, intellige, pertinentem præcisè ad rationem & conſtitutionem naturæ: eſſe nobis ſimilem in omnibus, intellige, præcisè ad naturam ut condiſtinctam à ſubſiſtentia ſpectantibus; loquuntur enim Patres in ſenſu accommodo, ſicut etiam locuti ſunt in Concilio Tridentino, definientes, manere omnia accidentia panis in Euchariſtia, nimirum iis exceptis, quæ remanere implicabat, qualia erant ubicationes panis. Negant verò Patres humanitatem habere propriam ſubſiſtentiam, quia eſt unita Verbo; non quòd hæc unio formaliter ſit non eſſe ſubſiſtentiæ propriæ, ſed quòd ex hac unione naturaliter ſequatur negatio ſubſiſtentiæ propriæ, impedit ſiquidem unio hypoſt. ne natura emanet ſubſiſtentiam ſuam, per quod nihil deſtruit

in humanitate, neqùe infert ei injuriam, cùm subsistentiam creatam subsistentiâ infinitè perfectiore compensat; poterat de cætero cum hac unione subsistere simul subsistentia propria; de quo infra. Ex eo autem, quòd persona definiatur à Boëtio: *Rationalis naturæ individua sive incommunicabilis substantia*; & individua substantia seu individuum sit indivisum in se & divisum à quolibet alio, malè infertur, superaddere naturæ solam separationem ab alio, seu formalem negationem unionis vel identitatis cum alio; aliter enim hanc separationem seu divisionem ab alio explicamus, ubi de unitate agimus, quæ vide. Neqùe ex eo, quòd totalitas integralis v. g. aquæ permittatur consistere in negatione ulterioris aquæ, bene infertur etiam subsistentiam in ea partialiter consistere; hæc enim est totalitas essentialis.

VI. Non est tamen subsistentia creata quid absolutum, sed modale; est enim veluti forma, quæ per se ipsam ita immediatè afficit subjectum, ut impossibile sit illam existere, & non afficere actu hoc sub-

subjectum, quæquè subjectum de se indifferens, ut subsistat per se, id est, positivè terminatum ultimo suo complemento (etsi de se determinatum, quatenus substantia est, ut subsistat per se, id est, sine subjecto inhæsionis) determinat & complet in ratione subsistentis. Et sufficit hæc distinctio realis minor, quæ est inter naturam & subsistentiam veluti inter rem & modum, ad omnia explicanda, quæ de mysterio Incarnationis fides docet; neqùe major distinctio colligi potest ex eodem mysterio. Nihilominùs hæc subsistentia suppleri potest à Verbo, utpote quòd illam supplet, non in ratione modi vel formæ, sed in ratione subsistentiæ, quæ abstrahit ab utroqùe, tantumqùe dicit terminum & complementum naturæ, & hoc facere potest Verbum sine imperfectione, cùm Verbum formaliter sit subsistentia; calorem autem v. g. supplere non potest in ratione caloris, quia Verbum formaliter non est calor.

VII Effectus formalis primarius subsistẽtię non est, reddere naturã independentẽ seu incapacẽ dependẽtiæ à subjecto sustentationis;

hoc enim habet per creationem, & per hoc, quòd sit compositum, (si est composita) frustra autem est forma, quæ superadditur rei jam aliunde incapaci ad aliquid, ex eo tantùm fine, ut reddat eam incapacem, sicut otiosa esset visio beatifica in Christo, si ea illi, qui jam vi unionis hypostaticæ est incapax peccati, daretur ad eum tantùm finem, ut reddat illum incapacem peccati. Nec est, reddere naturam potentem subsistare accidentibus & informari ab illis; potentia enim subsistandi accidentibus mediâ eductione & unione est ipsa materiæ entitas; & actu illis subsistat per eductionem passivam, informaturque ab iis per unionem; subsistentia autem non est ista passio, nec unio accidentalis. Nec est, complere naturam in ratione operandi, quia priùs est, complere eam in essendo; ex eo autem axiomate: *actiones sunt suppositorum*: tantùm infertur, actiones, eo ipso tribui supposito, quòd procedant à natura terminata subsistentiâ; posito autem, quod sit conditio ad operandum, compleatque actum primum (non est enim ipsa virtus activa, nequidem inadæqua-

æquatè) malè tamen adhuc aſſignatur, hic eſſe effectus ſubſiſtentiæ, cùm id ſit commune omnibus conditionibus. Nec eſt, reddere naturam incommunicabilem alteri ut ſuppoſito; ideo enim natura eſt incommunicabilis alteri, quia eſt omnino completa in ſuo eſſe, præterea ſubſiſtentia Patris non reddit naturam divinam incommunicabilem Verbo. Demum quod pariter memoratas opiniones refellit: Philoſophi veteres nihil ſcientes de ſubſiſtentia, agnovere ſubſtantias independentes à ſubjecto inhæſionis, compoſitas à ſubjecto etiam ſuſtentationis; virtutem illarum ad operandum expeditam, ſubſtantias completas incommunicabiles alteri; ergo malè hi effectus detectæ poſtmodùm priùs ſubſiſtentiæ attribuuntur. Sed eſt, eſſe perfectionem quandam ſubſtantialem ultimò terminantem & complentem naturam, ac conſtituentem cum illa compoſitum aliquod, quod dicitur ſuppoſitum; plus enim abſque errandi periculo de ſubſiſtentia inferre non licet, quàm quod de ea ex Incarnationis myſterio juſtè deduci poteſt, cùm neque à priori, neque à poſteriori

ejus existentia aliunde nobis constet: imò si plus non dixissemus, quàm effectum subsistentiæ esse, reddere naturam subsistentem, satis dixissemus, cùm accidentium ipsis sensibus notorum sæpe effectum formalem aliter explicare nequeamus v. g. viriditatis, ruboris, quàm dicendo, illius effectus formalis est, reddere subjectum viride vel rubrum. Et sic viros in Theologia & Philosophia celebratissimos de Lugo & Oviedum loqui non puduit.

VIII. Potest natura existere divinitus sine omni subsistentia; cùm natura sit prior causalitate subsistentiâ, adeoquè antequàm intelligatur subsistens, intelligatur jam existens. Et hæc natura existeret per se, id est, non inhæreret alteri; non existeret per se, id est, non existeret positivè terminata & perfecta propriâ subsistentiâ. Nec infertur contrarium ex eo, quòd res non possit absolvi ab omni ubi & duratione; id enim ideo fit, quia spatium & tempus imaginarium infinitè circumfusum est rei, extra quod existere aut durare nequit. Nec implicat, rem esse

sine

ſine proprio ſuo termino, ſi terminus realiter adæquatè à re terminata diſtinguatur. Conſervabitur verò talis natura eodem influxu, quo conſervabatur cum ſubſiſtentia; quia ab hac non dependet ut ab influente.

IX. Materiæ & formæ reſpondent diſtinctæ ſubſiſtentiæ, ex quibus componitur una ſubſiſtentia compoſiti compoſita: convenientius enim eſt, aſſignare materiæ permanenti ſubſiſtentiam permanentem, formæ caducæ ſubſiſtentiam caducam, ne pereunte formâ ſemper neceſſe ſit dicere, perire totam ſubſiſtentiam; & entitati compoſitæ ſubſiſtentiam compoſitam; videtur quoque excedere vires ſubſiſtentiæ creatæ, quæ de facto datur, poſſe ſimul terminare & perficere diſtinctas compoſiti partes eſſentiales, unde, quòd id fecerit unica ſubſiſtentia Verbi, infinitæ ejus adſcribendum eſt perfectioni. Neque his obſtat, quòd forma materialis ſit in ſubjecto ſuſtentationis, quòdque materia & forma perſeverent ſibi invicem communicabiles; nam ſubſiſtentiæ munus non eſt, reddere terminum, quem afficit, independentem à ſubjecto,

aut incommunicabilem alteri, in ordine ad constituendum unum compositum; alia enim est inhærentia, quâ quid inhæret subjecto incompleto tanquam pars comparti ad constituendum totum: alia, quâ quid inhæret subjecto completo seu alteri supposito, posteriorem, non priorem tollit subsistentia: similiter alia est communicabilitas materiæ & formæ ad invicem in ordine ad constituendum unum compositum; alia est communicabilitas materiæ & formæ ad alienum suppositum; similiter posteriorem, non priorem tollit subsistentia. Quinimò & unio inter materiam & formam suam quoquè habet subsistentiam partialem, quæ supplet simul vices unionis inter subsistentiam materiæ & inter subsistentiam formæ, in ordine ad conflandam subsistentiam unam totalem compositam; non tamen ideo unioni hypostaticæ sua quoquè assignanda est subsistentia, cùm hæc subsistat subsistentiâ Verbi. Hujus rei hæc esse posset ratio suasiva: Verbum nihil assumpsit, nisi quod, si non fuisset assumptum, suâ substitisset subsistentiâ, jam vero suppono tanquam probabiliùs è Theologia; verbum assumpsisse

cor-

corpus, animam, & unionem inter ea tribus partialibus unionibus hypostaticis, è quibus illa, quæ terminabatur ad unionem, in morte Christi periit; neque id obstat axiomati: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit:* siquidem hoc tantùm intelligitur de assumptione partium ipsarum essentialium; constat enim multas uniones continuativas partium corporis Christi per laceratione & vulnera periisse, quarum aliquæ nunquam sunt resumptæ.

X. Nihil est in eo implicantiæ, quòd una subsistentia creata pergens afficere naturam propriam, simul terminet unam, aut plures naturas alienas; non enim id arguit vim infinitam in subsistentia creata, sicut vim infinitam non supponit in albedine, quòd eadem possit plura & plura in infinitum subjecta informare, accedente omnipotentiâ divinâ plurium & plurium unionum productiva. In isto itaque casu talis subsistentia immediatè seipsâ afficeret & terminaret naturam propriam, utpote respectu cujus non est indifferens, ut communicet illi effectum suum formalem, vel non; alienas verò naturas terminaret mediâ unione, utpote respectu

quarum est indifferens, ut terminet illas, vel non, adeoq; eget determinatione actuali sibi superaddita. Neq; hoc est naturæ modi contrarium ; is enim est actuale exercitium & communicatio sui effectus formalis per seipsum, respectu modificati, cui seipso unitur, & non respectu modificati alieni. Nec dicas: Petrus nō potest sedere sessione Pauli, ergo nec subsistere subsistentiâ Pauli ; nam præterquam quòd ab his modis imperfectis ad perfectos & substantiales, suspecta sit argumentatio, cur Petrus non posset sedere sessione Pauli mediâ unione ad se terminata?

XI. Similiter in eo nihil est implicantiæ, quod una eademq; natura simul terminetur pluribus subsistētiis propriis vel alienis, creatis vel increatis ; singulæ enim subsistentiæ de se aptæ sunt terminare eandem naturam, & natura assumpta ab una persona, parem retinet potentiam, saltē obedientialem, ut terminetur ab alia persona ; nulla præterea subsistentia cōstituit naturam formaliter non unitam alteri subsistentiæ, sed tribuit tantùm naturæ, ut hæc nō possit per seipsam exigere terminari ab alia subsistētia, vel etiam ut possit exigere, non terminari ab alia subsistentia, qui

effectus

effectus formalis subsistentiæ nõ tollitur, etsi Deus naturæ jam subsistenti cõtra vel præter hanc exigentiam superaddat aliam subsistentiam. Ubi tamen duo notãda sunt; primum; aliud esse, quærere, num plures subsistentiæ propriæ, aut plures uniones ad subsistentias alienas possint simul educi ex hac natura, quæ de facto datur, id saltẽ fieri, non est necessarium; poterunt enim aliæ subsistẽtiæ & uniones creari. Alterum, in isto casu nunquam unam subsistentiam uniri alteri, aut ex pluribus fieri unam; id enim fieri nequit, & hoc voluisse videntur D. Thomas aliiq; negãtes plures personas posse incarnari in eadem natura.

XII. Unde poterat Humanitas etiam retinens propriam subsistentiam assumi à verbo. Neq; SS. Patres & Concilia contra Nestorium statuentia, Humanitatem Christi non retinuisse, aut habuisse subsistentiam humanam, pro fundamento habuerunt, id nec divinitus quidem fieri posse, sed scripturam loquentem de Christo tanquam de una persona, eaq; divina; si enim in Christo simul esset persona humana, hæc Christi & scripturæ Verba: *Ego & Pater unum sumus: Tu es Christus filius Dei vivi*: falsum effeciissent sensum, nimi-

nimirum hunc : persona humana & divina est unum cum Patre ; est Filius Dei ; cùm *Tò ego & Tu* partialiter debuissent supponere , imò magìs pro persona creata , utpote magìs per has partiales demonstrabili. In summa itaquè talis natura pluribus terminata subsistentiis sisteret in se , per propriam subsistentiam , & sisteret in alio per alienam , quæ non sunt contradictoria , præterea sistere in se dicit duo , unum positivum , nimirum habere terminum proprium, à quo compleatur , & vi cujus non egeat alio, & hic est effectus primarius subsistentiæ ab ea inseparabilis ; alterum negativum , nimirum naturam non terminari alienâ subsistentiâ , & hic est effectus secundarius subsistentiæ , ab ea separabilis ; Item talis natura ultimò terminata & completa naturaliter , obedientialiter ulteriùs complebilis , completur per plures subsistentias in ordine ad plura suppositа à se invicem inadæquatè distincta.

* * *
* *

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA

De Natura & Arte.

I. NATURA *est principium & causa motus & quietis ejus, in quo ineſt, primò & per ſe, & non per accidens* : ſive eſt cauſa, ut moveatur id, in quo eſt, ſive cui ineſt, tanquam pars eſſentialis. Per motum intelligitur generatio, augmentatio, motus localis; in ſumma motus corporeus & ſenſibilis. Per quietem non intelligitur mera negatio vel ceſſatio motus, ſed poſitiva permanentia, vel poſſeſſio terminorum per motum productorum. Particula *&* accipienda eſt copulativè; non enim datur motus ſine termino, nec terminus ſine motu, nam & partes cæli continuò moti acquirunt novas & novas ubicationes, quæ ſunt termini hujus motus, & terra ſemper quieſcens conſervat ſuum ubi, quæ conſervatio eſt motus. Dicitur: *cui ineſt*: quia natura debet eſſe cauſa, ut generetur, augmentetur, alteretur id, cujus ipſa pars eſt eſſentialis: hinc ignis natura non eſt reſpectu alterationis, quam producit in ſubjecto extraneo, qui motus dicitur tamen natu-

naturalis; quia procedit à causa secunda naturaliter operante. Et quidem debet ei, quod movetur, inesse primò, id est, debet esse quid substantiale & de essentia & primo conceptu essentiali rei, qualis non est subsistentia, aut ullum accidens, etsi causa sint motus ejus, in quo insunt.

II. Materia, tam ut est principium passivum seu subjectum receptivum motus; quàm ut est principium activum & emanativum suarum proprietatũ & ubicationum, est propriè dicta natura; quia utroq; modo est verè causa, ut moveatur id, in quo est &c. Neq; hinc sequitur, nullum dãdum motum violentum; etsi enim nullus detur motus violentus respectu materiæ præcisè secũdùm se spectatæ, utpote indifferẽtis ad omnem motum recipiendum, datur tamen adhuc motus violentus respectu materiæ, ut inexistentis composito, & jam determinatæ per formam ad certam rationem compositi & certam speciem motus; sic enim determinatur materia à forma V.G. ignis ad motum sursum. Cui nõ obstat, quòd materia in hunc motum influat; nam ille motus non dicitur violentus, in quem passum nullo modo influit; sed in quem non influit cum inclinatione.

III. Si-

III. Similiter ob eandem rationem forma, etiam ut est principium activum, est propriè natura; licet enim solum principium passivum recipiens in se motum denominetur mutari, non tamen solum est principium motus; sed datur præterea necessariò principium ejusdem activum, adeoq; solum passivum principium non est natura. Arist. autem inquiens: eam formam solùm esse naturam, quæ non nisi per rationem est separabilis à materia; eas tantùm formas vult esse naturas, quæ non nisi cum destructione compositi sunt separabiles à materia, & à ratione naturæ illas removet formas, quas nos extrinsecas seu assistentes (ut sunt Angeli moventes cælum) dicimus. Illud hic notandum; materiam & formam esse duas naturas completas in ratione naturæ, utpote quarum singulis verè competit adæquata naturæ definitio: non esse tamen aliquid absolutè completum, cùm de essentia naturæ hìc definitæ sit, esse partem; sicut nec sunt completæ naturæ, intelligendo per nomen *naturæ* essentiam rei. Quinimò etiam anima rationalis ut talis, unita corpo-

corpori (separata enim non potest esse natura in rigore aristotelico, cùm non sit causa, ut moventur id, cui inest) est propriè natura; Nam ut talis est forma distinguens hoc compositum ab aliis, adeoquè ejus pars; est item causa motuum physicorum V.G. intellectionum, quæ licet de se sint spirituales, in quantùm tamen procedunt ab anima unita corpori, sunt motus totius corporei, & connexi cum motu sensibili & corporeo phantasmatum aliorumq; sensuum & eorum organis.

IV. Non tamen totum compositum in rigore est natura; quia non est causa, ut moveatur id, cui inest tanquam pars. Et sic docet Arist. inquiens: *compositum quidem natura non est, sed constat naturâ*; neq; sibi contradicit alibi inquiens: *natura quidem sunt animalia partesque ipsorum & plantæ & simplicia corpora; hæc enim & ejusmodi res naturâ dicimus esse.* Sic enim intelligendus est: *animalia & partes animalium sunt à natura* &c. quod patet ex eo, quod statim subdit: *alia verò sunt ob alias causas* &c. puta, ab arte, vel à casu. Vel sic est intelligendus, ut τὸ *natura* sit ablativi casus & idem significet,

cet, ac ea constare naturâ dicimus, ut patet ex græco ταῦτα εἶναι, Φύσει φαμέν: Unde τὸ *natura* priùs positum respectu animalium & partium animalium est analogicum, utpote quod respectu animalium sumitur pro entitate constante naturâ, respectu partium sumitur propriè. Similiter unio compositi substantialis non est natura, si ad eam requiras, esse constitutivum compositi *ut quod*.

V. Motus naturalis (pro ut τὸ *naturale* opponitur violento) est, qui est secundùm exigẽtiam vel inclinationem ejus, in quo motus & ejus terminus est, tanquam in subjecto denominationis, quod est totum compositum: attentẽdum autem præcipuè est ad formam, num sit juxta eius inclinationem. Motus medius seu neuter & præternaturalis est ille, qui nec est juxta, nec contra, nec supra exigentiam rei, talis est lux respectu aẽris, forma statuæ respectu ligni, vel potiùs productio lucis & formæ statuæ. Violentum est: *quod est à principio extrinseco, passo non cõferente vim*: id est, motus vel terminus procedens effectivè à principio non incluso in ipso toto, cui non censetur passum conferre vim, etsi in illum motum influat materialiter seu passi-

passivè, dummodò id fiat absq; inclinatione, & cum reluctantia seu resistentia. Porrò violentia alia est cõtra appetitum innatum, dum potentiæ alicui activæ vel passivæ, negatur actus vel forma illi debita, vel inducitur actus contrarius: alia est cõtra appetitum elicitum animantis, dum contra illum obtruditur illi, vel negatur actus vel forma. Quando autem in eodem subjecto est appetitus innatus v. g. cadendi deorsum, & simul appetitus elicitus ascẽdendi sursum, motus dicitur naturalis vel violẽtus ab appetitu superiore qualis est elicitus: sic ascẽsus sursum est simpliciter naturalis, secundùm quid violentus, in quantùm est contra appetitum innatum. Talem violentiã voluntas creata pati non potest à Deo, quòad actus proprios immediatè à se elicitos, utpote qui sunt ipsa actualis inclinatio & appetitus elicitus; quos tamen si Deus subtrahendo concursum impediat, quò ad illos dici potest pati violentiam; patitur etiam positivam violẽtiam, si à Deo illi injiciatur amor vel potiùs terminus amoris contra appetitum elicitum; demum corruptio tunc est rei violẽta, quãdo hæc exigit conservari ulteriùs; non quòd res, dum non est, resistat interitui; sed quia ante,

dum

dum erat, exigebat, ne destrueretur pro tempore hoc, quo destruitur.

VI. Supernaturale est, quod est supra vires & exigentiã omnis substãtiæ creatæ & creabilis; sic calor, etsi sit supra vires & exigentiã aquæ, est adhuc naturalis, quia non est supra vires omnis substãtiæ, utpote ab igne producibilis & exigibilis: & si daretur accidens à nulla substãtia de facto creata exigibile, dumodò creacreari posset aliqua substantia, à qua exigeretur, foret adhuc naturale. Illud dicitur supernaturale quò ad substantiã, quod in nullis circũstantiis ab ulla substãtia creata vel creabili exigi aut produci potest; talis est gratia sanctificãs. Illud est supernaturale quò ad modum tãtùm, quod absolùtè alicui substãtiæ est debitũ, in his tamẽ, aut illis circũstantiis est omninò indebitũ. v.g. visus restitut⁹ cæco nato.

VII. Ars habitualis est habitus cũ recta ratione factivus, id est, inclinans in cognitionẽ practicam directivam operis externi faciendi seu operationũ transeuntium in materiam externam. Ars actualis est ipsa illa cognitio practica. Opus artificiosum est illud, quod juxta regulas artis ab artifice ex cognitione & intentione opus rectè faciendi producitur. Ars nulla potest per se efficere

opera naturæ ; quia in nullum effectum influit effectivè, & forma per artem directivè producta, non est ipsa rerum substantia seu natura, sed certa tantùm ipsius naturæ modificatio & dispositio. Potest nihilominùs ita dirigere potentias executrices, ut effectus naturales certo modo faciliùs efficiant ; item causas naturales ita sibi invicem admovere & commiscere, ut hæ agendo in se mutuò & patiendo, effectus producant naturales, etiam animatos : sic itaque in specie potest docere modum faciendi aurum, cùm in eo nulla sit implicantia, nec ratione materiæ, quæ omnium formarum est capax, nec ex parte formæ, cùm hac ratione per artem formæ producantur longè nobiliores ; nec ex parte dispositionum, cùm calor v.g. solis aliæq; aliunde suppleri possint.

VIII. Forma vel figura operis artificiati nihil est distinctum à certis ubicationibus sive, quod idem est, à certa distantia vel indistantia partium rei artificiosæ, ita tamen ut simul essentialiter dicat ablationem partium superfluarum ; aliàs in quocunque trunco indolato erunt omnis generis formæ artificiales, cùm hic habeat certas & easdem suarum

tum partium ubicationes, antequam dedoletur, quas habet, post factam ex eo statuam. Neque hinc sequitur, illum, qui movet statuam, utpote qui facit, ut partes ejus novas physicè acquirant ubicationes, producturum novam statuam: nam manent partes statuæ æquè inter se distantes, & acquirunt ubicationes omninò prioribus similes, adeoque manent ubicationes moraliter eædem; præterea movens statuam non producit illas ubicationes primò, aut arte dirigente, quod ad denominationem artificis requiritur.

DISSERTATIO OCTAVA

De Causis in genere.

1. CAusa *est principium* (per quod convenit cum Patre in divinis, qui est principium Filii generati) *influens* (id est, ex intrinseca sua virtute communicans & dans alteri esse, quod non faciunt conditiones, sed sunt tantùm id, sine quo causa non daret effectui esse) *per se* (id est, cum intentione & inclinatione; si enim æquè vel magis intenderet oppositum, non est propriè causa:) *influxu ex se formaliter defectibili*, id est, non

necessariò existente ; qualis adhuc esset ille, ex se, quo Deus per impossibile sine libertate seu necessariò produceret aliquã creaturam, etsi defectibilis non esset defectibilitate extrinseca, desumptâ à principio ad producendum indifferente ; quamvis tamen in ordine ad tales suppositiones impossibiles res nõ definiantur. Per hoc igitur Pater divinus excluditur à ratione causæ ; cùm enim influxus seu generatio & spiratio activa identificentur principiis activis seu Personis producentibus, & hæ Naturæ divinæ indefectibili, etiam ipse influxus talis est , & non potest non existere. Transire quoq; potest definitio allata à Sylv: Mauro : *causa est aliquid, saltem sustentativè, concurrens ad dandum esse alteri, quod nec identicè quidem est à se* (qualiter Filius in divinis est à se) sed longior est , & fusiore eget explicatione. Illa Suarez: *causa est principium per se influens esse in aliud* : inde displicet , quòd τὸ *aliud* nimis sit æquivocum ; vel enim significat essentiam seu naturam, pro ut τὸ *natura* significat quodcunquè ens distinctum à personalitate ; & sic natura activè & passivè producens subsistentiam, non influit in aliud, adeoquè ejus causa

non

non est ; vel significat quamcunque quidditatem, pro ut hac etiam comprehenditur accidens , subsistentia &c. & sic Pater in divinis adhuc influit in aliud. Si tamen significare debet quamcunque quidditatem seu entitatem absolutè & simpliciter ab entitate producentis distinctam (quali modo nec Filiatio, nec Filius in divinis est entitas absoluta ab entitate absoluta Patris distincta, cùm bene adhuc dicatur : entitas illa , quæ est Filius , est entitas illa , quæ est Pater) nihil contra illam definitionem habemus, quàm quod id per τὸ *aliud* non satis exprimatur.

II. Causa constituitur in actu primo remoto (intellige physico ; actus enim primus logicus est pura possibilitas rei, sicut actus secundus logicus est ipsa rei existentia) per propriam suam entitatem potentem producere effectum , cui adhuc aliquid deest , ex prærequisitis ad agendum, adeoque in obliquo dicit unam pluresve negationes , quò actus primus est remotior. Actus verò primus proximus est eadē entitas causæ habens omnia ad agēdum, sive omnia ante actualem positionem effectus prærequisita V. G. præ-

parationem concursus divini, applicationem ad passum &c. Non constituitur tamen in actu primo per causalitatem & effectum possibilem ; quidquid enim intrinsecè pertinet ad actum primum, vel est physicè productivum, vel requisitum ad physicè producendum effectum & causalitatem, ac consequenter existit ; causalitas autem tantùm possibilis nec actu existit, neq; est physicè productiva causalitatis actualis ; neque quid requisitum ad productionem sui ipsius : & licet causalitas possibilis habeat actum primum logicum respectu suiipsius ut existentis, non habet tamen actum primum physicum seu potentiam operativam respectu suiipsius : potest tamen dici mediatè constituere actum primum, & ab eo connotari extrinsecè, in quantùm virtus causalitas (quæ intrinsecè & immediatè constituit actum primum) essentialiter seu transcendentaliter respicit tam causalitatem, quàm effectum possibilem ; & in quantùm hæc effectus possibilitas tenet se objectivè, ex parte decreti divini decernentis concurrere, quod concretum constituit intrinsecè actum primum , & non esset sine repræsentata priùs hac possibilitate. Atque

què hæc ita mediatè tantùm constituentia actum primum, dicit Oviedo, posse dici, requiri ad actum primum , non verò ex parte actus primi. Quod attinet ad remotionem impedimenti; si illa sit ipse effectus secundarius actus secundi (qualis est expulsio frigoris respectu productionis caloris) non pertinet ad actum primum ; ad hunc enim spectant tantùm ea, quæ sunt priora effectu. Si autem tale impedimentum per actum secundum non est aufferibile , ejus remotio spectat ad actum primum causæ liberæ, cùm libertas excludat omnem determinationem, etiam extrinsecam ad negationem effectus : non tamen spectat ad actum primum agentis necessarii ; sic ignis V. G. habens omnia ad producendum calorem requisita, applicatus passo validissimè cõservanti suum frigus , erit adhuc in actu primo proximo, etsi vincere non possit & tollere impedimentum frigiditatis impediens , quò minùs producatur calor ; si enim illæ solæ causæ necessariæ essent in actu primo , quæ possunt vincere tale impedimentum extrinsecum , non dabitur resistentia causarum ; quia non dabuntur duæ causæ contrariæ in actu

primo expeditæ ad effectus cõtrarios incompossibiles, cùm utraq; non sit potens vincere aliam, qualis si sit utraqùe, utraq; simul potest vinci & vincere. In actu secundo constituitur per causalitatem.

III. Inter causam & effectum est, & sufficit prioritas naturæ, quæ sic bene explicatur, quòd sit independentia causæ ab effectu tanquam influẽte (etiamsi de cætero cum eo necessariò connectatur, & sine eo esse nõ possit, utì causa necessaria ad agendum expedita esse non potest sine effectu) & dependentia effectus à causa tanquã influente, sive quòd causa det effectui esse per veram causalitatem & ab eo vicissim nõ accipiat esse: dicitur quoq; hæc prioritas prioritas *in quo*; prioritas verò *à quo* comprehendit & hanc & prioritatem simul originis. Non tamen causa spectata materialiter præcisè secundùm suam entitatem & in actu primo est prior naturâ suo effectu; sed spectata formaliter, & pro ut actu influit in effectum; quia etsi causa, quòd sit ab effectu independens, habeat ab entitate sua; nihilominùs per actualem causalitatem, & non nisi actu causans habet causa, quòd effectus à causa dependeat; sic

sic etiam causæ dicuntur naturâ priores effectibus, si qui ab ipsis absq; media causalitate dependerent, in quantùm actu dant illis esse.

IV. Causa efficiens physica (pro ut hæc opponitur intentionali V. G. finali, quæ existens solùm repræsentata per intellectum movet voluntatem ad volendum se assequi; & morali, quæ sæpè etiam non existens à parte rei, sed repræsentata tantùm ut jam præterita, vel ut absolutè exstitura movet causam physicam, ad quid aliud à se distinctum producendum) ne quidem supernaturaliter potest causare, physicè influendo in effectum, pro primo instanti suæ desitionis, quando primò non est; sicut enim tunc non habet esse actu, sic quoq; non habet virtutem causandi actu; certè si illam habeat pro primo instante desitionis, cur non etiam pro sequentibus instantibus? & quomodo dabit alteri esse actuale, quod ipsum non habet esse actuale? implicat præterea esse modum, qualis est causalitas, actu, & non esse actu ejus terminum. Non sufficit itaqùe sola contiguitas temporis causam inter & effectum, sicut sufficit sola contiguitas loci inter ea, & non requiritur, ut sint in eodem loco,

quia sola contiguitas temporis tollit fundamentum actionis, nempe existentiam, quod non facit contiguitas loci. Neq; in contrarium facit, dum pila projecta in altum pergit moveri sursum, projiciente immediatè post projectionem mortuo ; hujus enim motus immediata causa est impulsus , qui manet, projiciente jam mortuo.

V. Nulla causa præsupposita necessariò existens physicè ante suum effectum (quales causæ sunt formalis , materialis & efficiens) potest vicissim causari à suo effectu quò ad primum esse, nec in eodem, nec in diverso genere causæ, ne quidem supernaturaliter ; daret enim talis effectus suæ causæ primum esse, ut dicitur, & non daret; quia causa ista jam supponitur aliunde habere suum esse , utpote sine quo non potuisset producere hunc effectum; quod autem supponitur habere esse ante effectum , hoc ab illo non accipit primum esse, primum esse siquidem illud dicitur accipere, quod ita accipit esse, ut non supponatur illud aliunde habere. Esset præterea talis effectus sui ipsius causa , adeoque se ipso prior , cùm sit causa suæ causæ, adeoq; & causati per illam, quod

causa-

causatum est ipse. Non igitur dispositiones causant formam & vicissim ab illa causantur; quia tantùm disponunt ad formam, & primò producuntur à generante, & licet dein conserventur à forma introducta, forma tamen tum vicissim non conservatur ab iis, nec intuitu illarum, sed intuitu suiipsius, adeoque ab iis in nullo genere causæ seu à priori dependet, sed ad summùm à posteriori, si illi connaturaliter sine his dispositionibus non debeatur conservatio. Neque introductio novæ formæ causatur vicissim ab expulsione veteris formæ, quam ipsa causavit; unde dum dicitur: ideo introducitur forma nova, quia expellitur vetus: non introduceretur nova nisi expelleretur vetus: τὸ *ideo* & *nisi* non important sensum propriè causalem; sed tantùm significant connaturalem connexionem inter introductionem novæ & expulsionem veteris formæ; sicut etiam sumitur in hac propositione: *nisi cederet fenestra, non ingrederetur ventus*, significat enim duas res esse sibi invicem conditiones concomitantes, nempe ventum non posse esse in loco fenestræ, nisi illa simul repellatur &c. sicut & in hac propositione: *rotæ*

priores in curru quatuor rotarum non moventur, nisi simul moveantur posteriores: de cætero & apertionis fenestræ & ingressus venti causa est impulsus, si per apertionem fenestræ intelligas motum localem, quo illa prius ubi deserens acquirit novum; similiter negatio istius prioris ubi tam venti, quàm fenestræ, causatur ab impulsu, sive vis impellens sit in ipso vento, sive in alio. Neq; duo ligna sibi opposita in modum coni inferunt mutuam causalitatem; quia singulorum ubicationes causantur à suis ubicatis, negatio autem ulterioris motus sequitur ad utriusq; ligni ubicationem: ex eo autem quòd unum lignum alterum impediat, quò minùs moveatur ulteriùs, sequitur tantùm, duo posse esse sibi invicem impedimento. Neq; manus duæ confricando se incalescentes; quia calor in utraquè manu simultaneè producitur per spiritus vitales à motu excitatos. Neq; prunæ conservant se influendo in se invicem, sed tantùm junctis viribus fortiùs resistunt contrario. Potest nihilominùs causa finalis causari vicissim à suo effectu in genere causæ efficientis V.G. potest ambulatio physicè causare sanitatem, à qua ambulatio causata fuit finaliter;

&

& de his intelligendus est Aristoteles inquiens : *quædam vicißim sunt sibi causæ.*

VI. Similiter naturaliter nequeunt duæ res se mutuò producere quò ad secundùm esse ; foret enim ista secunda productio & multiplicatio actionum totalium respectu ejusdē effectus superflua in ordine ad finem à natura intentum , potest id tamen fieri divinitus : V. G. possunt duo ignes producti à solo Deo in eodem instante à Deo elevari ad se mutuò producendos , imò effectus ad reproducendā suam causam, per actiones, quæ prioribus superveniant , illasqùe essentialiter præsupponant, utpote per quas accipiunt primum esse & existētiam, quæ est fundamentū necessarium , ut possint operari , & secundò producere suam causam vel rem aliam. Et sic tales duæ causæ essent sibi priores & posteriores prioritate & posterioritate sive dependentiâ & independentiâ fundata in diversis actionibus V. G. ignis A producens secundò ignem B, & secundò reproductus ab igne B, quò ad primum esse , quod habet independenter ab igne B, & à quo dependenter dat secundum esse igni B , est prior igne B : quò ad secundum esse , quod accipit ab igne B

existente per primum esse, est posterior illo. Ex his tamen nõ sequitur, posse similiter Filiũ secundò producere Patrem in divinis; productiones enim in divinis singulæ singulas diversas constituunt personas, nec potest una persona constitui per duas productiones, utpote quarum una superflua; ideoque sicut personas, sic & productiones implicat multiplicari.

VII. Probabilius quoque censetur, posse idem se ipsum divinitus producere quò ad secundum esse, cùm in eo non appareat repugnantia. Neque enim ista secunda productio esset dependetia rei à seipsa, & non esset, utpote talis, sine qua & aliâ in ejus locum suffectâ potest existere; nam talis quidem est dependentia simpliciter talis, non verò secundùm quid sive quò ad secundum esse tantùm talis; & dicit dependentia in genere actualem influxum ex se defectibilem. Neque implicat, causam secundò rem producentem non tollere ejus ad existendum indifferentiam (quanquam tollat indifferentiam rei, quam habet ad hoc, ut secundò producatur) sicut implicat, causam primò

rem

rem producentem id non facere. Neque implicat rem respectu ejusdem actionis esse in fieri secundò, & simul in facto esse. Neque ista actio secunda supponit effectum suum formalem adæquatum, qui est complexum ex re existente & secunda actione, quod complexum non supponit secunda actio, sed constituit. Neque invalidatur hac ratione argumentum SS. Patrum probantium Patrem distingui realiter à Filio in divinis, quia est producens & productum; nam illi supponentes, ibi semper esse distinctionem realem inter producens & productum, ubi aliquid naturaliter producitur, bene intulerunt, Patrem distingui à Filio; quia quidquid Deus producit ad intra, id producit naturaliter. Si autem propter hanc indistinctionem producentis & producti detrectes, rem illam appellare causam suipsius, dic, esse principium, quamvis nos, dum causam definivimus, in τὸ *aliud* vim non fecerimus.

VIII. Possunt plures causæ finales in actu secundo totales (qualis dicitur illa, non quæ influit sine consortio alterius; sed quæ influit influxu se solo sufficiente ad effectum ponen-

dum, ita ut ex vi hujus influxus, etsi altera causa abesset, adhuc poneretur effectus) naturaliter influere in eundem effectum seu actionem externam. Potest enim illa imperari à pluribus actibus internis habentibus plura motiva seu fines, qui actus imperantes, quia physicè non influunt in actum externum, hic ab illis non specificatur, sed manet & procedit idem, sive ab hoc, sive ab illo, sive ab uno, sive à pluribus diversis actibus internis imperetur; è quibus actibus nullus est superfluus, saltem in ordine ad operantem (etsi de cætero alter superfluus sit respectu præcisè actionis, quæ eadem procedit uno illorum deficiente) cùm volitiones appetitivæ non tantùm ordinatæ sint à natura ad imperandam existentiam medii seu effectus externi; sed vel maximè ad bene vel malè afficiendam voluntatem. Idem tamen actus internus voluntatis ne divinitus quidem causari potest à pluribus finibus totalibus totaliter influentibus; quia fines semper sunt formalia motiva actuum voluntatis, non potest autem idem actus voluntatis habere plura objecta motiva adæquata, cùm non possit ab iis ita procedere, ut maneat idem actus uno

moti-

motivo deficiente. Potest ergo aliquis velle ire in patriam suam, & ut parentes ægros inviset, & simul ut accipiat pecuniam, ita ut horum finium uno deficiente, adhuc velit ire, non tamen id potest velle per eandem volitionem, quâ volebat ire propter utrumque finem, sed per aliam specie distinctam.

IX. Non potest naturaliter eadem forma simul è duplici subjecto totali per duplicem eductionē totalem educi, aut idem effectus à pluribus causis efficientibus totalibus totaliter influētibus procedere; semper enim una actio & una causa erit superflua; nam cùm effectus ad sui existentiam non exigat totalē conatum plurium causarū seu duplicē actionem, Deus agens ordinariè juxta naturalē rerum exigentiam, non concurrit ad duplicem actionem totalem, seu ad omnem conatū & virtutem, quam habet utraq; causa totalis in actu primo, exserendam, sicq; per hunc Dei concursum vis operativa causarū necessariarum ligatur, & determinatur, ut actione attemperatâ concurrant; si verò effectus intensionis sit capax, tunc duæ causæ effectum producent intensiorem, respectu cujus tamē

singulæ non erunt causæ totales, cùm singulæ seorsim non sint sufficientes ad tantam intensionem producendam. Fieri nihilominus id potest supernaturaliter; in eo enim, quòd passum plures totales actiones recipiat, effectusque eas terminet, nulla est repugnantia. Præterea ex eo, quòd unum agens exserat omnem conatum & vim activam, non evacuatur intrinsecè vis activa alterius; & licet actio una respectu effectus & finis à natura intenti sit superflua, non tamen respectu omnipotentiæ & finis ab ea intenti. Itaque in isto casu effectus à neutra causa determinatè dependebit, si per *dependere* intelligas, egere alicujus influxu ad existendum; est quippe actio indeterminatè accepta, seu aliqua actio egentia effectus, non verò hæc vel illa determinata actio: dependebit ab utraque, si per *dependere* intelligas, accipere ab aliquo esse; item dependebit ab utraque determinatè, si per *dependere* intelligas, egere aliquo ad existendum tali modo per duplicem actionem totalem. Porrò si effectus eodem instanti producatur per duplicem actionem totalem, neutri præsupponitur existere; si producatur per actionem tota-

totalem secundò, seu supponentem primam productionem, præsupponitur effectus existere ante secundam actionem, sed non quò ad secundum esse; Et licet hæc secunda actio superveniens non traducat effectum à non esse ad esse (quod est solius actionis primò productivæ) dat tamen rei idem esse secundò, & traducit illam à non esse secundò ad esse secundò, simulque cum priore rem conservat, vel si prior pereat, in locum ejus succedit. Denique concurrent tales duæ actiones ut elevatæ quò ad modum tantùm, in quantùm in circumstantiis conjunctionis non debetur illis concursus Dei simultaneus totalis; adeoque spectatæ quò ad modum sunt ambæ causæ instrumentales.

X. Potest idem numero effectus divisim causari à pluribus causis totalibus, sive ita causari ab hac causa, ut potuerit causari ab alia (nisi tamen quid obstet, utì ipsi actus vitales procedunt ab hoc numero principio, ut non potuerint iidem numero procedere ab alio principio) sicut enim idem effectus conservari potest à pluribus causis sibi succedentibus, imò & intendi ab aliis

aliis causis, quàm à quibus primò productus est, sic quoqùe videtur à pluribus causis divisim posse primò produci. Per accidens igitur est effectui, quòd ille procedat ab hac numero causa, & ad hoc determinatur formaliter à causalitate, efficienter à solo Deo, & consequenter pendebit effectus hic per accidens ab hac causa, si per τὸ *per accidens dependere* intelligas, contingenter, & non essentialiter dependere; non verò dependebit ille per accidens, si intelligas dependere à causa non propriè tali, sed habente se per accidens. Illud autem *Ecclesiast. honora parentes, & memento, quia nisi per illos, natus non fuisses:* supponit Deum constituisse, quinam, & ex quibus nascituri sint parentibus, & stante hoc decreto te non fuisse nasciturum, nisi ex his tibi à Deo constitutis parentibus.

XI. Omnis actio & effectus quò ad possibilitatem essentialiter connexus est cum suis causis & principiis, & his implicantibus etiam implicat ille; effectus enim & actiones non possunt actu existere (quod est aliquid esse impossibile) nisi etiam actu possint existere eorum causæ: dein ab illo enti-

entitas possibilis dependet objectivè sivè in statu possibilitatis, à quo eadem entitas existens dependet realiter in statu existentiæ. Vice versâ omnis causa tam creata, quàm etiam increata in actu primo dicit connexionem essentialem seu respectum transcendentalem ad suos effectus possibiles; nam prædicatum illud: *Esse productivum effectuum* (quòd est causæ in actu primo intrinsecum & essentiale) nec esse, nec concipi potest sine effectu isto possibili, neque etiam implicante effectu manet adhuc ex parte causæ vis ejusdem productiva, cùm causa, etiam quantùm est ex parte sua, non contineat in virtute sua impossibile seu chymæram: dicere autem implicante effectu, causa manet adhuc potens illum producere, si ille non implicaret, idem omnino est, ac dicere, implicante vi productivâ causæ, illa adhuc maneret, si illa non implicaret. Ut itaque absolutè censeatur permanere vis causæ productiva, debet non tantùm in sensu diviso, sed etiam in sensu composito, nimirum manente implicantiâ effectus, manere; aliàs (quod omnino absurdum est & ridiculum) & Deus jam erit

erit causa chymæræ, quia potens est illam producere sub hac conditione, si non implicaret. Neque implicantibus v. g. omnibus creaturis vera est hæc propositio: *Deus potest producere, quidquid non implicat*: cùm sit de subjecto non supponente; sicut & hæ ideo falsæ sunt: *Petrus occidit omnes homines in foro*, (supposito nullos fuisse in foro homines) *Deus potest producere quamcunque chymæram, quæ non implicat*: Neque implicante vel unicâ muscâ, manet conceptus omnipotentiæ illius, quæ jam est, cujus conceptus non est, posse producere; quidquid in isto casu non implicat; sed posse producere, quidquid jam non implicat; etsi maneat, vel potiùs detur tum conceptus alicujus omnipotentiæ, quæ fingitur tunc esse. Verum quidem est, ex eo, quòd chymæra, quæ semper fuit chymæra, sit chymæra, non desinere hanc omnipotentiam, desinet tamen ex eo, quod chymæra, quæ nunquam fuit chymæra, fieret chymæra, quale quid fieret, si musca, quæ nunquam implicavit, inciperet implicare. Similiter desinet hæc omnipotentia eo ipso, quò intelligitur productiva chymæræ redditæ possibilis, quæ ante implica-

plicabat, adeoqùe augeri vis ejus productiva; implicat enim omnipotentiam hanc, utpote infinitam, fieri potentiorem, adeoqùe ne quidem maneret hæc potentia productiva omnis illius, quidquid jam non implicat. Nihil autem indecentiæ importat hæc connexio, seu implicare Deum sub conditione impossibili, sicut nihil importat Deo indecens, alia ejus attributa sub simili conditione impossibili implicare; v. g. ejus sanctitatem, si mentiretur, ejus Justitiam, si malos præmio afficeret; imò absurdi nihil in eo est, quòd ita connectatur cum re impossibili v. g. alio Deo, ut eo facto possibili, implicaret. Similiter nihil dependentiæ à creaturis importat hæc connexio, utpote quæ quid latiùs patiens est, quàm dependentia (aliàs & Pater divinus connexus necessariò cum Filio, ab eodem penderet) & fundata in summa Dei perfectione & fæcunditate. Nihil item egentiæ; dici enim non potest, creaturarum possibilitatem esse conditionem ad hoc, ut existat Deus, nisi hoc loquendi modo significare velis, Dei existentiã inter & creaturas tam necessariam esse connexionem, ut hæc esse non possit, nisi post se

tra-

trahat creaturas possibiles veluti majestati suæ famulitium. Nihil demum imperfectionis; non enim omnipotentia excogitata carens hac connexione, major est & perfectior omnipotentiâ ita cum creaturis connexâ, sed longè inferior, adeoque fictitia; dicere autem, hinc sequi, possibilitatē Dei non esse magis necessariam quàm possibilitatem creaturarum, apud intelligentes non est absurdum; in tantùm tamen necessitas possibilitatis creaturarum inferior est, in quantùm creaturæ necessariò quidem possunt existere, sed per alium, Deus autem à se, à quo essendi modo à se, vel per alium, abstrahit possibilitas entis intrinseca. Illud deniquè hìc observandum est; Deum seu causam cum effectibus actu existentibus, sed non ut existentibus connecti necessariò; licet enim possibilitas & existentia actualis rei non distinguantur in ratione prædicatorum objectivorum, distinguuntur tamen valde ratione status; quæ connexio cum creaturis ut possibilibus etsi non sit actualis & propriè realis tanquam influentis in illas, est tamen tanquam potentis in illas influere, adeoque potentiâ exercentis aliquod munus circa illas,

illas, quod sufficit ad hoc, ut terminus non sit purè terminus, qualis requiritur ad relationem transcendentalem.

XII. Non est autem respectus hic indeterminatus, id est, talis, quo ita respiceat effectus possibiles, ut quocunque implicante effectu, causa adhuc maneat, & non implicet, nisi implicantibus simul omnibus; sed talis, ut eo ita respiciat effectus determinatè omnes, ut quocunque reddito impossibili, implicet & illa; quia quocunque implicante implicat prædicatum causæ intrinsecum, quod est, esse virtutem productivam hujus effectus. Hinc tamen non sequitur, eum, qui intuitivè cognosceret Deum, statim etiam in particulari cogniturum omnes creaturas possibiles, cùm cognitio creata repræsentans omnia individua possibilia, uti & cognitio comprehensiva Dei, imò & creaturæ (si ad illam requiratur, ut determinatè & distinctè omnium prædicatorum relativorum terminos repræsentet, implicet) sed cognoscet tantùm confusè hos terminos, & ipsum Deum, qui connexus est cum singulis in particulari creaturis possibilibus, non ut connexum cum singulis.

DIS-

DISSERTATIO NONA

De causa materiali, & formali.

I. CAUSA *materialis* in quantùm compositiva est, seu in ordine ad compositum, est ea, *ex qua tanquam subjecto inexistente fit aliquid:* in quantùm est sustentativa & receptiva formæ, est ea, *ex qua fit aliquid, quod media passione ipsi causæ inest:* dicitur autem mediâ passione, & non unione, ut definitio conveniat tam causæ materiali, in quantùm est subjectum sustentationis & simul informationis (qualis naturaliter semper est) quàm causæ materiali, in quantùm tantùm est subjectum sustentationis, quod fieri posset, si Deus eductâ formâ impediret ejus unionem cum materia. Utroquè modo spectata est propriè dicta causa; dat enim verè esse composito per influxum defectibilem, dum communicando se comparti, scilicet formæ, per unionem communicat entitatem suam composito; Neque enim requiritur ad causandum compositum per modum causæ intrinsecæ, causare omnes

ejus

ejus partes, materiam formam unionem distributivè, aut aliquam illarum, sed causare illas collectivè sumptas, seu ingredi tanquam constitutivum hanc collectionē, quā dicunt materia forma & unio collectivè sumpta; cujus ratio est, quòd partes causent totum componendo, componere autem non sit dare partibus esse, sed partem dare se comparti per unionem; Neque requiritur, ut causæ intrinsecæ communicent composito esse distinctum à suo esse, aut ut causent illud esse, quod communicant, sed sufficit, partes se ipsas dare composito. Similiter dat formæ, quæ ex ea educitur, esse per influxum defectibilem; si enim formam educi è materia, tantùm sit, eam fieri dependenter à materia tanquam conditione, sine qua non, jam formæ materiales etiam ab agente naturali creabuntur; anima rationalis enim ideo creatur, quia materia non influit in eam, sed purè se tantùm habet per modum conditionis, sine qua non crearetur anima. Etsi autem materia, in quantùm præcisè sustentat tantùm formam, non sit propriè causa intrinseca compositiva, reduci nihilominùs potest ad causas intrinsecas, quia sustentans

formam, naturaliter etiam ab ea informatur, & consequenter cum ea componit compositum, & sustentans formam proximè exigit semper ab ea informari, adeoque in quantùm sustentativa, subordinatur quasi sibi ipsi in quantùm compositivæ.

II. Causalitas causæ materialis compositivæ est unio; per hanc enim formaliter se communicat comparti, adeoq; per illam redditur formaliter componēs seu influens & causans compositum. Nec obstat primò, quòd unio non sit inter causàm & effectum; id enim ad causalitatem causarum intrinsecarum non requiritur. Nec secundò, quòd hæc causalitas producatur per aliam causalitatem, nempe per eductionem; nil enim vetat, unā causalitatem per aliam diversi generis (qualis respectu unionis est ejusdem eductio, compositis merè extrinseca) produci. Unde unio seipsâ est in materia unitivè, id est, unitur materiæ seipsâ absque superaddita sibi causalitate, non verò seipsâ est in materia causaliter & sustentativè, id est, non causatur & sustentatur à materia absque alia causalitate, sed per hanc causalitatem à se distinctam sive per eductionem veluti terminus productus,

ductus, unio connectitur cum materia, tanquam cum subjecto sustentationis, & seipsâ tunc formaliter materiæ tanquam subjecto informationis inhæret. Causalitas causæ materialis sustentativæ tam respectu unionis, quàm formæ materialis, tam in fieri, quàm in facto esse, est eductio unionis & formæ, in quantùm eductio hæc est passio, seu respicit materiam, in qua recipitur; per hanc enim materia redditur actu causans formam & unionem, & hæ dependentes à materia.

III Sola materia, & non totum compositum est immediatum subjectum inhæsionis quantitatis. Sic enim contingit in homine, ex cujus forma, utpote subjecto spirituali, quãtitas, quæ est forma materialis, educi non potest; jam verò aliorum compositorũ materia est ejusdẽ capacitatis cum materia hominis; nullum præterea est fundamentum tribuendi formæ virtutem inadæquatè sustentandi quantitatem; nam quantitas formæ communicat suum effectum formalem mediatè tantùm, & exigit forma, utì & reliqua accidentia corporea extendi, non ratione quantitatis in iis receptæ, sed ratione subjecti per

quantitatem extensi, in quo partes eorum subjectantur, & ex quo extenso secundùm diversas sui partes educuntur: unde & vides, formam materialem non ideo tantùm esse quantam, quia est in subjecto extenso (aliàs & anima rationalis diceretur quanta) sed quia insuper habet partes entitativas. Ad hæc, cùm quantitas sit dispositio ad formam materialem substantialem, adeoquè suo modo naturâ prior illâ, non potest in forma recipi, & vicissim ab ea causari materialiter. In eo autem, quòd materia in executione priùs uniatur quantitati, quæ est forma accidentalis, quàm formæ substantiali, & quòd ei tanquam proprietati suæ, quam determinatè exigit, uniatur arctiùs, quàm formæ substantiali, nihil est absurdi.

IV. Similiter reliqua accidentia corporea absoluta subjectantur in sola materia; si enim subjectarentur in toto composito, & hoc pereunte deficerent, jam dispositiones præviè ad formam sequentē inductæ erunt frustra; cùm non disponant pro instanti generationis, pro quo deberent disponere ad formam novam, illo enim cum veteri forma per-

pereunte pereunt. Neqùe etiam dici potest, materiam in instante generationis disponi ad hanc specie & numero formam per dispositiones, quæ in instante præcesserunt, eò quòd virtute illarum expulsa sit forma prior, quæ quia expulsa est per tales dispositiones, non potest subsequi, nisi talis numero vel specie forma: nam forma prior vi dispositionum expelli non potuit; aliàs enim hæ dispositiones, si exigerent corruptionem sui subjecti, quod tanquam principium supponitur ad earum existentiam, exigerent virtualiter suam destructionem; insuper deberet forma expellens existere in instante, quo fit expulsio, utpote ejus causa, sed dispositiones tunc non existunt, cùm tunc unà cum veteri forma corrumpantur. Præterea plurima manent accidentia in genito, quæ fuerant in corrupto v. g. in equo mortuo eadem quantitas, color, gravitas &c. (quis enim tam subitò, veteribus accidentibus unà cum subjecto suo inadæquato formâ pereunte pereuntibus substitueret nova prioribus omnino similia? non Deus, quia hic non supplet defectum causarum secundarum, nisi ad exigentiam alicujus v.g. dispositio-

tionum jam introductarum) sed hæc acci-
dentia non possunt manere eadem, subje-
cto eorum inadæquato pereunte. Ad quo,
si dicatur, illa mox incipere subjectari i
forma nova accedente, sine necessitate jam
multiplicantur uniones horum accidentium,
pereunt hæ siquidem, dum perit subjectum
inadæquatum horum accidentium, cum
quo uniebantur, & novæ producuntur ad
uniendum eadem formæ sequenti. Cùm
ergo inquit Arist. *generatio est mutatio tri-
tius in totum, nullo subjecto sensibili rema-
nente eodem:* Vult, perire sensibile in con-
creto, sive subjectum, quod mediis ac-
cidentibus denominatur sentiri, non ve-
rò ipsa accidentia; & licet maneat ma-
teria tanquam subjectum informationis i-
storum accidentium, hæc tamen non est
subjectum denominationis; malè enim di-
citur, medio colore videri ipsa materia pri-
ma, sed dicitur videri homo seu totum
compositum, quod perit pereunte for-
ma.

V. Probabilius est, accidentia subjecta-
ri immediatè in quantitate; videmus enim
varias in speciebus Eucharisticis fieri altera-
tio-

tiones, produci calorem humiditatem & c. sed hoc non possent agentia naturalia, nisi in & è subjecto, quale aliud hìc non potest assignari quã quantitas; dicere ista accidentia creari, & à Deo produci has alterationes ad præsentiã agentis naturalis, videtur esse contra commune judicium hominum, qui non dubitant, id fieri ab agentibus naturalibus. Ad hæc non repugnat unum accidens in altero subjectari, cùm omnis quantitas & qualitas sit subjectum suæ ubicationis: & accidens tantùm accidenti non accidat ut subjecto ultimo; & sufficiat dispositiones recipi ultimatè & mediatè in eo subjecto, in quo forma substantialis recipitur immediatè.

VI. CAVSA FORMALIS est, *quæ per modum actus vel determinativi intrinsecisive ultimò constituit compositum*; materia enim veluti inchoat compositum, forma perficit illud ultimò, & determinat materiam ad esse potiùs hominis, quàm bruti. Unde effectus primarius hujus causæ est compositum. Secundarius & negativus, expulsio veteris formæ, quam tamen non causat, physicè in illam influendo (ad negationem enim, qualis est desitio formæ veteris, non datur actio)

neqùe immediatè subtrahendo isti formæ suum concursum: sed sollicitando quasi causam primam, vel etiam determinando causam materialem & efficientem secundam, ut ad informationem suam subtrahat illi concursum suum, cui illius exigentiæ naturaliter debetur subtractio istius concursus. Causa autem efficiens novæ formæ causat hanc expulsionem efficienter mediatè, quatenus causat formam novam, quæ immediatè in genere causæ formalis causat illam. Quibus non obstat, quòd introductio novæ formæ sit quasi finis expulsionis veteris formæ; nam finis tantùm propriè talis est in executione posterior, quàm media finem efficientia seu propriè dicta: non autem est posterior aliis mediis impropriè talibus, ab ipso fine ortis, & illum consequentibus, quale quid est expulsio formæ veteris.

VII. Causalitas formæ respectu effectus primarii est unio, etsi hæc non causetur à forma; causalitas enim tantùm causæ efficientis causatur ab eo, cujus est causalitas; hinc si unio crearetur, foret adhuc vera causalitas & influxus materiæ & formæ in compositum. Formæ tamen modales, quæ seipsis uniun-

tur

tur subjectis, non egent causalitate distinctâ, sed seipsis sunt simul forma & quasi causalitas. Causalitas formæ respectu effectus secundarii est eadem unio, ut actu movens Deum, vel etiam determinans causas secundas ad subtrahendum concursum veteri formæ; per hanc enim unionem actu moventem Deum constituitur forma actu causans hanc expulsionem, & impossibile est, hanc unionem actu movere Deum, & formam veterem non expelli: sic etiam hæc subtractio concursus divini suo modo dependet à forma, quatenus Deus potens ob alios fines suum concursum subtrahere, subtrahit illum ad exigentiam formæ.

VIII. Formam tribuere suum effectum formalem alicui, est cum eo constituere aliquod compositum; quòd autem non semper eadem inde resultet denominatio, si eadem forma aliis & aliis subjectis uniatur, inde est, quòd effectus formalis sit compositum includens intrinsecè subjectum, pro cujus subjecti diversitate erunt & resultabunt composita & denominationes diversæ, pro ut subjectum tali formæ erit proportionatum vel improportionatum; sic visio unita oculo de-

nominat illum videntem, non verò unita lapidi, quia hic est subjectum tali formæ improportionatum; in quibus tamen casibus forma adhuc talibus subjectis tribuit denominationem habentis v. g. dicetur lapis res habens visionem.

DISSERTATIO DECIMA

De causa Finali, & Exemplari.

I. CAUSA FINALIS non est dicenda causa realis, si per causam realem intelligas causam physicè existentem, & per influxum physicum producentem effectum sibi coëxistentem. Est causa realis, si per causam realem intelligas causam, quæ non fictè, sed verè & realiter, quamvis intellectui solùm objecta, & non existens moveat voluntatem ad se amandum: quæ motio licet sit motio metaphorica, non est tamen causalitas metaphorica: & licet hæc causalitas actu à fine dependeat, non tamen ideo magis necesse est, causam finalē coëxistere causalitati, quàm effectui. Definitur esse *id, cujus gratiâ aliquid fit*; sive propter cujus bonitatem

tem in se & propter se amatam amatur, fit & suscipitur aliud, v. g. propter sanitatem in se & propter se amatam sumitur medicina. Finis alius est *finis qui*, & est bonum illud, quod amatur: alius *finis cui*, & est ille, cui vultur seu appetitur illud bonum. Alius finis *ut adeptio*, & est boni illius possessio vel acquisitio; integrant autem hæc tria veluti partes unum finem adæquatum, & nullus eorum seorsim est aptus movere. Item alius est finis proximus seu immediatus, alius ultimus; hic subdividitur in simpliciter ultimum, qui rationabiliter ulteriùs referri nequit, ut Deus; & in ultimum secundùm quid, seu negativè ultimum, qui etsi de facto ab agente ulteriùs non referatur, de se tamen ulterius ad alium finem est ordinabilis.

II. Cognitio repræsentans bonitatem finis quà talis non est inadæquata vis causativa finis, sed tantùm conditio applicans voluntati vim causativam finis: quia cognitio non est id, quod repræsentatum movet ad amorem sui, nec ea intenditur ut acquirenda. Est itaque hoc concretum: *bonitas repræsentata*: inadæquatè tantùm secundùm rectum vis

causativa finis; & dum dicitur bonitas ut repræsentata movet, non reduplicatur vis causativa, sed conditio, utì fit, dum dicitur: ignis ut approximatus calefacit. Neqùe obstat, primò, quòd cognitio sit existentia intentionalis finis; quia sola existentia physica (quæ repræsentatur ut obtinibilis) identificata entitati causæ est vis ejus causativa. Neque secundò, quòd solâ cognitione mutatâ nunc actus voluntatis producatur remissior, nunc intensior, nunc liber, nunc necessarius; nam & mutata approximatione ignis, alius & alius est ejus effectus: insuper, cùm voluntas non feratur in objectum, nisi ut cognitum, illudqùe possit clarè vel minùs clarè cognosci, mirum non est, ex inde mutari volitionem, quamvis non formaliter intrinsecè, utì fit à diverso tendendi modo.

III. Sola itaqùe bonitas est ratio formalis seu vis causativa finis; illa enim sola attrahit voluntatem; malum autem est veluti terminus, à quo dum voluntas recedit per odium, formaliter simul accedit ad bonum, cùm non dentur actus puræ fugæ, sive non fugiatur malum nisi propter bonum, ita ut tales actus fugæ pro objecto materiali & termino à

quo

quo habeant malum, pro formali & termino ad quem; bonum: qua ratione fugimus dolores propter bonitatem, quæ est in eorum carentia, quæ bonitas non semper est absoluta & transcendentalis seu proprietas entis, sed quandoq; respectiva tantùm, qualis etiam inest negationibus. Et quidem solum bonum per se, id est, honestum & jucundum potens est finalizare, utpote quod solum amatur propter se, utile autem quà tale semper appetitur propter aliud, adeoq; finis proximus ut de facto ordinatur ulteriùs, non finalizat. Bonum tamen tantùm apparens potens est finalizare, uti fit, dum quandoq; impossibilia ut possibilia, & quæ honesta non sunt, repræsentata ut honesta movent ad amorem sui: & sic oriri potest finaliter causalitas finis à principio, quod à parte rei non est reale, repræsentatur tamen ut reale, finis enim non causat secundùm realem, sed intentionalem existentiam. Observandum autem hìc primò, bonitatem ut apparentem, sive reflexè cognitam ut tantùm apparentem non posse finalizare. Secundò bonitatem motivam & primariam finis semper esse realem & possibilem, quamvis objectum secundarium &

materiale, quod est subjectum, cui ista bonitas inesse creditur, possit esse non reale.

IV. Causalitas finis respectu actuum à voluntate elicitorum est physica istorum actuum productio, quæ, quatenus recipitur in voluntate, est causalitas causæ materialis, quatenus efficitur ab eadem voluntate, est causalitas causæ efficientis, quatenus verò sit gratiâ finis, est finalizatio seu causalitas finis: & licet finis fortè in actu primo sit primus inter causas, in actu tamen secundo simul cum reliquis causis causat, adeoque omnium eadem potest esse causalitas. Causalitas finis respectu actuum à voluntate imperatorum, & ab aliis potentiis elicitorum est productio horum actuum, quatenus procedit à tali aut tali volitione imperante; hac enim productione à tali voluntate imperatâ positâ, ne quidē divinitus, potest impediri, quò minùs dicatur finis actu causare, sola autem productio actuum externorum poni potest V. G. à non cogitante, quin finis intelligatur finalizare.

V. Si *τὸ cujus gratiâ* idem est, quod, cujus amore & desiderio fiunt cætera, sola imperatio à voluntate facta intellectui inquirendi media,

media, electio, prosecutio, & exsecutio mediorum sunt propriè effectus finis; non verò ipse amor & desiderium finis, neq; gaudium in & de obtento fine; hæc enim non fiunt ex amore finis. Si τὸ *cujus gratiâ* idem est quod, ob cujus bonitatem fiunt cætera, jam etiam amor finis & gaudium de obtento fine sunt propriè effectus finis; hæc enim fiunt seu oriuntur ob bonitatem finis. Nec obstat axioma: obtento fine cessat actio: cessat enim actio externa, vel etiam interna tendens in consecutionem finis, non tamen interna manans ex obtento fine. Neq; etiam obstat, quòd istæ actiones in ordine ad actiones externas ingrediantur causalitatem finis, quia in quantùm ipsæ immediatè à voluntate sunt elicitæ, non ingrediuntur dictam causalitatem finis, sed habent rationem effectus finis. Quod attinet ipsam finis assecutionem seu finem ut obtentum, probabilius videtur, illum non esse effectum suiipsius ut præconcepti; finis enim est, cujus gratiâ fiunt cætera à fine diversa; unde, dum dicitur: *finis est obtentus ex amore finis*: intelligendum hoc non est positivè, sed negativè, id est, quòd non sit obtentus ex amore alterius.

VI. So-

VI. Sola agentia creata intellectualia, id est, homines ratione utentes & Angeli, Deus item operando ad extra, propriè agunt propter finem; hi enim discernunt inter media & finem, cognoscendo proportionem mediorum ad finem & contra. Deus tamen operando ad intra V.G. producendo Filium, amando seipsum, non agit propter finem; hi enim actus, utpote ens à se ipseq; Deus, non sunt effectus; dum ergo Deus dicitur amare se propter se, intelligitur id negativè, nempe quòd non amet se propter aliud. Similiter etsi non detur causalitas finis respectu volitionis divinæ, datur tamen respectu effectuum ab hac volitione Dei productorum. Porrò neqùe inanimata agunt propter finem ab ipsis præcognitum & intentum, sed potiùs aguntur in finem à Deo intentum & præcognitum. Neqùe bruta aut infantes & amentes, etsi instinctu quodam naturæ appetant & applicent quandoqùe media revera utilia & proportionata ad rem, quampiam obtinendam, imò licet id faciant ex confusa aliqua apprehensione vel imaginatione (cujus species non hauriunt per sensus, aut sibi efformant, sed ab auctore naturæ ad propagatio-

nem

nem generis & vitæ infusas accipiunt) utilitatis, non agunt tamen formaliter, sed tantùm materialiter propter finem ; quia non referunt ea in ordine ad talem finem, nec cognoscunt illa tanquam media proportionata ad talem finem.

VII. CAUSA EXEMPLARIS *est forma in mente, quã effectus imitatur ex intẽtione agentis determinantis sibi finem* : id est, est cognitio intrinseca intellectui operantis repræsentans eidem opus faciendum & modum operis faciendi, sive proximè dirigens operantem, ut producat effectum talem , qualem hæc cognitio repræsentavit & sibi producendum proposuit artifex ; si enim casu & merè naturaliter absq; intentione procedat effectus, non censetur habere causam idealem ; unde etiam agentia merè naturaliter dicuntur operari secundùm formam, quam habent in seipsis purè naturaliter & physicè ; agentia verò artificialia quà talia operari juxta formam, quam habẽt in se intelligibiliter, seu in mente. In quantùm hæc causa reddit artificem potentem operari, integratq; cum aliis concausis causam efficientem, ad eandem reduci potest ; reduci potest ad causam formalem,

lem, & dici causa formalis extrinseca, quatenus est forma, ad cujus imitationem res constituitur in suo esse specifico.

VIII. Ratio causæ idealis consistit in cognitione & ejus objecto, ita ut ex cognitione veluti idea formali seu exemplari *ut quo*, & conceptu objectivo intrinseco veluti exemplari interno *ut quod* confletur una adæquata ratio causæ exemplaris: objectum enim est illud, quod inspectum seu cognitum ut quod, dirigit ut quod artificem, & cui intendit conformare opus, dicitur idea materialiter; sicq; idem existens intētionaliter est causa suiipsius existētis realiter: è contra cognitio est id, per quod objectum cōstituitur formaliter in ratione ideæ imitabilis ab agente, & quo mediante objectum dirigit artificem, quam cognitionem opus non est, cognosci ut quod sive reflexè. Pertinet autem ista cognitio potiùs ad rationem causæ exemplaris, quàm pertineat ad rationem causæ finalis; quia in hac sola bonitas repræsentata allicit voluntatem ad se, non verò cognitio; hìc autem non tantùm conceptus objectivus dirigit, sed etiam & vel maximè conceptus formalis.

IX. Cau-

IX. Causalitas hujus causæ est actio externa, quatenus directa per ideam internam, & quatenus facta ex intensione opus exsequendi.

DISSERTATIO XI.

De Causa Efficiente.

I. CAUSA EFFICIENS EST ; *unde est principium mutationis, sive à quo primò est mutatio*, id est, actio & terminus per actionem productus. Dicitur *à quo est mutatio*, ut indicetur proprius causandi modus hujus causæ ; effectus enim est ex materia, per formam, propter finem, à causa efficiente. Dicitur *à quo primò est* &c. ut distinguatur insuper à reliquis causis ; etsi enim finis sit in intentione prior, in exsecutione tamen prior est efficiens, & licet materia sit subjectum primum, non est tamen id, à quo absolutè primò est mutatio, quia illud non potest esse hac ratione primum, à quo non sumitur determinatio ; prior item est priorita-te universalitatis, cùm vera sit hæc causalis : ideo patitur materia, quia efficiens agit.

II. Cau-

II. Causa illa efficiens dicitur principalis, quæ est æqualis aut majoris perfectionis cum effectu, & dicit ad illum proportionem. Illa est instrumentalis, quæ est minoris cum effectu perfectionis, vel si est æqualis, non habet proportionem, id est, vim connaturalem, ad illum producendum, & hinc subordinatur alteri, nimirum causæ principali, à qua confortatur & elevatur per concursum altioris ordinis, & cujus intuitu illi præbetur concursus causæ primæ, si subordinetur causæ principali creatæ; qualiter phantasma utpote materiale, adeoq; ignobilius & improportionatum ad producendas species impressas intelligibiles spirituales, ad hoc eget concursu altioris ordinis, nempe comprincipii spiritualis (quale est intellectus) à quo elevetur; qualiter non elevatur equus se solo insufficiens trahere currum, dum illi adjungitur equus alius, cùm hic concursus non sit altioris ordinis, & qualiter vice versâ non elevatur causa principalis ab instrumentali, etsi & hac egeat; non enim eget ejus concursu ad producendum effectum se perfectiorem aut impoportionatum sibi, neq; ita eget, ut detur ei intuitu causæ instrumentalis cõcursus Dei.

Hinc

Hinc patet causam malè ideo dici instrumentalem, quia non attingit sua actione effectum, sed producit quid prævium, ad cujus productionem resultat productio effectus. Item quia illi nullum correspondet prædicatum in effectu (foret enim Angelus elevatus à Deo ad creandum alium Angelum omninò sibi similem, adhuc causa instrumentalis, etsi ei omnia prædicata in effectu respondeant.) Item quia movetur priùs à causa principali; quomodo enim phantasma movetur priùs ab intellectu?

III. Instrumentum aliud est naturale, quod à natura subordinatur alteri causæ, ut cum ea producat effectum se perfectiorem tale V. G. est phantasma. Aliud artificiale, quod ab extrinseco, nempe ab artifice, ordinatur & assumitur ad effectum, ad quem ex se est improportionatum (quamvis hæc in rigore non sint instrumenta, cùm ex se activa non sint, sed tantùm recipiendo in se impetum, unum cum alio conjungant, aut unum ab altero dividant; adeoquè hæc divisio sit analogi in sua analogata.) Aliud obedientiale, quod assumitur à Deo ad effectum aliquem supernaturalem quò ad entitatem, vel

quò

quò ad modum producendum. Iterum instrumentum aliud est conjunctum causæ principali secundùm esse, si nimirum ei physicè uniatur, tale instrumẽtum ignis est calor in quorundam sententia ; vel conjunctum per contactum, ut calamus scribæ: aliud separatum quò ad esse & quò ad contactum, ut telum excussum in hostem. Separatum item dicetur quò ad causalitatem , si absque causa principali simul influẽte influat in effectum; verùm meliùs negatur, dari instrumẽta separata quò ad causalitatem à principali causa; instrumẽtum enim propriè tale causare non potest, nisi causa principalis concursu simultaneo cum eo influat in effectum : hinc malè dicitur semen esse causam instrumentalem istius viventis, à quo decisum est, & absque eo influere in effectum.

IV. Non elevatur instrumentum à causa principali per hoc, quòd habeat præviam aliquam operationem in effectum ante operationem causæ principalis ; quid enim operatur phantasma præviè circa speciem intelligibilem producendum , antequàm cum eo concurrat intellectus ? Neq; semper elevatur per receptam in se præviè à causa principali qua-

qualitatem, (qualiter tamen frequẽter elevatur V.G. intellectus per habitum infusum ad actum supernaturalem fidei) sed est quandoquè tantùm instrumentum assumi ad societatem & cõcursum simultaneum causæ principalis, & cum ea influere in effectum se perfectiorem, vel ad quem nõ habet de se proportionem, ut patet in phãtasmate & in volũtate peccatoris absquè habitu infuso immediatè cum concurrente secùm Deo eliciente charitatem. Et quod specialiter concernit instrumentum obedientiale, non dicitur illud obedientiale respectu qualitatis sibi superadditæ aut concursus simultanei, sed respectu causæ principalis infundentis hanc qualitatem, aut offerentis illi per decretum hunc concursum indebitum. Elevatur illud ad producendos effectus supernaturales quò ad entitatem per additum illi comprincipium indebitum, id est, naturaliter non obtinibile aut exigibile, sive hoc sit creatum, & instrumẽto huic intrinsecè inhærens, quale est lumen gloriæ respectu visionis beatificæ; sive sit specialis modus, quo applicatur illi omnipotentia ad concurrendum concursu speciali per modum specialis comprincipii.

Ad

Ad producendos verò effectus supernaturales tantùm quò ad modum V. G. ad producendum calorem in subjecto distante, elevatur per decretum, quo Deus hìc & nunc suppositâ illâ distantiâ, vult præstare suum concursum ordinarium, qui tamen hìc & nunc est indebitus. Observandum autem hìc est in genere: primò elevationem ab ipsa causa instrumentali distingui adæquatè. Secundò causam instrumentalem per hanc elevationem non fieri intrinsecè potentiorem, quia manet intrinsecè æquè impotens, quam erat ante, operari se solâ. Tertiò omne instrumentum propriè tale essentialiter esse principium inadæquatum. Quartò instrumentum obedientiale etiam habens sibi conjunctum comprincipium indebitum non esse adæquatè elevatum, quamdiu non habet omnia naturaliter sibi non conjungibilia aut exigibilia, qualiter habito habitu fidei, jam debetur intellectui concursus Dei ad actum fidei.

V. Ratio potentiæ obedientialis remotæ identificatur entitati potentiæ naturalis, quatenus hæc capax est, elevari per comprincipium indebitum ad effectum supernaturalem producendum. Ratio potentiæ obedientialis proxi-

proximæ item adæquatè consistit in ipsa potentiæ naturalis entitate, quatenus hæc respicit comprincipium indebitum actu sibi conjunctum, si illud est qualitas prævià, vel decretum Dei actu sibi applicitum de præstando concursu indebito; cùm enim potentia obedientialis sit id, quod elevatur per comprincipium indebitum, non constituitur partialiter per hoc comprincipium: potentia item obedientialis ut condistincta ab hoc comprincipio (non tamen ut separata ab eo) attingat effectum, hoc comprincipium non est pars intrinseca hujus totius, quod dicitur potentia obedientialis (etsi sit pars hujus aggregati, quod dicitur potentia obedientialis actu elevata; quod adhuc aliud est, quàm potentia obedientialis in actu secundo; potest enim esse actu elevata, absq; eò quòd actu influat in effectum) sed ab ea tantùm connotatur. Unde licet dicere: potentia obedientialis & tale comprincipium est unum adæquatum principium talis effectus: non licet dicere; potentia obedientialis habens sibi conjunctum tale comprincipium, est principium adæquatum. Erit itaque potentia obedientialis potentia

merè naturalis, sed transcendentaliter respiciens effectum supernaturalem à se (nõ quidem solâ, sed adjutâ à cõprincipio indebito) producibilem, & simul illud comprincipium sibi conjungibile.

VI. Potentia obedientialis passiva est quoquè ipsa potentiæ passivæ naturalis entitas, quatenus respicit potentiam obedientialem activam, seu agens elevatum comprincipio indebito, potens educere ex se formam, quam nullum agens naturale sibi relictum poterat educere; eo ipso enim, quòd elevetur agens seu potentia activa V.G. intellectus ad activè eliciendam fidem, potentia passiva non eget alia elevatione: & hoc modo respiciens effectum supernaturalem ex se educibilem ab agente elevato, dicitur illum continere in potentia obedientiali passiva. Unde infertur, potentiam obedientialem passivam esse principium passivum adæquatum talis effectus: quamvis non negemus, posse quoq; dari potentiam obedientialem passivam, quæ sit principium inadæquatum effectus, si nimirum elevaretur per adjunctum illi comprincipium passivum.

VII. Quam-

VII. Quamvis dari possit creatura obedientialiter elevabilis ad producēdum quidlibet, quod specialiter non implicat (qualiter implicat, elevari illam à Deo ad peccandum; foret enim is in hoc casu auctor & causa peccati, utpote ad quod cum intentione, & quidē per concursum indebitum concurrit) admittenda tamen non est potentia obedientialis tam lata in re quavis, quæ de facto datur: ut enim creatura aliqua elevari possit, debet ex se habere virtutem quandam innatam & inchoatam ad illum effectum, ad quem elevatur, producendum, saltem tanquam principium ejus inadæquatum, sive debet respectu illius esse activa: jam verò nullum est fundamentum, ex quo colligatur talis virtus rebus omnibus inesse (quale est, & quidem unicum adscribendi ist hanc virtutem intellectui & voluntati respectu actuum supernaturalium, nimirum illud, quòd hi actus ratione vitalitatis exigant procedere immanenter à principio vitali;) absq; fundamento autem positivo nō licet rerum virtutes multiplicare aut ampliare. Neq; valet hìc modus argumentandi: non implicat, res quasvis habere hanc virtutem ad quidvis, ergo habent, sed

tantùm sequitur: ergo habere possunt. Neque etiam ad hanc virtutem rebus tribuendam sufficit, quòd aliquod earum prædicatum correspondeat formalitati repertæ in effectu, nempe prædicatum entis; non enim ideo tribuitur intellectui & voluntati virtus inchoata producendi actus illos supernaturales, quia possunt per se concurrere ad formalitatem aliquam omninò generalem repertam in suis actibus; sed quia possunt concurrere ad formalitatem aliquam specificam, & quidem talem, ut ratione illius hi actus exigant necessariò, pendere à talibus potentiis, & non possint ne quidem à Deo aliter produci, quàm dependenter ab his potentiis. Negata autem hac ratione rebus potentia obedientialis ad producendum quidvis, non derogat omnipotentiæ aut perfectissimo Dei in creaturas dominio, cùm huic nõ repugnet, nõ posse uti instrumentis omninò ineptis (qualia instrumenta sunt res carentes dictâ virtute inchoatâ) ad quæcunq; perfectissima opera; imò tale dominium erit chimæricum.

VIII. Ad dignoscendum, num aliqua causa efficiens respectu effectus alicujus sit adæqua-

adæquata, sive se solâ sufficiens, hæc sunt notanda: primò nullum principium potest esse adæquatum effectus, in quo relucet prædicatum ex his quatuor. *Vitalis, spiritualis, supernaturalis, substantialis:* nisi & illud in causa reluceat formaliter, sic nihil materiale potest esse principium adæquatum effectus spiritualis &c. an autem sint insuper alia prædicata, exigentia similem formalem correspõdentiam in causa, non constat, cùm res materialis V. G. possit procedere à solo principio spirituali, nempe Deo. Secundò nullum principium est adæquatum effectus se perfectioris. Tertiò principium in perfectione æquans effectum, continens etiam formaliter ea prædicata ex dictis quatuor, quæ effectus ex iis continet, tum habendum est pro adæquato principio, si fundamentum nullum appareat assignandi aliud adhuc necessariò requisitum principium ad talem effectum; sola enim perfectionis æqualitas & formalitatum correspondentia non sufficit ad rationem principii adæquati, ut patet in intellectu respectu speciei impressæ intellectualis.

IX. Unde accidens esse non potest immediatum & adæquatum principium substantiæ; cùm enim omnis perfectio effectui proveniat à causa, accidēs, quod neq; formaliter, neq; virtualiter, neq; eminenter continet perfectionē substantiæ, hanc non potest substantiæ cōmunicare. Cui non satisfacis dicendo: non requiri, ut causa instrumentalis agens in virtute alterius, in perfectione æquet effectum; nam accidens agere in virtute substantiæ; vel est, accidens cum substantia immediatè operante operari, & sic accidens non est principium adæquatum; vel est, accidens agere solùm secundùm propriam virtutem, & tantùm nomine substantiæ: ex eo autem, quòd quis agat nomine & loco nobilioris, non agit perfectiùs, si ab eo virtutem nullam accipiat, quam si accidens à substantia accipit, jam substantia est immediatè operativa, utpote hujus virtutis productiva; dein hæc virtus vel est accidens, & relinquit accidens æquè ad producendam substantiam improportionatum; vel est substantia, & jam solum accidens non est adæquatum principium substantiæ; ad hæc cùm causa instrumentalis nequeat agere, nisi simul secùm

cùm influente causa principali, adeoqùe sit essentialiter principium inadæquatum, tale erit accidens, si sit instrumentum substantiæ, ut volunt Adversarii. Cui iterum non satisfacis dicendo: instrumenta imperfecta quæqùe ex se activa non sunt (qualia sunt instrumenta artificialia) non posse se ex se movere, sive non posse agere, nisi actu moveantur à causa principali unà cum illis influcte in effectum, posse tamen id instrumenta perfecta ex se activa, sic virtutem seminalem seminis producere effectum juxta naturam viventium, quorum est semen; absq; eo, quòd talia viventia actu concurrant (utpote quæ frequenter tum perierunt) cum hac virtute seminali ad producendum sibi simile. Nam propter hanc ipsam rationem negamus, semina esse verè instrumenta istorum viventium, dicimusqùe illa, si mortua sunt, improportionata esse ad producendam animam viventis; similiter dum insecta nascuntur ex putrida materia, ova calore furni excluduntur, metalla in imis terræ visceribus gignuntur, has animas aut substantias non produci à solis accidentibus agentibus in virtute substantiarum absentium; in cujus enim

quæso, substantiæ virtute illa accidentium collectio in putri generat vermes ? Dices in virtute vermis in cõmuni ; sed hæc accidentia à tali verme nunquam fuere producta, quomodò igitur agunt in virtute illius ? insuper talis vermis in communi non datur à parte rei, sed tantùm per intellectum, dicitq; promateriali omnes vermes, etiam hos natos ex putri. Meliùs igitur facimus,non ex mera ignorantia (quod indecorum est Philosopho) sed nixi ratione philosophica recurrendo ad Deum (cujus tanquã generalis naturæ Provisoris est, in defectu causæ secũdæ proportionatæ ad educendam formam ex materia jam plenè dispositа , vices illius subire, formamq; illam se solo educere) quàm tribuendo agentibus naturalibus vires , quas non habent. Quamvis etiam dici possit cum Galeno , in generatione animalium ex semine,matrem non tantùm producere actiones formativas & dispositivas materiæ antecedentes generationem (quæ frequentissimè apud Arist. nomine generationis veniunt) sed & activè concurrere ad unionem & animam (si ea est bruti) producendam ; Patrem ex eo tamen adhuc dici

causam

causam prolis, quia materiam suppeditavit formandam ulteriùs. Item formas metallorum gigni à sole virtutem suam ad ima terræ diffundente, vel ab ipsa terra & petris. Neque Aristot. inquiens: *nihil aptum est agere, nisi quod habet contrarium*: (qualis contrarietas tantùm est inter accidentia) negat substantiis activitatem; hæ enim sunt sibi adhuc contrariæ radicaliter, quatenus sunt principia accidentium formaliter sibi contrariorum; contrariantur item sibi mediatè, mediis nimirum accidentibus; vel loquitur Arist. de actionibus præviis dispositivis ad generationem; hæ enim, saltem inadæquatè, procedunt ab accidentibus.

X. Imò ne quidem accidens per modum principii inadæquati instrumentalis effectivè concurrit ad productionem substantiæ. Quotiescunq; enim adsunt duæ causæ creatæ, quarum una sufficiens est se solâ producere effectum, (qualis est substantia respectu substantiæ) altera de se improportionata ad talem effectum (quale est accidens respectu substantiæ) hæc illi frustraneè adjungitur in ordine ad talem effectum, & quia non eget, hinc quoq; nō est in potestate talis causæ, ad

effectum proportionatæ necessariæ, assumere alteram improportionatam ad simultaneum influxum, sicut Deus se solo potens effectum aliquem producere, etsi ad illum non egeat creaturâ, potest nihilominùs liberè eâ assumere ad secùm influendum : adeoque rejicitur accidens à simultaneo in substantiam influxu, non ob solam imperfectionem, sed ob hanc, & quia substantia non eget illo ad influendum effectivè in substantiam. Ad explicanda itaque ea omnia, quæ contingunt in productione substantiæ, sufficit dicere, quòd accidentia simul cum substantia concurrant tantùm dispositivè præparando materiam, producendo in ea accidentia sibi similia. Imò accidentia, quæ de facto dantur, si virtutem inchoatam ad hoc non habeant (quam habere illa, nullum est fundamentum) ne quidem divinitus tanquam comprincipia possunt concurrere ad productionem substantiæ : si illam virtutem habeant, divinitus possunt cõproducere substantiam; neq; enim de essentia substantiæ est, nõ posse produci partialiter ab accidente; neque de essentia substantiæ est, non posse cum accidente constituere unum principium adæquatum.

IV. Est

IV. Est quoq; substantia non tantùm principium adæquatum productivum accidentiũ in seipso, dum emanat suas proprietates, sed quandoq; etiam in subjecto extraneo V. G. dum sol, qui formaliter calidus non est, producit calorem non per alium calorem. Frequentiùs tamen substãtia simul cum accidente producit accidens aliud in subjecto extraneo, ut ignis unà cum suo calore calorem in ligno; dum enim duæ causæ, quarũ quælibet habet virtutẽ producendi effectum, approximantur passo, utraq; attemperato cõcursu influit in effectum. Non impedit igitur calor ignem, quò minùs ignis producat calorem in ligno, etsi detur calorẽ esse agens magìs proportionatũ ad producẽdum alium calorem, quàm est ignis, quæ tamen major proportio non colligitur ex majori similitudine, cùm proportio inter effectũ & causã non consistat in similitudine, ut patet in lapide simili alteri lapidi, quẽ nequit producere. Erit autẽ accidẽs cõcurrens cum substãtia ad producendũ aliud accidens causa instrumentalis substantiæ, si accidens producendũ sit perfectius accidente producente, aliàs non. Porrò potest etiã accidens se solo sine concursu substantiæ

producere aliud accidens in subjecto extraneo, utì id contingit, dū aquæ calefactæ calor producit calorē in manu mea, ad quā calefactionem forma aquæ nō concurrit effectivè.

XII. Causa efficiens, cùm non tantùm producat effectum in spatio sibi contiguo, sed & in remoto, intra sphæram tamen suæ activitatis (si enim sol produceret solùm lucem in aêre sibi contiguo, hæc lux dein absq; solis concursu producit aliā lucem in aêre sibi contiguo, hæc rursus lucem sequentem in sequēte aêris parte, jā tanta erit lux in lateribus cōclavis, à quibus ad solē linea recta duci nequit, quàm in loco undequaquè patulo, cùm æquè his partibus lux approximetur; imò stylus in horologio solari nō jaciet umbram, si lux horologio cōtigua illud sola illuminet) debet eidē spatio, cui per suam entitatem seu cōtiguitate formali & imediatione suppositi præsens non est, approximari per contactū & immediationem virtutis, diffundendo à se & cōtinuando per medium actionem, vel etiam virtutes aliasve qualitates (quales quamplurimæ per medium diffunduntur, etsi nobis sint imperceptibiles, ut odor, ex quo canis inquirit feras, qualitates morbidæ & venenatæ ab ægris,

gris aliisve venenatis bestiis exhalatæ, qualitas attractiva magnetica; expulsivæ rerum aliarum, aliterque sympathicæ aut antipathicæ) & producendo una cum his qualitatibus effectus similes in medio, etsi hi ob medii raritatem, & subtilitatem quandoque non notentur, vel si in eo similes effectus non producat, id evenit, ob medii indispositionem. Nisi enim sic agat in passum distans, aliquid agendo diffundendoque per medium, jam interpositus v. g. paries inter ignem meamque manum, inter objectum & oculum non impediret, quò minùs illa calefieret, hic reciperet species; cùm interpositus hic paries non impediat actionem, minuendo vires agentis, nec resistendo formaliter illi illiusque effectui v. g. calori (nam formalis resistentia dicit informationem impedientis in subjecto impedito, qualiter paries impediens non informat manum & oculum impeditum à recipiendis speciebus & calore) sed tantùm quia actioni ejusque effectui impervius est, sive quia in eo actio ejusque effectus non recipitur & continuatur: si ergo opus non est, actionem aliumve effectum transfundi per medium, paries intermedius eum non im-

pediet; Item nisi agens agendo per medium activitatis suæ vires exhauriret, poterit agere in passum quantumcunque distans, haberetque illimitatam activitatis sphæram, quæ ideo tantùm limitata agentibus creatis assignatur, quia vis eorum activa agendo per medium exhauritur. Quòd si tamen in medio, per quod agenti v. g. igni A agendum est, exstaret aliud agens simile v. g. ignis B. (qualiter se etiam habent ultimi palmi ejusdem ignis, suppono enim, non tantùm superficiem ignis passo contiguam agere, sed & reliquas latitudinis partes, cùm constet experientiâ, ignem latum tribus palmis plus calefacere, quàm latum uno digito) ignis A in igne B, vel etiam palmi posteriores in palmis ejusdem ignis intermediis nihil producent, quia inveniunt agens sibi simile. Continuabit tamen in hoc casu ignis A actionem suam formaliter per ignem B, etsi in eo nihil producat, & unà cum igne B tanquam partiale principium calefaciet manum existentem post ignem B vel continuabit actionem virtualiter, quæ virtualis continuatio in eo consistit, quòd quia ignis A inveniat in igne intermedio eandem

qua-

qualitatem, quam intendebat producere, retineat virtutem ulteriùs continuandi actionem.

XIII. Nihilominùs potest agens creatum divinitus agere in passum distans quantumcunquè, etiam extra sphæram activitatis, nihil agendo in medio aut transmittendo per illud, non quòd agens producat hìc v. g. in spatio A actionem, illamquè dein sine transito medio, tranferat ad spatium D, sed quòd non producat illam, ubi ipsum entitativè est, sed ubi ipsum entitative non est: in quo casu Deus non suppleret virtutem intrinsecam agentis, sed conditionem determinantem solummodò agens ad agendum, Deumquè ad præbendum concursum, & physicè in effectum non influentem, præberetquè concursum suum, quem agens in his circumstantiis exigere nequibat. Ad hoc itaquè, ut agens existens hic v. g. in spatio A, operetur, opus non est, ut effectus quoquè & passum existat hìc in spatio A; vel etiam ad hoc, ut agens operetur in spatium B, opus non est, ut agens existat in spatio B, sed satis est, ut ab agente existente hìc v. g. in spatio A, profluat

actio

actio non hìc, sed in spatio B, ubi est passum, cum quo unitur actio, veluti cum suo subjecto inhæsionis, à quo separata educi nequit, etsi ex eo ab agente distante educi possit; sicquè adhuc in quocunquè loco causa agit effectum, ibi existit formaliter agens effectum, id est, existit actio, perquam formaliter denominatur agens effectum, etsi in eodem loco entitas causæ non existat. Nec obstat, quòd agens non possit agere in tempore, in quo non existit, quia quod non est in hoc tempore, absolutè non est, adeoquè caret fundamento actionis, quod est existentia; quod verò in hoc loco non est, non absolutè non est, adeoquè retinet fundamentum actionis. Neqùe obstat, quòd potentia v. g. visiva non possit versari extra suam sphæram seu objectum adæquatum, quod est lux & color; id enim accidit ex defectu virtutis intrinsecæ, & quia ad versandum extra suum objectum, ne quidem habet virtutem inchoatam.

XIV. Ut agens agat, necessarium non est, ut distinguatur à passo tanquam suppositum à supposito, vel tanquam pars à parte; dum enim anima vel Angelus producit suas intellectio-

lectiones, dum eadem pars aquæ reducit se ad suum frigus &c. idem suppositum, imò eadem pars est principium efficiens & recipiens seu passum. Non potest tamen idem in seipsum agere actione univoca perfectiva; aliàs enim calor ut duo posset seipsum intendere, educendo ex eadem parte subjecti, in quo ipse subjectatur, & adjiciendo sibi duos gradus caloris; dum autem forma producit in sua materia formam vel dispositionem sibi contrariam, agit quidem in se ipsam actione destructiva, sed non actione univoca, utpote per quam non producitur effectus ejusdem rationis cum principio producente, sicut & idem agit in seipsum secundùm diversas partes actione destructiva æquivoca, dum anima præter intentionem v. g. in diversis corporis partibus producit qualitates diversas, absque justo temperamento, adeoque destructivas viventis.

XV. Potest agens agere in passum sibi simile in specie, dissimile tamen gradualiter, v. g. calidum ut sex in calidum ut duo, intendendo ejus calorem (quæ actio num sit æquivoca, inde pendet, num gradus intensionis sint heterogenei, & num actio productiva

ctiva gradus heterogenei ejusdem qualitatis, dicenda sit æquivoca) Potest item agere in passum sibi gradualiter simile actione æquivoca, uti fit, dum calidum ut sex in alio calido ut sex producit impulsum: non potest tamen naturaliter actione univocâ agere in passum gradualiter sibi simile, licet quò ad extensionem dissimile (qualiter dissimile est ferrum calidum ut sex occupans ob densitatem suam palmos duos, aëri calido ut sex occupanti ob raritatem suam palmos quatuor) calidum enim ut duo agens in calidum ut duo, adjiciendo illi unum vel duos gradus caloris, seu reddendo illud calidum ut tria vel quatuor, dissimilaret sibi passum, quod est contra naturam agentis actione univoca: possentque se talia duo calida ut duo intendere usque ad octavum gradum. Licet igitur calidum ut duo de se potens sit producere & recipere unum vel duos gradus caloris, non potest tamen eos producere in, aut recipere à calido ut duo, etsi de cætero in calido ut duo minor sit resistentia ad recipiendum gradum unum caloris, quàm sit in calido ut unum, in quo calidum ut

duo

duo potest producere gradum ulteriorem, quia hic invenit conditionem ad agendum requisitam, nimirum gradualem dissimilitudinem. Item etsi calidum densius ob vires unitas citiùs suum effectum producat, nunquam tamen effectum producet intensiorem, quàm calidum rarius ejusdem intensionis; adeoque hujus calorem nunquam intendet, & nunquam aget tantùm, quantùm duo calida, quorum singula ejusdem cum illo denso calido sunt intensionis, penetrata; dum enim partes caloris in illis penetrantur, habent se ut unum agens calore duplicato. Neque lux per reflexionem facta intensior arguit actionem agentis in passum simile; præterquam enim quòd lux excepta à speculo, utpote subjecto magis disposito, sit intensior luce producta in aëre ante speculum, ii, qui docent, lucem tam directè, quàm reflexè productã, produci à solo sole, censent hanc fieri intensionem à sole solo, non potente lucem ulteriùs protendere, quia ad corpus opacum & lævigatũ appellit, ad quod reflexa actio retrocedens per eandem aëris partẽ, per quam accessit, præter lumen in ea directè productum, lucem producit ampliorem; qui verò

verò docent, lucem ipsam reflexam effectivè concurrere ad intensionem lucis directè productæ, censent quoquè, non esse inconveniens, agens, dum adjuvatur à causa æquivoca & fortiore (qualis in præsenti est sol & speculum, ad quod fit reflexio;) agere in simile. Nec oculus emittendo in oculum sibi similem speciem similem ei, quam ab illo excepit; vel ovum ovo simili collisum frangens illud; licet enim duo habeant eundem impulsum, producant similes species, non tamen agunt ut similia intendendo qualitates, in quibus gradualiter sunt sibi similia, quin imò agunt in se ut dissimilia, ovum fortius in ovum frangibilius, oculus in alium oculum ut non habentem tales species. Idem est, dum albedo A imprimit oculo jam habenti speciem albedinis B omnino similis, speciem suam. Neqùe dum aqua subterranea hyeme magìs calet, aut manus lotæ nive magìs incalescunt, aut calx affusâ aquâ accenditur; in his enim, nec eadem pars caloris se ipsam intendit, nec una agit in alteram in intensione sibi similem; sed major minorve intensio est ab aliis causis æquivocis, v. g. à calidis exhalationibus vel spiritibus in hyeme

à frì-

à frigore nimio aquã, aquâ affusâ caleẽ, nive manum poros obsidente exhalari prohibitis, adeoque retrocedentibus & aquam manusque calefacientibus, imò unitis & condensatis inter se viribus calcem accendentibus. Nec pondo additum alteri pondo plus deprimens libræ lancem; nam nec pondo unum alterius gravitatem parem intendit, nec habens impulsum ut unum, plus deprimit lancem habentem impulsum ut unum, sed singula habentia gravitatem ut unum simul producunt impulsum illum intensiorem, non aliter, quàm si eodem tempore fuissent imposita.

XVI. Causalitas causæ efficientis seu actio est dependentia effectus à causa efficiente, sive quo mediante effectus manat & pendet ab agente. Specificatur extrinsecè à suo principio, termino, & passo, ita ut ista actio ab alia actione censeatur specie vel numero diversa, cujus vel principium, vel terminus, vel passum à principio, termino, passo alterius est diversum specie vel numero, & illæ eædem specie vel numero, quarum & principia & termini & passa sunt eadem numero vel specie.

XVII.

XVII. Actio eductiva & passio est una realis entitas, & ut Arist *3.phys. Tex.* 18. *inquit: unus amborum* (intellige moventis & moti) *actus*; quæ quatenus respicit principium sui effectivum, dicitur actio, & denominat illud agere, quatenus respicit passum, in quo recipitur, dicitur passio, & denominat illud passum, sicut eadem via respectu ascendentis est acclivis, respectu descendentis declivis. Cui non obstat, quòd generatio & spiratio activa in divinis à generatione passiva distinguatur realiter: nam in divinis processiones activæ identificantur principiis activis v. g generatio activa paternitati, passivę passivis v.g. generatio passiva filiationi, & tam hæ, quàm illæ constituunt distinctas Personas. Distinguuntur tamẽ ratione ratiocinatâ secundùm illud Arist l.c. *Tex.* 22. *esse actum hujus ab hoc* (qualiter actionem) *& esse actum hujus in hoc* (qualiter passionem definit) *ratione diversum est*. Cui non obstat, quòd actio eductiva quà talis passum, & etiã passio quà talis respiciat formaliter agens; nam adhuc modus considerandi formaliter actionem eductivam, ut talis est, diversus est à modo considerandi passionem, ut passio est; sicut enim via eadem;

dem, acclivis & declivis etsi eosdem respiciat terminos, radicem & cacumen montis, considerata tamen ut acclivis respicit radicem montis tanquam terminum à quo, & quasi primò, cacumen montis tanquam terminũ ad quẽ, & quasi indirectè & secundò: sic actio eductiva ut talis dicit actum principii activi tendentem in passum, passio ut talis dicit actum principii passivi provenientem à principio activo, etsi de cætero uterque respectus ad agens & ad passum tam actioni, quàm passioni formaliter sit essentialis. Sic igitur lignum calefieri ab igne, & ignem calefacere lignũ; formaliter diversa sunt: quamvis alii per primum velint, non intelligi passionem, sed ad significandam hanc sic dici & formari debere propositionem; *lignum recipit calorem ab igne.*

XVIII. Actio eductiva transiens non est in agente; hæc enim in eo est, quod movetur & patitur, & quod per illam mutatur, ut inquit Arist. Sed neque agens ut agens, neque agens quod agens est, actione transeunte movetur, patitur aut mutatur; agenti enim per hoc, quòd alteri actu communicet perfectionem, seu det suum esse, non advenit

major

major perfectio, aut denominatio intrinseca, sed tantùm extrinseca, qualis advenit parieti ex eo, quòd videatur, adeoque qualem effectum formalem visio tribuit parieti viso, seu quale constituit cum eo totum, talem actio tribuit effectum formalem agenti: certè Deus se solo educens formam quampiam, eductionis hujus subjectum esse non potest. Neque ex eo, quòd agens modificatum sit actionis, sequitur eam agenti inhærere; cùm ad modum non requiratur, ut intrinsecè subjectetur in modificato, ut patet in creatione, quæ modificatum quidem, sed nullum habet subjectum inhæsionis; imò ne quidem ut actio sit modificato contigua, quod addo propter actionem in distans, quæ agenti, quod modificat, contigua tamen non est, quam contiguitatem cum modificato, vel inhærentiam in eo modi alii exigunt; non quatenus præcisè modi, sed quatenus tales modi sunt. Neque actio inhæsivè est in termino (quidquid sit de eo an illi intrinsecè adhæreat) dabitur enim aliàs mutua causalitas, dum effectus dependet ab actione effectivè, & hæc ab illo in genere causæ materialis. Sed est in passo, sive in eo, quod de poten-

potentia passiva reducitur ad actum, & quod mediâ actione exercet virtutem suam passivam; quod tamen ab ea non denominabitur agens, cùm illud solum ab actione capax sit denominari agens, à quo ea effectivè procedit. Sic dum ignis una actione plures calefacit homines, eadem actio non erit in pluribus locis, quia hi plures homines, & spatium intercedens inter eos, erit passum adæquatum hujus actionis divisibilis. Quinimò actio eductiva ut talis est in passo; etsi enim quatenus præcisè actio est, non dicat subjectum inhæsionis, dicit tamen illud, quatenus talis est actio, elicita nimirum dependenter à subjecto: unde tamen non sequitur, actionem eductivam ut actionem eductivam, esse formaliter passionem.

XIX. Actio creativa est productio causativa rei ex nihilo subjecti, sive ex non præexistente vel præsuppositò subjecto influente in genere causæ materialis. Distinguitur & illa tam à Deo creante ejusque volitione, quâ ipse vult absolutè & efficaciter communicare hìc & nunc rebus esse sine dependẽtia à subjecto; hanc enim habuit Deus ab æter-

no, absque eo, quòd res ab æterno crearit; quàm à termino non tantùm educibili, aut à Deo & creatura simul creabili (patet enim, ab eo posse separari creationem, si nimirum educatur, vel saltem hanc specie creationem, quâ creatur à solo Deo, si creetur à Deo & creatura simul) sed etiam à termino tantùm à solo Deo creabili; etsi enim talis terminus, utpote creatura, per suam entitatem exigat à Deo dependere, sitque ipsa radicalis dependentia, vi cujus non possit esse sine aliqua actuali dependentia à Deo, ipsa tamen formalis dependentia, quâ actu & formaliter à Deo dependet, est illi quid superadditum, adeoque non essentialis; imò licet sine aliqua indeterminata dependentia formali concipi & esse non posset, hæc tamen indeterminata dependentia non magis erit de ejus essentia, quàm ubicatio, vel etiam ipse Deus. Est in termino, tanquam in subjecto adhæsionis.

XX. Actio & virtus creativa, saltem principalis, ita Deo est propria, ut nulli enti creato aut creabili, ne quidem divinitus, possit communicari. Ex virtute enim creativa colligunt SS. PP. infinitatem naturæ, & ex hac

hac viciſſim potentiam creativam, ergo ſicut implicat, illam ineſſe creaturæ, ſic & hanc illi ineſſe repugnat. Et licet influxus cauſæ materialis, quem creator ſupplere debet, ſit finitus, eſt tamen talis, ut non poſſit ſuppleri in alio genere cauſæ, niſi à potentia infinita; ſicut etſi concurſus, quo concurrit Deus cum creatura, ſit finitus, eſt tamen talis, ut à nulla creatura ſuppleri poſſit. Dixi: *ſaltem principalis*: cenſeo enim, non repugnare creaturam, quæ obedientialiter elevetur ad inſtrumentaliter creandum effectum, quem ipſa naturaliter poterat educere, aut ad quem educendum elevari poterat; ad hunc enim virtutem innatam videtur habitura.

XXI. Actio conſervativa eſt influxus cauſalis, per quem res immediatè ante exiſtens continuat ſuam exiſtentiam, & quaſi continuò fit. Tali influxu res omnes creatæ directè & immediatè conſervantur à Deo, juxta illud ad Heb. *Deus portat omnia verbo virtutis ſuæ*: & per ſolam hujus influxus ſubtractionem annihilantur, etiam res tales, quæ de cætero, neqùe ab ullo agente

extrinseco violentiam pati possunt, neque ex se tendunt ad corruptionem ut Angeli, & id quidem perfectioni divinæ potentiæ est adscribendum, utpote semper & omnino rebus omnibus necessariæ; licet enim artificio creato maximo verteretur vitio, producere effectum, qui non posset permanere, nisi ipse continuò circa illum operetur, & eundem quasi fulciat, quia virtus creata operando laborat, fatigatur, redditurque inepta ad alios pro eodem tempore effectus producendos; non tamen Deo, qui sine fatigatione ad omnia est sufficientissimus. Quandoque autem res à solo conservantur Deo, nimirum dum pereuntibus, vel non approximatis amplius aliterve impeditis earum causis creatis, ipsæ permanent in suo esse, v. g. ignis B amoto igne A: calor in fornace amoto omni igne &c. quæ conservatio etsi sit eductio, specie tamen distincta est ab actione, quâ tales res primò educebantur à Deo & causa secunda simul. Quandoque conservantur à Deo & causa secunda simul, v. g. calor in fornace, quamdiu permanet in ea ignis; ignis enim sic manens applicatus, utpote causa necessaria, agit aliquid,

non

non calorem novum producendo, nec intendendo veterem (suppono enim, tam esse debilem, ut id non possit) ergo conservando veterem.

DISSERTATIO XII.

De concursu causæ efficientis Primæ cum secunda.

I. DEVM in omnes causarum secundarum operationes immediatè influere, testatur Scriptura; inquiens: *Sine quo factum est nihil*; & *qui operatur omnia in omnibus*: sunt enim hæc accipienda in sensu proprio, nimirum de *causare*, propriè dicto, quale non est *causare mediatè*, conservando ipsas causas & causarum causas. Estque influere hac ratione immediatè in singulas creaturarum operationes perfectio simpliciter simplex, spectatque ad perfectissimum Dei in creaturas dominium, non solùm, destruendo ipsas causas secundas, aut injiciendo illis qualitates quasdam stupefactivas, sed & per solam concursus immediati, subtractionem posse earum operationes im-

impedire; ad quas impediendas non sufficit divinæ voluntatis imperium; hoc enim creaturæ irrationales non percipient, nisi amittendo, vel non accipiendo physicè aliquid ad agendum requisitum: & licet illud creatura rationalis percipiat, per illud tamen ejus operatio formaliter non impedietur. Etsi igitur causa creata totam effectus sui perfectionem contineat, ideoque ad summùm non egeat comprincipio creato, non eximitur tamen à dependentia à Deo in agendo, sicut eximi nequit à dependentia à Deo in essendo, & sicut nec effectus causæ secundæ, utpote creatura, ab immediato Dei in se influxu eximi potest. Neque tamen hinc Deus denominari poterit videns, bibens, ambulans &c. (sicut ex eo, quòd cum sole influat in illuminationem, cum igne in calefactionem, denominari potest illuminans) quia hæc & similia præter activam productionem important quoque harum actionum vitalium receptionem, adeoque tribui non possunt nisi ei, quod has actiones elicit & simul recipit. An autem hinc Deus appellandus sit causa partialis,

tialis, est quæstio de nomine, saltem id nullam infert imperfectionem, cùm Deus liberrimè attemperet concursum suum in actu secundo, ut cum eo simul possit in eundem effectum influere creatura. Porrò id observandum, cum causis materiali & formali, finali & ideali influere Deum solummodò in genere causæ efficientis, cùm non sit id, quod media unione cum alio constituit compositum, quod repræsentatum movet ad sui amorem (nempe dum finis creatus finalizat) quòd inspectum dirigit, sed quòd cum agente educit unionem vel formam, cum voluntate amorem finis, cum intellectu cognitionem illam dirigentem &c.

II. Etsi præterea Deus per præviam concursus sui oblationem, perquè specialia & indebita sæpiùs auxilia actualia & habitualia prævièe collata causas secundas ad operandum excitet, habilitet & compleat, nunquam tamen eas ad operandum prædeterminat (quàm vocé, ait Oviedo, hinc inde in libros D Thomæ irrepsisse nimiâ incuriâ vel potiùs curâ, & illi manente eodem sensu D Doctoris

ctoris posse substitui: *prædestinatio: decernit dare auxilia efficacia*) immittendo iis qualitatem aliquam citra earum libertatem eam procurandi, aut admittendi, aut habitam rejiciendi, quæ physicè causis secundis inhæreat, sitque naturâ prior actione creaturæ, utpote peculiare ejus principium, ita essentialiter & intrinsecè connexa cum una contradictionis aut contrarietatis parte, ut incompossibilis sit cum altera. Præterquam enim, quòd talis qualitas neque requiratur ad complendam in actu primo proximo vim causativam causæ, utpote quæ completur sufficienter per decretum Dei indifferens, imò causam liberam complere nequeat, utpote quæ in actu primo proximo completur, tam quò ad odium, quàm amorem & utriusque omissionem: neque ad tollendam indifferentiam causæ secundæ, utpote quæ, si necessaria est, habitis omnibus ad agendum requisitis, etiam absque hac qualitate, non est indifferens ampliùs; si libera est, habitis omnibus ad agendum requisitis, se ipsam liberrimè ad alterutram contrarietatis vel contradictionis partem deter-

determinat: neqùe ad hoc, ut creatura in operari dependeat à Deo, utpote ad quod sufficit, quòd Deus concursu simultaneo cum ea concurrat, adeoqùe ad nihil serviat; insuper videtur destruere libertatem, de cujus essentia est, habitis non tantùm omnibus, sed & in sensu composito manentibus omnibus ad agendum requisitis (aliàs enim potentia necessaria etiam erit libera, cùm & hæc in sensu diviso, sublato nimirum aliquo, per quod determinatur, possit non agere) potest agere, & non agere. Ille enim sensus compositus repugnat libertati, qui reverà antecedit omne liberum exercitium, adeoqùe infert necessitatem antecedentem, imò qui est causa necessaria operationis necessariò secuturæ, sed talis est sensus semel habitæ prædeterminationis. Neqùe salvas libertatem dicendo; stare cum prædeterminatione indifferentiam judicii repræsentantis objectum sub ratione boni & mali; quid enim me hoc juvat? si aliunde ad unam partem sim prædeterminatus. Neqùe salvas libertatem dicendo: stare cum prædeterminatione potentiam remotam a-

gendi contrarium; hæc enim etiam stat cum visione beatifica, quâ tamen habitâ, beati non amant liberè. Denique ex prædeterminatione infertur, Deum esse causam peccati; ille enim est causa peccati v. g. Judæ, qui Judam constitutum in deliberatione, num vellet, nec ne prodere Christum, & non potentem se ex se determinare ad alterutram partem, determinat potiùs ad proditionem, quàm non proditionem, cùm potuisset illum implendo æquè munus causæ primæ determinare ad non proditionem. Procedit itaque actus, qui est ipsa formalis determinatio & actuatio sui principii, à principio ut indifferente in actu primo proximo (quod essentialiter requiritur ad principium liberum) non tamen manente indifferente, sed determinante se ipsum in actu secundo (per quòd tamen non intelligitur determinatio procedere ab eo toto, quod dicitur actus secundus, aliàs procederet à se ipsa, utpote quæ est constitutivum actus secundi, sed ab eo, quod actus secundus dicit in recto) quæ determinatio non est prævia, neque fit ab alio sine illo, & hanc determinatio-

nationem formalem principium indifferens in actu primo continet, non quidem formaliter, sed virtualiter, quia efficit illam, adeoque præterquam, quòd contineat v. g. amorem & odium, continet etiam virtualiter determinationem ad alterutrum. Habet insuper principium indifferens cum hac determinatione formali seu actione sua æquè perfectam actualitatem, imò perfectiorem, cùm actualitas ab entitate rei non distinguatur, adeoque sit tanta, quanta est rei entitas, neque potentialitatem logicam majorem habet, cùm æquè existat, habet tamen potentialitatem physicam majorem ad efficiendam actionem, quod est perfectionis; datur enim illa etiam in Deo quò ad actiones ad extra. Dicitur autem Deus causa prima, non quia prædeterminat secundas, sed quia prior dignitate est & essendi consequentiâ, in quantùm bene sequitur; creatura operatur, ergo etiam Deus, non contra; item quia Deus à nullo in operando dependet, etsi liberè volendo applicare omnipotentiam suam creaturæ, eandem omnipotentiam

illi subordinet per decretum indifferens, quod dein à creatura in actu secundo determinatur, non quòd illud ex indifferente fiat determinatum, sed quòd vi hujus ejusdem decreti Deus à creatura determinatus, concurrat ad hunc potiùs, quàm illum actum. Dicitur creatura à Deo moveri, agere ut mota &c. non quia prædeterminata agit, sed quia à Deo suum esse & ad operandum inclinationem accipit (sicut ideo gravia & levia dicuntur ab Arist. moveri à generante) item, quia non movet se, nisi dependenter à Deo, à quo omnis ejus operatio dependet, non quidem ut est operatio causæ secundæ (in quantùm enim hæc operatio cognoscitur inadæquatè in ordine ad unum principium, nempe creatum, non cognoscitur in ordine ad alterum, nempe Deum, etsi à parte rei respiciat utrumque) sed quæ est operatio & determinatio causæ secunda; propter quod etiam creatura non est primum agens liberum, quale dicitur illud, quod seipsum independèter ab omni alio determinat. Deniquè quia à Deo ad operandum excitatur per gratias, easque sæpè efficaces, id est, tales, quas videt, si hìc & nunc offerat, secuturum infallibiliter, libe-

liberè tamen, effectum, quas offerendo absque prædeterminatione facere potest, ut homo infallibiliter, liberè tamen, eliciat actum, quem Deus ipse voluerit.

III. Concursus Dei in actu primò, quo redditur omnipotentia in actu primo proximo expedita ad cooperandum creaturis, quò ad causas necessarias, est voluntas Dei absoluta, efficax, determinata, quâ dicit: *Volo hìc & nunc cum hac causa necessaria concurrere ad tales effectus, ad quos ipsa ex natura sua est determinata.* Quod decretum, quia applicatur illis, illud, & non aliud exigentibus, sive quia Deus movetur ad illud applicandum ab ipsis causis necessariis, dicitur, etiam ab illis determinari ad speciem. Quò ad causas verò liberas, est volitio Dei absoluta efficax, sed indeterminata & indifferens, quâ dicit: *volo hìc & nunc concurrere cum voluntate creata ad hunc actum amoris, vel ad hunc actum odii vel ad hanc utriusque omissionem*; tale enim decretum maximè proportionatum est libertati causæ secundæ, utpote relinquens illam in actu primo proximo omninò indifferentem. Est efficax, quia habet suum intentum; hoc enim tunc habet, quando vi illius ponitur vel

amor, vel odium, vel utriusq; omissio. Est absolutum & non conditionatum hoc modo: *volo cum voluntate elicere amorem, si illa elicuerit amorem, vel volo cum illa elicere odium, si illa elicuerit odium* &c. quasi Deus exspectet, quid faciat volũtas, & hoc prævisо, velit etiam ipse ad id concurrere; videre enim non potest Deus, quid voluntas creata sit factura, nisi antecedenter videat suum concursum jam præparatum, utpote qui est unum ex necessariò prærequisitis ad agendum. Neq; est conditionatum hoc modo: *volo concurrere simpliciter cum creatura ad amorem, si illa concurrat ad amorem*; cùm enim concursus Dei & creaturæ in actu secundo sit idem, & hunc non possit creatura ponere, nisi antecedenter sibi habeat applicatam omnipotentiam, seu concursum Dei in actu primo, est hoc idem dicere; ac *volo meum concursum, si ponatur meus concursus*; quod est nugatorium. Est deniqùe indifferens & indeterminatum, etsi determinatũ dein à causa secunda habeat determinatum effectum, quem quia præcisè non intendit, manet in actu primo indifferens; & tale ut sit, necesse est, cùm aliàs nequeat relinquere voluntatem in actu primo

proxi-

proximo indifferētem ad utramq; contradictionis & cōtrarietatis partem, adeoq; dicendum non est, esse determinatum cōcomitans operationem liberam ex eo, quòd Deus præviso per scientiam mediam amore futuro sub tali auxilio, illum velit determinatè; præterquā enim, quòd hoc decretum, utpote unum ex prærequisitis ad operationem liberam, nō possit se habere cōcomitanter ad illam, dum voluntas à Deo videtur positura libere amorem sub tali auxilio, videtur quoquè in actu primo proximo expedita ad odium, & tamen nō adest decretum determinatum ad odium. Ac demum Deus nequit dicere simpliciter: *si offeram illi meum concursum cum tali auxilio extraordinario, illa ponet amorem liberè* sed debet dicere: *si offeram meum concursum non determinatum* &c. Nec est, quòd dicas, potentiam progressivam non applicari ad ambulandum per similem volitionem disjunctivam ambulandi vel ad dexterā vel sinistram; potentia enim progressiva ita indeterminatè applicata, nec à se ipsa, nec ab alio ulteriùs determinatur, utì omnipotentia sic applicata determinatur dein à creatura. Neqùe talis indeterminatio involvit imperfectionem, cùm

cùm non oriatur ex objecti confusa repræsentatione. Neq; supervacaneum est, Deum offerre concursum ad illam partem, ad quam scit, creaturam se non determinaturam; præterquam enim, quòd id ad salvandam libertatem sit necessarium, Deus non offert suum concursum, post prævisam absolutè determinationem creaturæ.

IV. Concursus hic Dei in actu primo indifferens determinatur dein à creatura, sive ea libera sit, sive non, ad speciem actus; ex duabus enim causis, quarum una est universalis, indifferens, utpote alteri attemperata seu applicata per voluntatem præviam, adeoque nec proximè libera, qualis est causa prima respectu causæ secundæ, tam liberæ, quàm necessariæ; altera verò est particularis & vel proximè libera suique determinativa, utpote quæ habito seu oblato concursu alterius potest agere & non agere; vel certè ex natura sua determinata ad talis speciei effectus, qualis est causa secunda, tunc censetur determinari causa universalis, id est, ratio, quare hic specie effectus præ oppositio specie effectu procedat, non refunditur in universalem, sed particularem. Neq; sic Deum à

crea-

creatura determinari dedecet, cùm non determinetur ex necessitate aut indigentia, sed quia liberrimè vult sic determinari. Neqùe hìc valet argumentatio: omnis creatura procedit à Deo, determinatio ut determinatio est creatura: ergo procedit à Deo; quia committitur fallacia figuræ dictionis, qualificando aliquid in minore, quod qualificatum non erat in majore, utì etiam fit in hoc syllogismo: *quidquid emisti comedisti, carnes crudas emisti, ergo*: de cætero utiqùe res, quæ est formalis determinatio, est creatura, & procedit à Deo simul & creaturâ.

V. Determinatur vice versâ creatura, tam libera, quàm necessaria à Deo ad individuum actus, sive Deus ratio est, cur procedat hoc individuum præ alio omninò simili ejusdem speciei; causa enim secunda, cùm omnia individua ejusdem speciei possibilia non discernat, ad hoc præ illo producendum se nequit determinare, & consequenter ad hoc libera non est, etsi libera sit ad ponendum hoc individuum præ oppositæ speciei individuo. Neq; etiã ad hoc determinatur à natura constituente certam seriem individuorum ordine producendorum; hoc enim absq; fundamento

mento asseritur. Neq; à tempore, loco aliisq; circumstantiis, utpote quæ indifferentes sunt, ad quæcunq; ejusdem speciei individua; ergo à Deo. Non determinat autē ille voluntatem ad individuum, postquàm illa determinaverit se ad speciem actus, cùm determinatio Dei ad speciē facta à creatura, & determinatio creaturæ ad individuum facta à Deo sit eadem entitas; sed determinat illam antecedēter per tale decretum: *volo hìc & nunc cōcurrere cum Petro, vel ad actum amoris A tantùm, vel ad actum odii A tantùm, vel ad utriusq; omissionem A tantùm*, per quale decretum redduntur voluntati omnia alia individua impossibilia.

VI. Concursus Dei in actu secundo est indistinctus ab operatione causæ secundæ, sive Deus & creatura per eandem omninò actionem influunt in effectum. Dato enim, Deum creaturis immittere præmotionē physicam, insuper debebit in actu secundo simultaneè concurrere ad effectum; aliàs immediatè non influet in illum; neq; tamen hic concursus Dei distinctus ab ista prævia præmotione est simultaneus distinctus concursus à concursu creaturæ; aliàs concursus creaturæ, per quem ipsa sola influit in effectum, non de-

pen-

penderet à Deo immediatè, quod in sententiam Durandi inclinat; vel si depẽdet à Deo, depẽdebit ab eo immediatè per suam entitatem, & consequenter effectus vi ejusdẽ actionis imẽdiatè dependebit à Deo, adeoq; unus idemq; influxus in effectum est Dei & creaturæ. Nunquã igitur causa prima cooperans creaturæ, agit priùs prioritate causalitatis in effectum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda, sed tantùm prioritate logica. Neque actio creaturæ pendet à concursu Dei in actu secundo, sed à concursu Dei in actu primo. Estq; dependẽtia effectus à causa secũda ipsa dependentia effectus à causa prima. Cui non obstat, quòd necessarium sit effectui, dependere à causa prima, non item à causa secunda; nec enim etiam essentiale effectui est à Deo dependere hac numero dependentiâ. Eadem deniq; actio formaliter (utpote quæ est formalis determinatio) determinat Deum ad speciem, creaturam ad individuum, Deo efficiẽter determinante creaturam ad individuum, & creaturâ Deum ad speciem: denominareq; potest Deum agere independenter à creatura, & creaturam agere dependenter à Deo, sicut denominare potest principium effectivũ agens, passivum patiens. VII. Non

VII. Non tamen ideo Deus est causa peccati, sicut est operis boni; quia ad peccatum præter & contra inclinationem concurrit in actu primo & secundo, vultquè illud solùm voluntate permissiva, (non voluntate desiderii & complacentiæ, qualiter illud volendo, produceret cum inclinatione, adeoquè causaret) & ideo tantùm, ne lædat libertatem, aut agat contra exigentiam causarum secundarum, & ut satisfaciat officio causæ universalis, quasi diceret: volo concurrere, vel ad hunc actum peccaminosum, vel ad illum actum bonum, ita tamen, ut actum peccaminosum detester, & non præberem ad eum concursum, si aliter illæsam servare possem libertatē creaturæ, & officio causæ universalis satisfacere: è contra actum bonum optem à creatura elici. Adeoq; decretum illud, quo applicat suam omnipotentiam, non dicitur indifferens, eò quòd Deus æquali affectu in utramq; partem inclinetur, sed quòd reddat creaturam, & relinquat proximè expeditam ad utramq; partem. Dici ergo ad summùm potest Deus causa per accidens peccati, non quidem talis, quæ omninò non influat in peccatum, sed quæ absquè inclinatione &

inten-

intentione in illud influat, sicut potentia progressiva in claudicationem ; Item dici potest per se, id est, per virtutem propriam, & non alienam , influere in peccatum. Unde non quidquid causat creatura , concausat cum ea Deus , sed vel concausat , vel comproducit Deus. Neque opponas primò : offerens alteri gladium , quem certò scit eo abusurum ad innocentis necem, peccat, & est causa moralis homicidii : nam in eo est disparitas, quòd teneatur quis impedire innocentis necem , adeoque non offerre gladium ; Deus verò non teneatur, nec possit impedire mala, negando suum concursum ad ea, quin simul tollat libertatẽ ad bona. Neq; secundò dicas : Deus determinat ad hoc individuum peccati; etsi enim ideo sit ratio , cur illud præcisè individuum peccati præ alio ejusdem speciei exerceatur , non est tamen causa , cur illud simpleiter exerceatur. Nec Tertiò : qui vult bonum vel malum sub disjunctione V. G. qui vult orare vel blasphemare, adhuc simpliciter vult malum : nam ille vult adhuc malum simpliciter, qui vult bonum vel malum æqualiter utrumque intendendo , & tunc, quando potest utrumque liberè omittere;

non

non verò ille, qui unum vult cum aversione, & qui non potest ex suppositione decreti de concurrendo cum causis liberis juxta earum exigentiam, non velle hoc modo utrumqùe. Nec quartò: saltem Deus absqùe aversione offert suum concursum ad peccata, quæ ideo tantùm mala sunt, quia prohibita, cùm ad illa offerat concursum suum, antequàm ea prohibeat, utpote quæ prohibere non potest, antequàm sint possibilia, qualia non sunt ante oblatum concursum: nam potest mihi Deus prohibere V. G. comestionem carnium, antequàm hæc mihi sit proximè possibilis, dummodo certò futura sit possibilis post prohibitionem; dicit enim Deus: prohibeo tibi carnes comedere, tunc, quando id tibi erit proximè possibile, sive quando per oblatum tibi concursum meum indifferentem eris proximè potens comedere carnes, per quod non offertur mihi actu formaliter iste concursus.

* * *
* *

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De motu.

I. MOTUS est *actus* (intellige essentialiter imperfectus , qualis est omnis actio creata, utpote de cujus essentia est, actuare subjectum imperfectè, quia ex natura sua ordinatur proximè ad actum alium perfectiorē in subjectum inducendum, nempe formam , quæ est actus perfectus , si ita actuet subjectum, ut nō relinquat illud in potentia, seu magis naturaliter perfectibile v. g. forma ignis, calor ut octo ; est actus imperfectus, si relinquat subjectum ulteriùs perfectibile, sed accidentaliter imperfectus, quia ex natura sua non ordinatur ad inducendum in subjectum actum perfectiorem, & sine ulteriori actu naturaliter potest existere , tales sunt qualitates in gradu remisso) *ens in potentia* (intellige ad actum hunc imperfectum seu motum , & perfectum seu formam per ipsum productam recipiendum, seu materialiter causandum: per quod excluditur creatio) *pro ut in potentia* : id est , quatenus immediatè ante existebat sub privatione talis actus imperfecti & perfecti (per quod exclu-

excluduntur eductiones formarum ex materia eductarum pro eodem tempore, quo hæc creatur; harum enim in materia non præexstitit privatio) vel etiam quatenus subjectum per motum relinquitur in potentia ad formam pro illo priori naturæ, quo motus seu actio productiva formæ formâ prior est.

II. Motus est varius; vel enim est generatio, vel nutritio, vel augmentatio, vel alteratio, vel motus localis, prout est vel ad substantiam primò producendam, vel augendam; vel quantitatem augendam; vel ad qualitatem; vel ad ubi. Alius item est motus instantaneus, cujus terminus totus simul producitur, ut generatio ignis: alius successivus, per quem acquiritur terminus successivè, & una pars post aliam, ut productio caloris in ligno ob frigus resistens, quibus caloris partibus aliis post alias productis correspondent partes actionis, fluentis, quæ singulæ sunt propriè motus, cùm supponant illius partis, quam producunt, privationem in subjecto. Erit autem motus instantaneus, etiam materialiter acceptus, essentialiter diversus à successivo, si motus identificetur durationi; implicat enim durationem, quæ essentialiter

fluens

fluens est, utpote affixa tempori fluenti, fieri permanentem.

III. Specificatur motus à principio, passo, & termino ad quem, sive per motum producto. Contrarietatem desumunt motus ab oppositione terminorum per motum productorum: sic actio productiva caloris ut octo opponitur frigefactioni productivæ frigoris ut octo, motus orientem versùs motui occidentem versùs. Motibus autem contrariis simul nihil moveri potest, cùm terminos per tales motus productos simul recipere nequeat: dum ergo homo attollit brachium unum sursum, alterum deorsum, anima movetur motibus contrariis, sed inadæquatis secundùm diversas ubicationis partes, si ubicatio animæ rationalis est divisibilis; vel movetur in hoc casu uno indivisibili motu, tendente ad unicam indivisibilem ubicationem diversam à priori, si ubicatio animæ sit indivisibilis. Ambulans quis versùs orientem in navi defluente versùs occidentem, si celeriùs ambulet, quàm navis defluat, movebitur unico motu orientem versùs, si minùs celeriter; movebitur unico motu versùs occidentē, si æquè celeriter, conservabit præsentiam suam localē in eodem spatio.

IV. Moventur projecta ab impulsu, qui est qualitas facilè mobilis à propellente corpori impressa; in eo distincta à gravitate & levitate, quòd non tantùm sursum vel deorsum, sed in omnem partem impellat; in primo fieri dependens à propellẽte, in cõservari à solo Deo, quandoq; producta cũ motu locali, aliquando sine illo, ut dum lapis quietè jacẽs in mẽsa imprimit illi impulsum deorsum. Ratio est, quia motus durat projiciente cessante à projectione: & incredibile est, globos tam grandes tanta velocitate moveri contra naturalem gravitatem, à solo aẽre simul moto & diviso, dein allapsu suo corpus mobile propellente. Neq; hinc sequitur, motum projectorum fore naturalem, eò quòd sit à principio illis intrinseco, quia illud movetur motu naturali, quod movetur à principio intrinseco, quod ipsum mobili est connaturale.

V. Motus resilientiæ est ab impulsu corpori impresso, partim à projiciẽte, partim à corpore obsistente, partim ab ipsiusmet mobilis gravitate deprimente; horũ enim aliquo mutato, mutatur ipsa resilientia; aliter enim resilit pila ferrea, aliter lanea, aliter magno impetu projecta, aliter naturaliter cadens, aliter ca-

dens

cadens in lapidem, aliter cadens in lignum vel terrã. Nec obstat, quòd hic motus resilientiæ corpori gravi sit violẽtus, adeoq; esse nõ possit ab ejus gravitate; nã est à gravitate tanquã à principio inadæquato & per accidens, non verò per se, seu intendente istam resilientiam.

VI. Tarditas & velocitas motus bene explicãtur per ordinem ad idem tempus & spatium, ita, ut ille motus dicatur velocior, qui intra idẽ tempus decurrit plures partes spatii; ille tardior, qui intra idem tempus decurrit pauciores partes spatii. Velocitas motus naturalis in fine major inde est, quòd impetus illius producatur à gravitate, quod principium manet, & augetur ab aëre incũbente fortiùs. Tarditas motus violẽti in fine major est, quia gravitas & aër obsistẽs magìs illum paulatim debilitãt. Velocitas verò motus violẽti in medio major, quàm in initio (ut patet in globis tormentariis fortiùs quatientibus mænia, si passibus aliquot ab iis distent tormẽta, quàm si omninò iis sint vicina) verisimiliùs inde est, quod parti post partẽ imprimatur impulsus, ita, ut paulatim omnes partes habeant impressum impulsum intẽsiorem, quem omnes statim sub initium non habebant; & dicitur

hic impulsus imprimi partibus remotioribus ab impulsu impresso vicinioribus, & postquàm impressus est omnibus, paulatim debilitatur ab obsistente aëre & gravitate deprimente. Demum quòd gravia etiam sursum moveantur velociùs, quàm levia, ex eo est, quòd densiora sint, pluresq; habeant partes, adeoq; concipiant majorem impetum.

DISSERTATIO XIV.

De Infinito & Continuo.

I. INfinitum, quod quò ad rem est quid positivum, utpote dicēs rem non habere negationem ulterioris esse, seu finem, bene definitur: *cujus secundùm quantitatem accipientibus semper est aliquid ultra accipere*; id est, cujus tanta est amplitudo, ut quascunquè ejus partes acceperis, seu mēte successivè designaveris, semper aliæ restent accipiendæ. Aliud est infinitum secundùm essentiam seu simpliciter & in omni genere perfectionis, quod caret termino intrinseco (qui est ultimum rei, in quo res veluti ultimò sistit) & extrinseco (qui est primum illud, quod rei contiguum est, aut quod primò excedit rem perfectione) sive quod habet omnem perfectionem

ctionem possibilem, qualis est, & esse potest solus Deus; nam & de hoc secundùm quantitatem virtualem accipientibus, semper est aliud extra accipere, non ex quo cõponatur, sed cui perfectè æquivaleat, quanquam alii bene τὸ *secundùm quãtitatem*; in definitione infiniti omittant. Aliud secundùm quid & in certo genere tantùm secundùm rationem aliquam contingẽtem est infinitum, idq; vel secundùm extensionem partium quantitativarum, vel secundùm intẽsionem graduum, vel secundùm numerum. Aliud iterum categorematicum seu actuale, quod habet partes æquales uni certæ, seu aliquotas actu existentes infinitas: aliud syncategorematicum seu potentiale, quod habet actu partes aliquotas finitas, secundùm partes verò, quas successivè habere potest, infinitum est, sive cui aliæ & aliæ partes in infinitum addi possunt, vel etiã cujus partes aliquotæ in partes indeterminatas plures & plures in infinitũ dividi possunt.

II. Infinitum tale syncategorematicum de facto datur in quocunq; cõtinuo & numero; imò & perfectione creata: nam quâcunque creaturâ productâ, Deus potest producere perfectiorem; cùm participabilitas Dei sit

infinita, id est, perfectiùs & perfectiùs in infinitum participabilis ; Item distantia divinæ perfectionis à quacunq; creatura sit infinita, id est, perfectio creata possit crescere, & nunquā accedere ad divinam. Nec opponas : collectio omnium creaturarum possibilium adhuc infinitè distat à Deo, & tamē ultra hanc nihil aliud est possibile; nam præterquā quòd sic loqui nō liceat : *collectio omniū possibilium*; quasi hæc certâ aliquâ collectione includerētur ; hæc collectio est quid indeterminatum, dicit semper plura & plura, & tota simul nequit existere, adeoq; Deus ultra illam non est participabilis ; creatura verò ista perfectissima esset quid determinatum totum existens simul. Distat autem hæc possibilium series proximè à Deo collectivè accepta, sive ratione omnium, nō ratione aliquorum acceptorū determinatè & distributivè ; & licet omnes hujus seriei creaturæ acceptæ collectivè non excedantur ab aliis creaturis (quidquid enim est extra hanc seriem, est chimæra) nulla tamē determinatè assignari potest, quæ nō excedatur sursum ascendendo, & quæ non excedat descendendo ; neq; Deus ullam ex hac serie determinare potest, quæ sit omniū perfectissima,

sima, cùm quâcunq; determinatè cognitâ, videat aliam perfectiorem, aliàs hæc series non esset infinita. Dum itaq; dicitur : *Deus potest producere perfectißimam, quã potest producere*; falsum est suppositum, & consequenter ipsa propositio ; omnis enim propositio de subjecto non supponente, etsi identica, est falsa ; quales sunt hæ : *Anti Christus sanctus est sanctus* : *Deus potest facere omnes divisiones continui, quæ possunt fieri.*

III. Infinitum categorematicum creatum in omni genere perfectionis in terminis repugnat; hoc ipso enim esset ens à se, adeoq; non creatum. Implicat quoq; hoc infinitum tã in extensione, quàm in intẽsione & numero; sequeretur enim duas multitudines aut lõgitudines infinitas (idẽ facilè duobus in intensione infinitis applicabitur) etiã post subtractos uni multos milliones unitatum aut palmorũ, alterâ remanẽte integrâ, fore ejusdem speciei (omnes quippè multitudines & magnitudines infinitæ, qualis adhuc remanet multitudo infinita post quamcunq; subtractionẽ partiũ finitarũ, in ratione multitudinis & magnitudinis sunt ejusdem speciei, non minùs, quàm omnes numeri septenarii in ratione numeri)

& inter se æquales; quia etiam post factam in una substractionem sibi congruent; ponatur enim multitudo V. G. Angelorum infinita, ex qua substracti sunt mille, juxta multitudinem hominum, ex qua substracti sunt nulli, ita, ut primus ex multitudine Angelorũ associetur primo ex multitudine hominum, nullus restabit homo, qui non habeat socium Angelum, vel si qui restent sine socio, erunt postremi mille; sed in infinito ex ea parte, quâ infinitum est, non dantur ultimi, aut excessi ab alio numero vel extensione; inconceptibile enim est, quomodò infinitum minus in numero habeat terminum extrinsecum, nimirum alterum infinitum majus in numero, à quo excedatur, & non etiam habeat terminum intrinsecum, id est, unitatem, quæ excedatur: adeoque sequeretur totum, qualis est multitudo Angelorum ante substractionem istorum mille, æquale esse parti, qualis est ista multitudo post substractionẽ, cùm multitudo ista, quæ est ante substractionem, & quæ est post illam, æqualis sit uni tertio, nempe multitudini hominum. Sequeretur dein etiam, nõ fore has multitudines ejusdem speciei &

æqua-

æqualitatis, cùm de essentia cujuscunq; multitudinis aut magnitudinis sit , per quamcunquè additionem vel ablationem mutare speciem, & reddi alteri, cui antea erat æqualis , & cui nihil accessit vel decessit inæqualem. Dato igitur unum infinitum esse majus altero V. G. infinitum capillorum infinito hominum , quorum sunt capilli , idem adhuc simul esse alteri æquale, jam est probatum: quia si ex abrasis hisce capillis dentur dein singuli singulis hominibus ex ista infinita hominum multitudine , nunquam deficient homines , quibus dentur. Malè autem dicitur , æqualitatem & inæqualitatem in infinitis locum non habere , cùm verum maneat axioma Euclidis ; *quæ sibi congruunt* (qualiacunq; ea sint, sive finem habeant, sive non) *esse sibi æqualia*: & certè Personæ divinæ, utiq; infinitæ, in symbolo sibi dicuntur coæquales. Malè quoquè dicitur, infinitum solummodò materialiter unum esse majus altero , augeri vel minui ; formaliter verò semper unum alteri esse æquale ; præterquàm enim , quòd hac ratione maneat absurdum, totum nimirum & partem sumpta materialiter esse æqualia , infinitum formaliter

maliter à parte rei præter unitates palmos, gradus intensionis, nihil est; undè si ea minuantur vel accrescant, infinitum formaliter dicetur minui. Malè demum dicitur, posse infinitum utrimqùe claudi terminis, modò partes his terminis clausæ sint innumerabiles & successivè transiri nequeant. Præterquàm enim, quòd hoc non elidat rationẽ nostram, est hoc idem, ac dicere; posse interminatum terminari, cùm de ratione infiniti sit, carere termino ex ea parte, ex qua est infinitum. Ad hæc, unde probatur, spatium illud intermedium non posse successivè transiri, infinitas æternitatis partes jam transiisse, nisi quia nulla earum est prima, nullus palmus talis spatii est primus, adeoq; nisi ratio infiniti desumatur ex negatione primi & ultimi termini. Deniq; in linea infinita terminata utrimqùe palmo primo & ultimo infinitè inter se distantibus palmorum intermediorum infinitorum aliqui sine dubio distabunt à primo palmo infinitè V. G. penultimus, antepenultimus, & sic consequenter: alii finitè V.G. secundus, tertius, quartus, & sic consequenter: hi palmi à primo distantes finitè, non erunt finiti, aliàs finita distantia per

adje-

adjectionem unius palmi fieret infinita, cùm palmus ultimus immediatè sequens hos palmos finitos finitè distantes à primò, distet infinitè à primò: non erunt etiam infiniti; implicat enim inter palmos finitè distantes à primo non dari ultimum. Nec dicas: inter hominem & lapidem, veluti duos terminos extrinsecos, clauduntur infinitæ species creaturarum possibilium: nam hoc permisso, homo & lapis non erunt tales termini, vi quorum possit assignari ex illis creaturis intermediis ultima, sicut vi termini intrinseci, quo clauditur infinita linea, vel extrinseci V. G. spatii contingentis proximè lineam infinitam, demonstrari potest ultimum lineæ.

IV. Non tamen hæc similesve rationes, quibus infinitum categorematicum oppugnatur, militant pariter contra syncategorematicum; sicut enim implicat, infinita syncategorematica secundùm se tota poni, propter potẽtialitatem, quam essentialiter includunt, sic implicat illa secundùm se tota ad invicèm cõparari, & dici majora vel minora, sive secundùm collectionem illam infinitam (quæ utpote chimærica nunquã erit) habere

æqualitatem vel inæqualitatem ; nisi forte inæqualitatem aliquam negativam, quatenus æqualitate positiva carent. Dicere itaq; non possum : decem , & plures & plures (qualiter exprimendum est infinitum syncategorematicum) sunt pauciores, quàm viginti, & plures & plures , nisi illud *plures & plures* determines ; possent enim tam multa addi ad decem , & tam pauca ad viginti , ut fiant numeri æquales , vel etiam ut decem superent viginti : si verò pariter addatur ad decem, & viginti (utì fieret in numero capillorum & hominum , dum Deus constanter per singulas æternitatis horas crearet hominem & simul ejus crines) numeri isti sibi nunquàm erunt æquales : dum è cõtra per singulas horas crearet unũ hominem & unum Angelum, hi numeri sibi semper erunt æquales, adeoq; infinita syncategorematica sibi erunt æqualia vel inæqualia, verùm semper secundùm collectiones finitas. Similiter dicere quidem possum : tota æternitas , seu omnes anni vel dies futuri , id est , plures & plures & plures sine termino anni vel horæ , quale quid , & nihil aliud est æternitas ; nõ verò per hoc significando, quasi æternitas intrin-

intrinsecam aliquam haberet totalitatem, secundùm quam aliquando erunt aut esse possint omnes anni futuri evoluti; est enim totalitas hæc chimærica, adeoque hi anni futuri nec inter se, nec cum horis futuris comparari possunt secundùm æqualitatem vel inæqualitatem.

V. Neque eadem absurda, quæ ex infinito categorematico, existente à parte rei manarent, manant ex infinito v. g. creaturis possibilibus existentibus objectivè in mente Dei; Etsi enim Deus possibilia, non per plures & plures cognitiones, sed actu, simul unicaque cognitione attingat omnia, actualitas tamen, simultas & totalitas hæc non tenet se ex parte objectorum seu creaturarum producibilium, quasi hæ sub una collectione cognoscerentur, multòque minùs quasi sub una collectione cognoscerentur producibiles; sed ex parte cognitionis divinæ: sub qua licet ita sint omnia, ut nullum possibile ipsi supersit cognoscendum, sive ut nullum maneat in potentia in ordine ad hanc cognitionem, nullumque sit, quod Deus distinctè non cognoscat, non sunt tamen ideo omnia collectivè, sive per modum unius determi-

natæ collectionis sub cognitione Dei; sicut nec taliter sunt sub cognitione nostra, dum dicendo: *omne possibile:* cognoscimus omnia, quæ Deus cognoscit, etsi obscurè. Neque enim sequitur: quando nemo est inter omnes, quem non cognosco, tum cognosco, vel cognoscere possum omnes collectivè; nisi quando talis collectio est possibilis, qualis non est ista possibilium collectio. Neque æquipollentes sunt propositiones hæ: *nullum est possibile, quod Deus non cognoscit:* & *omnia possibilia cognoscit Deus:* si τὸ *omnia* accipiatur in sensu collectivo; erit enim posterior de subjecto non supponente. Unde nec contradictoriæ sunt hæ: *omnia possibilia cognoscuntur à Deo: aliqua possibilia non cognoscuntur à Deo:* cùm prior similiter accepta in dicto sensu, sit de subjecto non supponente, quæ ut posteriori sit contradictoria, sic debet exprimi: *Omnia possibilia cognoscuntur distributivè à Deo.* Fertur itaque Deus in cuncta possibilia per modum tendendi distributivum, cognoscendo plures & plures in infinitũ collectiones finitas, sive videt omnia possibilia ad existendum per quascunque collectio-

ctiones finitas in infinitum, & impossibilia ad existendum per unam collectionem infinitam: adeoqùe cognoscit semper infinitum syncategorematicè, & infinitū categorematice non cognoscit, saltem cognitione affirmante & cognoscente illud ut quid possibile. Contra quod gratìs dicitur: si possibilia, quæ nunc omnia videntur unâ cognitione, singula viderentur singulis cognitionibus, hæ cognitiones forent categorematicè infinitæ; ergo & nunc earum objecta in mente Dei sunt categorematicè infinita; id enim non magìs sequitur, quàm: si singulæ æternitatis horæ simul viderentur singulis cognitionibus simul existentibus, hæ cognitiones forent categorematicè infinitæ: ergo & objecta harum cognitionum sunt categorematicè infinita. Unde si omne id, quod Deus nunc videt, existeret eo modo, quo Deus videt, illud posse existere, erit infinitum syncategorematicum: adeoqùe dum dicitur: *quidquid cognoscit Deus, hoc potest eo modo producere, quo cognoscit*: fit æquivocatio; si enim adjiciatur: potest producere eo modo, quo cognoscit esse producibile, verum est; si verò sic intelligatur: sicut cum-

cuncta unâ cognoscit cognitione, sic cuncta simul potest producere unâ productione; falsum est; præterquàm quòd non omne id, quod terminus est cognitionis divinæ, terminus sit etiam omnipotentiæ. Hinc denique est, quòd Deus videns duas multitudines infinitas non posse existere, adeoque nec sibi coëxistere & coaptari, ut sibi congruant (quod est videre, aliqua esse sibi æqualia) non videat eas esse sibi æquales vel inæquales.

VI. Neque ex omnipotentia Dei categorematicè infinita bene arguitur, respondere illi dabilem effectum categorematicè infinitum; non enim illa ideo dicitur categorematicè infinita, sed quia identificatur omni generi perfectionis seu essentiæ categorematicè infinitæ. Nihilominùs distinguitur in eo adhuc à potentia creata, quòd non tantùm possit plures & plures, seu infinitos syncategorematicè effectus producere sicut illa, sed etiam infinitas syncategorematicè effectuum species. Neque, etiamsi hæc omnipotentia foret agens necessarium, productura esset infinitos categorematicè effectus; sol enim, etsi sit agens necessarium, habeatque

què nunc simul potentiam productivam omnis lucis, quam producturus est per totam æternitatem, non tamen jam producit omnem hanc lucem simul: quanquam dato, Deum esse chimæram, potest producere aliam chimæram, vel potiùs nihil: hinc ex eo quòd admissis infinitis ignibus, hi possint infinitos alios ignes producere, non sequitur, Deum nunc idem posse; non enim habet ille potentiam æquivalentem infinitis categorematicè ignibus, quæ utì hi, sic & illa foret chimærica, sed infinitis syncategorematicè. Numerus itaquè, quem nunc Deus potest producere omni numero finito determinato majorem, non est infinitus categorematicè; talis enim ut sit, omni insuper numero indeterminato debet esse major. Similiter Deus faciendo, ut nunc existat, quidquid potest nunc existere, aut ab ipso produci, faciet existere infinitum syncategorematicè (suppono enim τὸ *quidquid* sumi distributivè, aliàs acceptum pro collectione determinata omnium maxima, quâ major non est possibilis, faciet hanc propositionem: *faciat Deus existere, quidquid nunc potest existere*: esse de subjecto non supponente &

ean-

eandem cum hac: *faciat Deus existere chimæram, quæ jam potest existere*) facietque existere simul, quidquid distributivè potest existere simul. Jam verò etsi omnia possibilia distributivè, & omnia possibilia collectivè à parte rei sint idem, adhuc, quia diversimodè sumuntur, mala est argumentatio à sensu distributivo ad collectivum, sicut malè infero: & hanc, & illam, & istam paginam possum spatio quadrantis perlegere; ergo omnes simul. Unde licet quilibet homo ex possibilibus sit seorsim ponibilis, & nullam habeat repugnantiam existendi cum aliis distributivè acceptis, id est, existendi in quacunque collectione finita, repugnat tamen, ut existat in collectione categorematicè infinita, quia hæc ipsa repugnat, & imbibitur hæc repugnantia implicitè in omni ente creato quà tali.

VII. Neque deniqùe actu & simul nunc existentes negationes rerum purè possibilium constituunt infinitum categorematicum in numero; sicut enim actu nihil sunt, sic nequidem constituunt numerum, qui componitur ex unitatibus, quæ proprietates sunt entis: & hinc dicere: *sunt, vel dantur decem negationes*, locutio est impropria, & idem, ac dice-

dicere, non dantur decem entia; adeoqùe dicere, dantur infinitæ negationes, idem eſt, ac dicere, non dantur infinita entia in numero, quæ eſt ipſa noſtra doctrina. Præterea etſi ſuo modo exiſtant, non tamen exiſtunt ut collectivè acceptibiles, quia non poſſunt cognoſci niſi ad terminos, nimirum entia realia, poſitiva, collectivè inacceptibilia.

VIII. CONTINVVM eſt: *cujus extrema ſunt unum*: id eſt, cujus partes integrales ſunt unum per unionem phyſicam; quæ partes, prout ſunt ſimul tempore, vel una poſt aliam, conſtituunt continuum permanens, ut lignum, vel ſucceſſivum, ut dies: item pro ut ſunt vel entitativæ, vel quantitativæ, vel graduales ſeu intenſivæ, continuum componunt entitativum, vel quantitativum, vel intenſivum. Porrò hæ partes aliæ dicuntur *aliquotæ, æquales, determinatæ, non communicantes*, utpote quæ ad invicèm comparatæ ſunt æqualis magnitudinis, aliquoties repetitæ, & certo numero expreſſæ totum continuum adæquant, quarum una ab altera nihil participat, ſed adæquatè diſtinguitur, tales partes aliquotæ continui ulnaris,

v. g.

v. g. sunt quatuor palmi. Aliæ dicuntur *proportionales*, eo quòd non secundùm æqualitatem, sed proportionem inter se comparentur; sicut enim se habet medietas ulnæ ad ulnam, sic se habet medietas hujus medietatis ad mediam ulnam, & sic consequenter: *inæquales*; eo quòd medietas v. g. medietatis non sit æqualis mediæ ulnæ: *indeterminatæ*, non quòd in se determinatæ non sint, aut quòd constituant aliquid in se indeterminatum, sed quòd nullum habeant parvitatis terminum, possintque in minores & minores dividi: *communicantes*, eò quòd una pars semper aliquid participet de aliis v. g. medietas medietatis ulnæ partem medietatis ulnæ, adeoque inadæquatè solùm inter se distinctæ, non quòd medietas medietatis ab altera medietate medietatis ulnæ distinguatur inadæquatè, sed quòd medietas à medietate, cujus ipsa est medietas, sic distinguatur. Unde etiam eadem medietas medietatis ulnæ considerata in ordine ad tres alias partes ulnæ sibi æquales, & secùm determinatæ magnitudinis, erit aliquota; considerata verò tantùm ut medietas medietatis continens in se alias medietates & medieta-

dictatum medietates, dicitur proportionalis.

IX. Non componitur continuum ex punctis inflatis seu physicis, id est, formaliter indivisibilibus, virtualiter divisibilibus, quatenus occupare possunt locum divisibilem ad modum Angeli, qui & propterea dicitur virtualiter divisibilis; forent enim hæc puncta omnino materialia tota in toto spatio, & tota in qualibet parte spatii, qui modus præsentiæ juxta consensum Philosophorum solis rebus spiritualibus est naturalis, & corpori Christi in Eucharistia supernaturalis. Ad hæc, linea constans punctis imparibus non poterit æqualiter dividi, eò quòd ab alterutra parte tenere se debeat punctum illud intermedium indivisibile.

X. Neque componitur ex meris formaliter & virtualiter indivisibilibus seu punctis mathematicis. Primò enim, cùm punctum unum ab altero in linea debeat immediatè tangi, ut fiat continuum, tangent se puncta invicèm adæquatè sive se totis (cùm nequeant se tangere secundùm partes, v. g. secundùm latus orientale, utpote quales partes non habet indivisibile) adeoque punctum secun-

secundum cum primo, tertiũ cum secundo, ac proinde etiam cum primo penetrabitur (quæ enim se se totis tangunt, sunt in eodem loco, & non per juxta positionem, sed per intrapositionem se tangunt) & consequenter punctum secundum additum primo, tertium secundo &c. imò nec infinita addita puncta facient majorem extensionem. Cui non obstat, quòd unitas addita unitati faciat quantitatem discretam seu numerum majorem; hujus enim magnitudo consistit in pluralitate, quam constituere adhuc possunt duo indivisibilia; quantitatis verò continuæ magnitudo in extensione. Secundò motus unus non erit altero velocior; vel enim cervus & testudo incipientes moveri à puncto A, hic celerrimè, illa tardissimè, pervenient simul ad secundum punctum lineæ pro primo instante, & erit motus æqualis, quia & secundo instante pervenient simul ad tertium punctum lineæ, & sic consequenter: vel non pervenient simul ad secundum punctum, & sic quando cervus pervenit ad secundum punctum, testudo perveniet ad primam vel secundam partem primi puncti: hoc autem dici nequit, cùm pun-

punctum non habeat partes: Neqùe dici poteſt, quòd interea, quo teſtudo tranſit unum punctum, cervus tranſeat plura; iſto enim tempore, quo cervus tranſit unum punctum, vel teſtudo nihil tranſit, & ſic non movetur, vel tranſit aliquid, & jam etiam tranſit punctum, cùm pars puncti non detur. Neqùe dici poteſt, omnem motum interrumpi per morulas aliquas quietis, tardum per plures, celeriorem per pauciores; quomodò ergo motus erit continuus? quis credet, globum tormentarium, vel lapidem molarem de cælo cadentem in aëre quieſcere paululùm? quis illi novum imprimit impulſum? vel ſi prior impulſus & gravitas manet, cur non agit ſemper, cum ſit cauſa neceſſaria? Tertiò linea diametralis ducta ab uno ad alium angulum perfectiſſimè quadri, non erit longior lineis coſtalibus; tranſibit enim ſingula tantùm puncta linearum ſingularum ductarum à ſingulis lineæ coſtalis punctis ad ſingula puncta oppoſitæ lineæ coſtalis.

XI. Sed conſtat partibus diviſibilibus in infinitum, ſubintellige, ſyncategorematicè, ita ut, dum actu dividitur, relinquat ſemper poten-

tentiam ad ulteriorem divisionem, & nunquam dividatur in infinitum categorematicè, id est, ut omnes divisiones simul & semel ponantur in actu, nihilque restet amplius dividendum. Unde dum dicitur: *dividat Deus palmum in tot partes, in quot potest dividere eum* (si significare debeat; faciat tot diversiones, ultra quas nulla amplius est possibilis) idem dicitur, ac: *faciat Deus chimeram tantam, quantam potest facere.* Licet enim Deus quamlibet determinatè & distributivè partem ab alia determinata parte separare possit, quamlibet tamen collectivè, sive omnes simul ab invicèm separare nequit, cùm nulla sit, quæ non includat potentialitatem ulterioris divisionis. Neque sequitur primò ex dictis, has partes in infinitum divisibiles facturas extensionem infinitam; hæc enim, ut fiat, deberēt esse partes infinitæ aliquotæ, non communicantes, & versùs majoritatem infinitæ; sicque partes quotcunque, quatenus sub quantitate aliqua determinata finita contentæ, & solùm versùs minoritatem in infinitum divisibiles, pertransiri poterunt; etsi non cum enumeratione singularum partium proportionalium, seu

seu enumerando dimidia dimidiorum. Nec secundò, tot fore partes æquè magnas unius grani, quot globi cælestis, sed granum posse dividi in partes æquè multas, cum proportione tamen minores semper, quamvis *tot* & *quot* in rigore hìc locũ non habeant, utpote quibus significatur tantùm numerus certus & determinatus unitatum determinatarũ & adæquatè distinctarũ. Nec tertiò, cervũ non posse assequi testudinem uno milliari ante se tardissimè reptantem; etsi enim eo tempore, quo cervus percurrit primum milliare, testudo pertransierit aliquam partem secundi milliaris, & quo tempore illam percurrit cervus, iterum aliam pertransierit testudo, præcurret tamen tandem cervus testudinem, quia non percurrit spatium proportionatum motui testudinis, sed priori suo cursui; ad hæc, considerandi non sunt illi motus secundùm partes proportionales, quarum æquè multas, etsi minores (si tamen in iis liceat utì hoc termino *æquè*) in se continet uterquè motus, sed secundùm aliquotas.

XII. Præter has partes, neqùe in continuo permanente, neq; successivo dantur indivisibilia continuativa (sive ea dicantur modalia,

sive strictè realia) habentia se loco unionum; partes enim continui sufficienter uniuntur per uniones, quæ & ipsæ sunt in infinitum divisibiles: imò talia indivisibilia unire nequeunt partes divisibiles, cùm non possint illis esse intimè præsentia; vel enim erunt præsentia toti parti divisibili in spatio divisibili; sed hoc est proprium rebus spiritualibus: vel in spatio indivisibili; sed tale spatium non datur. Productæ autem fuerunt unionum harum divisibilium aliquæ primitus à solo Deo, & probabiliùs concreatæ cum materia, cujus sunt aliquid, & hæ in nullo sunt subjecto sustentationis vel inhæsionis, sed partibus materiæ tanquam terminis intrinsecis adhærent. Producuntur aliæ ab agentibus naturalibus, dum partes materiarum inter se discontinuarum ab iis inter se uniuntur, ut fit in nutritione, & hæ subjectantur in partibus materiæ, quarum sunt uniones; uniones tamen continuativæ quantitatis & formarum materialium subjectantur in partibus subjecti, in quibus subjectantur partes, quantitatis & formarum istarum; partibus verò quantitatis & formarum istarum intrinsecè adhærent. Harum unionum divisibilium partes uniun-

uniuntur inter se seipsis; sunt enim ultima & formalis ratio uniendi. Neque potest Deus omnes has uniones simul & collectivè sumptas tollere (etsi eas simul possit tollere, tollendo simul omnes partes simul, non successivè) sicut non potest ponere omnes divisiones possibiles in continuo.

XIII. Neq; dantur indivisibilia terminantia, & claudentia quasi ultimò continuum, ne ulteriùs extendatur, realiter à partibus continui distincta, quæ dicantur superficies vel linea: res enim sufficienter concipitur esse, & est terminata se ipsâ cum negatione ulterioris extensionis, nullo alio superaddito, v. g. corpus aliquod est longum quatuor pedes, quia habet quantitatẽ quatuor pedũ, & non majorẽ. Certè illo positivo indivisibili superaddito sublato, res manebit terminata sicut ante; neq; enim extendetur in infinitum. Similiter non serviunt ista terminantia indivisibilia ad hoc, ut corpus unum ab altero possit tangi; si enim Deus spoliet duos asseres hac superficie indivisibili superaddita, conservetque illorum ubi, adhuc tangent se sicut ante, & palpari poterunt. Non dividitur itaque quantitas in lineam superficiem & corpus, tan-

quam partes subjectivas specie inter se à parte rei differentes, sed tantùm specie differentes juxta nostrum concipiendi modum; sunt enim puncta, lineæ, superficies fundamentaliter in continuo, formaliter per intellectum, quatenus quantum (quod semper à parte rei est corpus habens trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem, profunditatem, realiter à se indistinctam) nunc consideratum secundùm unã tantùm, nunc secundùm duas dimẽsiones, dicitur linea vel superficies, nunc præcisum ab omni extensione, dicitur punctum, seu carere profunditate latitudine &c. sicut animal formaliter dicitur nec esse rationale, nec irrationale: & sic intelligi potest Arist. admittere indivisibilia non realiter, sed formaliter à rebus distincta, vel certè loqui ex mente vulgi. Quare dum duo continua contigua tangunt se, tangunt se secundùm rem, quæ est profunditas; neque tamen ideo penetrantur; illorum extrema enim sunt simul tantùm per juxtapositionem; & tangunt se partes talium corporum divisibiles, non adæquatè & commensurabiliter, sed inadæquatè, qui contactus inadæquatus in eo consistit, quòd licet liceat dicere: hæc pars de-

ter-

terminata, & non major, est tacta, non possit tamen unquam assignari pars, de qua liceat dicere: hæc pars adæquatè & secundùm se totam est tacta, sicut dici nequit: hæc pars est omnium proxima alteri continuo contiguo, cùm quævis pars continui sit in infinitum divisibilis. Eodem modo globus perfectè sphæricus tanget planum perfectè planum (quanquam globus ita sphæricus, ut eo non possit dari alter magìs sphæricus, probabiliùs implicet) in parte aliqua divisibili, sed omnino inadæquatè & incommensurabiliter, id est, erit in tangente & tacto assignabilis quidem pars, quæ tangat, & tangatur; de hac tamen non erit verum dicere: hæc tangit, aut tangitur adæquatè.

XIV. Nihilominùs partes in continuo sunt actu & realiter inter se distinctæ, etiam ante divisionem vel designationem; aliàs enim caput & pes in homine erit idem, usquè dum aliquis re vel ratione caput à pedibus dividat: duæ aquæ divisæ in duo vitra sunt actu distinctæ; ergo etiam dum conjunguntur & continuantur in uno vitro; per nullam enim potentiam fieri potest, ut entitates realiter distinctæ fiant una eademquè entitas: è contra

uniuntur inter se seipsis; sunt enim ultima & formalis ratio uniendi. Neque potest Deus omnes has uniones simul & collectivè sumptas tollere (etsi eas simul possit tollere, tollendo simul omnes partes simul, non successivè) sicut non potest ponere omnes divisiones possibiles in continuo.

XIII. Neq; dantur indivisibilia terminantia, & claudentia quasi ultimò continuum, ne ulteriùs extendatur, realiter à partibus continui distincta, quæ dicantur superficies vel linea: res enim sufficienter concipitur esse, & est terminata se ipsâ cum negatione ulterioris extensionis, nullo alio superaddito, v. g. corpus aliquod est longum quatuor pedes, quia habet quantitatẽ quatuor pedũ, & non majorẽ. Certè illo positivo indivisibili superaddito sublato, res manebit terminata sicut ante; neq; enim extendetur in infinitum. Similiter non serviunt ista terminantia indivisibilia ad hoc, ut corpus unum ab altero possit tangi; si enim Deus spoliet duos asseres hac superficie indivisibili superaddita, conservetque illorum ubi, adhuc tangent se sicut ante, & palpari poterunt. Non dividitur itaque quantitas in lineam superficiem & corpus, tan-

terminata, & non major, est tacta, non possit tamen unquam assignari pars, de qua liceat dicere: hæc pars adæquatè & secundùm se totam est tacta, sicut dici nequit: hæc pars est omnium proxima alteri continuo contiguo, cùm quævis pars continui sit in infinitum divisibilis. Eodem modo globus perfectè sphæricus tanget planum perfectè planum (quanquam globus ita sphæricus, ut eo non possit dari alter magìs sphæricus, probabiliùs implicet) in parte aliqua divisibili, sed omnino inadæquatè & incommensurabiliter, id est, erit in tangente & tacto assignabilis quidem pars, quæ tangat, & tangatur; de hac tamen non erit verum dicere: hæc tangit, aut tangitur adæquatè.

XIV. Nihilominùs partes in continuo sunt actu & realiter inter se distinctæ, etiam ante divisionem vel designationem; aliàs enim caput & pes in homine erit idem, usquè dum aliquis re vel ratione caput à pedibus dividat: duæ aquæ divisæ in duo vitra sunt actu distinctæ; ergo etiam dum conjunguntur & continuantur in uno vitro; per nullam enim potentiam fieri potest, ut entitates realiter distinctæ fiant una eademquè entitas: è contra

partes aquæ post divisionem actu distinguuntur, ergo & ante illam; fieri enim nequit, etiam divinitus, ut duo inter se identificata distinguantur postmodùm: sic igitur non tantùm ea, quæ actu separantur, sed & quæ separari possunt, distinguuntur; quinimò hæ partes uniri non possent, nisi distinguerentur, cùm unio essentialiter sit extremorum actu distinctorum unio. Quare dum Arist. ait, in continuo esse partes, non actu, sed potentiâ, vult esse partes tantùm potentiâ divisas. Hinc tamen non sequitur esse in continuo partes aliquotas (de quibus manifestum est) aut proportionales actu categorematicè infinitas. Hæ enim partes proportionales nequidem constituunt numerum simpliciter dictum, multò minùs infinitum in numero; cùm numerus seu multitudo sint plures unitates unione carentes, seu plura discreta, vel saltem, si discreta non sunt, omnia tamẽ determinata, discernibilia, & adæquatè distincta sint, necesse est: sed tales non sunt istæ partes proportionales, utpote quæ nequidem omnes à mente divina designari aut discerni queunt; & licet secundùm se spectatæ sint simul, secundùm designatio-

nationem tamen illam & discretionem seu divisionem partim sunt actu, partim potentiâ, adeoque indifferentes sunt, ut exprimantur per mille, vel per centum; neque ut designabiles habent terminum. Ad hoc ergo, ut constituant hæ partes infinitum categorematicum, non sufficit, ut sint actu simul & distinctæ, adeoque cognitæ ut distinctæ repræsentent aliquem indeterminatum numerum.

DISSERTATIO XV.

De Loco & Vacuo.

I. LOCVS seu spatium imaginarium, in quo ultimatè est & ubicatur omne spatium reale, bene explicatur, quòd sit spatium reale purè possibile, quod nobis imaginamur, sive concipimus per modum aëris, aut similis alicujus corporis, quo rerum ubicationes metimur, actu existentis secundùm trinam dimensionem extensi, & in infinitum diffusi. In quo licet involvatur negatio per τὸ *purè possibile* indicata, quæ adæquatè nunquàm tolli potest, cùm quocunque corpore producto in spatiis imaginariis restet spatium imaginarium amplius, à pluribus corporibus producibilibus occupandum: quia tamen eam, dum spatium reale

possibile per modum actu existentis apprehendimus, non ita explicitè concipimus, minùs bene per hanc negationem spatium imaginarium explicatur. Neque tamen etiam hic locus, cùm actu sit nihil, est positiva & realis capacitas ad hoc, ut ibi corpus sit præsens, sed potiùs negativa aliqua capacitas, quatenus dicit negationem ubicationis entis possibilis ibi existere. Rem itaque esse in spatio imaginario, est rem habere actualem ubicationem correspondentem, sive de se proximè aptam correspondere ubicationi, quam corpus possibile juxta vel circùm illam habere potest. Hinc Deus verè, etsi minùs propriè, dicitur esse in spatiis imaginariis, quatenus per immensitatem suam est ibi, ubi de facto quidem nullius corporis ubicatio illius ubicationi correspondet, sed ubi illius immensitati plures & plures in infinitum corporum extensorum ubicationes correspondere possunt: adeoque est in nihilo, non ut contentum in continente, sed ut correspondens per suam immensitatē alicui possibili alicujus possibilis, non existentis, ubicationi. Et Deum sic esse extra cælos, patet ex eo: si mundus hic ex

suo

ſuo loco imaginario moveretur ad aliud ſpatium imaginarium, utiqùe erit illi & ibi præſens Deus, ſed non erit ibi productus, nec illuc ſe movit, ergo ante ibi fuit. Quare SS. Patres dicentes; Deum, antequàm mundus fieret, non fuiſſe alibi, quàm in ſe ipſo; nihil volunt aliud, quàm eum non eguiſſe corporali loco, ſeu nullius creaturæ ubicationem illius imẽnſitati coëxſtitiſſe. Unde tamen non bene dicetur Deus exiſtere extra cælos in templis, equis, hominibus poſſibilibus exiſtere in ſpatiis imaginariis; hæc enim non per modum templorum, equorum &c. poſſibiliũ apprehendimus; neqùe ibi ulla templa, equos &c. cõcipimus, ſed ſpatia imaginaria imaginamur nobis per modum expanſionis immenſæ, abſtrahendo ab omni materia. Neqùe per hanc Dei immenſitatem ſic per ſpatia imaginaria diffuſam bene explicantur hæc ſpatia (etſi de cætero res corporea eo ipſo, quò exiſtit in ſpatiis imaginariis, coëxtendatur immenſitati divinæ, ſitqùe ipſi præſens Deus ſine ulla ſui mutatione) dum enim de ſpatio imaginario audimus, non tam explicitè apprehendimus immenſitatem Dei, quàm corpus aliquod per modum aëris extra cælos diffuſi.

II. Locus realis extrinsecus est *superficies prima & immobilis corporis ambientis*, id est, extima tantùm corporis pars proximè cõtingens locatum (malè enim diceretur, totus aër esse locus unius muscæ) quæ est ultima, quatenus corpus continens versùs locatum ultimò terminat, & prima, quatenus est primum extra locatum, quod contingit: quæ dicitur immobilis à sua entitate & simul ab ubicatione sua; licet enim sæpe moveatur superficies hæc, ut patet in aëre & aqua, simul tamen cum sua ubicatione permanente eâdem moveri & aliò transferri nequit. Hinc turris stans immota toties physicè mutat suum locũ extrinsecũ realẽ, quoties commoto per ventũ aëre, alia & alia aëris superficies fit turri contigua. Similiter toties vinum mutat locum suũ quoties vas vino etiam immoto de loco in locum transfertur; etsi enim eadem superficies concava vasis maneat vino contigua, ipsa tamen mota mutat suam ubicationem, adeoq; non manet superficies hæc cum sua ubicatione, quod aggregatum est locus extrinsecus vini. Dicitur denique *superficies corporis ambientis*: id est, rei quantitativè extensæ tangentis locatum contactu quantitativo (hinc neque Angelus

gelus existens in hac schola, neqùe Petrus existens in schola, quam annihilato aëre occuparet Angelus, est propriè in loco reali Aristotelico) adeoqùe à locato distincta. Hinc pars ejusdem continui sequens hanc superficiem non est ejus locus. Opus tamen non est, ut hoc corpus ambiens locatum sit aliquod continuum, sic locus navis partim est aqua, partim aër, qui aquæ tantùm est contiguus.

III. Locus intrinsecus seu ubicatio & ratio formalis, per quam constituitur res in ratione existentis hìc potiùs, quàm alibi, est forma accidentalis, modalis (sufficit enim hæc distinctio realis minor inter ubicationem & rem ubicatam ad difficultates hac in parte occurrentes explicandas) rei locatæ & loco, in quo hæc locatur, superaddita; quam in rem vide rationes supra pro unione ab extremis distincta propositas. Undedum Arist. inquit, per motum localem mobile non mutari intrinsecè (quanquam bene adverterint quidam, illum non dicere: *non mutari*: sed *minimè mutari*: eò quòd ubicatio ex omnibus sit minima & vix notabilis mutatio) sic est intelligendus, quòd non mutetur per ubicationem de novo

acquisitam mutatione corruptiva aut magis perfectiva, cùm ubicationes sint in perfectione sibi similes. Neque dicas primò: entitas Petri est in loco, ergo per illam formaliter Petrus est in loco: nam entitas Petri est illud, quòd *ut quod* est in loco, non tamen est illud, per quod *ut quo* Petrus est in loco. Neque secundò: eò ipso, quòd intelligatur motus Petri ad spatium A, & negatio ulterioris motus, nequit non intelligi, esse in loco A, ergo per ea est in loco: nam per ea est causaliter, non formaliter in loco; mala autem est argumentatio: causâ actu causante necessariò habetur effectus, ergo hic nihil est distinctum à causa. Neque tertio: Petrus per suam entitatem coëxistentem huic aëri, secluso quocunque alio sufficienter intelligitur esse hìc: nam negatur suppositum; nempe quòd Petrus per solam suam entitatem huic aëri possit coëxistere. Quibus non obstat, quòd sine superaddito coëxistat suæ ubicationi, cùm hæc sit ipsa actualis ejus determinatio ad esse hìc.

IV. Independens quidem est ubicatio ab omni loco reali, cùm mutato, imò annihilato omni loco reali, possit remanere eadem

numero, explicari nihilominùs debet ad certas ſpatii imaginarii partes. Similiter non eſt relatio diſtantiæ vel indiſtantiæ, cùm maneat invariata ubicatio, dum Petrus mihi manenti immoto approquinquat ; nihilominùs hanc fundat relationem , quæ eſt plurium ubicationum ſimilium vel diſſimilium coexiſtentia.

V. Emanatur ubicatio à re, dum hæc primò producitur (ut autem hæc potiùs, quàm alia, in hoc potiùs, quàm alio ſpatio emanetur, determinat Deus, vel ſubjectum, è quo forma educitur, in hoc ſpatio ubicatum) de cætero producitur per motum localem, vel à potentia loco motiva, vel ab impetu, vel à naturali gravitate vel levitate. Eſtq; res hìc V. G. in ſpatio A pro eodem inſtante , quo producit ſuum ubi hìc , ſed per idem ubi, quod producit hìc ; opus enim non eſt , ut antequàm intelligatur producere ſuum ubi hìc, intelligatur eſſe hìc, ſicut opus eſt, ut priùs intelligatur res ubicata hìc , quàm intelligatur producere alium effectum ab ubi ſuo diſtinctum hìc; pro iſto enim priori, quo mobile eſt prius naturâ ſua ubicatione , nec intelligitur eſſe hìc , nec alibi , ſed tantùm

existens & potens producere suum ubi: neq; opus est, ut causa effectiva ubicationis in spatio A priùs intelligatur applicata ad spatium A; sed sufficit intelligi ut motam per ubicationem fluétem ad locum A; hoc ipso enim, quòd detur hic motus & negatio causæ impedientis, intelligitur dari in actu primo proximo sufficiens determinatio, ut producatur ubi permanens in spatio A.

VI. Probabilius est, singula quæ sunt in composito V.G. materiam, formam, unionem, subsistentiam, albedinem, aliaqùe accidentia (exceptâ actione productiva ubicationis, quæ videtur ubicari per ipsam ubicationem, quam producit) habere singulas ubicationes sibi proprias. Unde licet materia cæteraqùe accidentia materialia sint in loco divisibili per quantitatem, tanquam per id, quod talis ubicationis est exigitivum, non sunt tamen per quantitatem in loco divisibili tanquam per rationem immediatè ea constituentem in tali loco; eò ipso enim, quòd albedo unita sit quantitati, exigit esse in loco divisibili, non tamen per eam in actu secundo formaliter constituitur in tali loco.

VII. Ubi-

VII. Ubicatio ſubſtantiæ ſpiritualis permanens eſt indiviſibilis ; ſicut enim formæ materiales ſunt diviſibiles, quia educũtur ex ſubjecto diviſibili, ſic & forma, quæ educitur ex ſubjecto indiviſibili (qualis eſt ubicatio V. G. Angeli) erit indiviſibilis ; magìsq; debet hic modus proportionari ſubjecto v.g. Angelo, cui eſt intrinſecus, quàm alteri alicui, nempe ſpatio diviſibili , in ordine ad quod tantùm explicatur. Imò dato ubicationem dicere verum ordinem ad ſpatium diviſibile , hinc tamen non magìs inferetur ejus diviſibilitas , quàm diviſibilitas animæ rationalis ex reſpectu, quem ea dicit ad corpus extenſum, vel etiam quem dicit ad ſuam ubicationem diviſibilem juxta Adverſarios. Erit itaq; ubicatio Angeli ſicut & ipſe Angelus tota in toto ſpatio, & tota in qualibet parte ſpatii: & licet ubicatio manens eadem non poſſit transferri de loco in locum, aut defigere rem in diverſis locis adæquatis, poteſt tamen eadem determinare rem ad exiſtendum ſecundùm ſe totam in pluribus partibus ſpatii & loci adæquati. Unde anima per abſciſſionem pedis deſinit illi eſſe præſens per eandem præſentiam , quâ fuerat illi ante præſens (ubicatio enim

enim indivisibilis semper tota mutatur, quoties subjectum ejus recedit ab aliqua parte spatii ante occupatâ) non verò per aliam.

VIII. Duo corpora quantitativè extensa (contrarium est de rebus aliis materialibus, formâ V. G. materiali substantiali , formis accidentalibus, albedine, dulcedine &c. quæ cum materia & invicèm existunt in eodem loco) naturaliter existere non possunt in eodem loco, ut patet experientiâ. Ratio hujus à priori desumenda est à natura quantitatis, quæ etsi activè non expellat aliud corpus quãtum ex eodem secùm loco, exigit tamen, ut aliud corpus non sit secùm in eodem loco, sicut forma una substãtialis cum altera incõpossibilis illius exigit expulsionẽ ex subjecto. Potest tamen id fieri supernaturaliter ; cùm actualis extensio quantitativa & impenetratio non sit de essentia quantitatis, aut ejus effectus formalis primarius (quæ & qui est exigentia hujus impenetrationis) sed tantùm secundarius, & connaturalis physica ejus proprietas , ab ea separabilis. Sic olim corpus Christi penetratum fuit cum januis clausis. Sic de facto, cùm Christi corpus totum indivisibiliter sit in qualibet hostiæ parte, ejus

ejus partes necessariò sunt penetratæ in eodem loco; Ex duobus tamen corporibus miraculosè penetratis, alterum non poterit se naturaliter movere, aliàs pars non penetrata cum alia, naturaliter illam penetraret, V.G. pectus caput, dum per illam transiret.

IX. Potest quoq; divinitus idem corpus esse simul in pluribus locis adæquatis (in pluribus enim locis inadæquatis naturaliter esse posse rē eandē, patet in anima rationali, quæ simul tota est in pede, & tota in capite) circumscriptivè. Potest enim idem corpus esse in uno loco circumscriptivè, utì corpus Christi est in cælis, & simul in locis aliis definitivè, qualiter corpus Christi est in Eucharistia; ergo faciliùs poterit esse simul in pluribus locis circumscriptivè; cùm minùs repugnet, poni in eodem subjecto duplicem formam naturalem, quales sunt duo calores respectu ignis, duæ ubicationes circumscriptivæ respectu corporis, quàm unā naturalem, & alteram non talem, qualis est ubicatio definitiva respectu corporis. Præterea circumscribi corpus à loco, est ita esse in loco, ut totum corpus toti spatio, & partes ejus partibus spatii correspondeant, & est ita ambiri seu claudi

claudi à loco, ut nulla pars locati sit, quæ non ambiatur, sive est esse ita in loco, ut nõ sit extra illum vi ejusdem ubicationis, vel etiam ut non sit extra illum negativè, id est, ut non sit non in hoc loco : quæ omnia adhuc manent dum corpus vi alterius ubicationis circũscriptivæ est positivè simul extra hunc locum, dum totũ simul toti alteri loco adæquato, & singulæ partes singulis alterius loci partibus comensurãtur, & sic ab altero loco simul alibi ambiũtur omnes; aliàs nec corpus Christi in cælis retinebit ubicationem suam circumscriptivam, dũ simul est præsens in hostia definitivè, id est, ita, ut totũ sit in tota hostia, & totum in singulis ejus partibus. Ulteriùs, erit tale corpus æquale duobus locis seorsim sumptis, non simul sumptis, & hinc nõ occupabit majorẽ locum, quàm sit ipsum. Distabit à me vi unius ubicationis, & non distabit à me, sed vi alterius ubicationis. Non tamen distabit à se, sicut nec divisum & discontinuatum erit à se; divisio enim, discontinuitas & distantia important distinctionem inter ea, inter quæ est distantia &c. sicut nec propter eandem rationem idem corpus habens in eodem loco duas ubicationes, dicetur

tur secùm penetratum, aut idem homo habens duas albedines vel unam albedinem & unam nigredinem, dicetur sibi similis vel dissimilis. Vel die, tale corpus distaturum à se localiter accidentaliter & extrinsecè, non verò entitativè, substantialiter & intrinsecè, quod idem est, ac dicere, eandem entitatem corporis habere duo accidentia à se invicem distantia ac divisa. Neq; dicetur immensum ex eo, quòd posset esse in locis syncategorematicè infinitis, id est, in pluribus & pluribus per plures & plures ubicationes sibi superadditas, quia hac ratione nō erit adhuc ubiqùe, neqùe immensum, sicut Deus est immensus per essentiam suam. Neq; sequitur absolutè, tale corpus naturaliter posse moveri duobus motibus, etiam contrariis, utpote quod utrobiq; constitutum in aêre, si grave est, descendet deorsum, vel etiā, si animal est, poterit in uno loco ambulare versùs orientem, in altero versùs occidētem: nam cùm nō debeatur illi duplex præsentia, Deus non concurret ad utrumqùe motum; descendet autem in eo loco, ubi est connaturaliter, vel ubi est vicinius centro, vel determinabit id Deus. Quanquā in cōtrario quoq; nihil sit incōveniens;

niens ; dici enim potest, quòd ex suppositione & continuatione miraculi , quo antecedenter positum est in duobus locis , jam debeatur corpori concursus ad duplicem motum,& duplex ubi per eum acquisitum,posseqùe sic corpus replicatum moveri etiam motibus localibus contrariis. Deniq; id hìc observandum est, quòd pleraqùe, quæ contra hanc doctrinam objici possunt , oppugnent quoq; præsentiam Christi circumscriptivam cælestem , & definitivam sacramentalem.

X. Replicatur autem corpus seu ponitur in diversis locis V. G. Romæ & Coloniæ, per solam productionem harum ubicationum, Colonienſis & Romanæ. Per formam enim , per quam res ponitur simpliciter in uno loco , per eandem duplicatam & diversam ponitur in pluribus locis , sed per unam ubicationem res formaliter ponitur in uno loco : ergo, Opus itaq; non est ad replicationem corporis actione terminata ad substantiam corporis, per quam illa reproducatur in secundo loco, sicut ad hoc, ut res existens sub uno cõtrario, etiam existat sub alio, opus non est reproductione subjecti, sed sufficit

ficit sola coëductio alterius contrarii ex eodem subjecto: & sicut, ut anima rationalis existens in corpore, incipiat dein existere in parte corporis de novo per nutritionem acquisita, non requiritur, ut reproducatur anima in ista parte, sic nec, ut corpus existens Coloniæ, incipiat quoq; existere Romæ, requiritur reproductio (quæ ne quidem potest cõstituere se solâ formaliter rẽ in loco, utpote quæ utì, & prima rei productio, indifferens est ad hunc vel illum locum, adeoq; si reproducatur corpus, quod fieri potest, ad ponendum illud in secundo loco, opus insuper est rei ubicatione secunda) sed sufficit ex eodem corpore educi secundam ubicationem. Educitur autem illa V.G. ubicatio Romana è corpore, non ut existente Coloniæ, sed è corpore, quod existit Coloniæ, & per hoc ubi secundum constituitur Romæ præsens: utì calor non producitur è ligno ut frigido, sed quod frigidum est, & per calorem constituitur calidum. Cui non obstat, quòd unio non educatur nisi è subjecto ut existente hìc apud alterum extremum; supponit enim illa intimam extremorum præsentiam, & ipsa non est formalis præsentia unius extremi

cum

cum altero. Quanquàm & hoc ipsum principium : rem priùs naturâ poni hìc , quàm uniatur alteri , incertum sit ; licet enim ante actionem unitivam animæ cum corpore supponatur actio creativa animæ , hæc tamen, cùm ad solam substantiam animæ terminetur, non ponit formaliter animam hìc, ubi est corpus : adeoq; priùs videtur anima intelligi unita corpori , & à tali dein unione determinari ad producendam ubicationem correspondentem loco & ubicationi sui corporis, sicq; requiri mutua uniendorum præsentia, nō naturâ antecedēs,sed cōcomitans, vel naturâ subsequēs unionem. Ex eo tamen, quod ubi Romanum sit in corpore,quod existit Coloniæ, non sequitur, ubi Romanum fore Coloniæ; ubi enim illud Romanum nō est in omni loco,ubi est subjectum,sed in eo, ubi est corpus vi ubicationis Romanę. Sic ergo cōversio Eucharistica nō dicetur substantialis vel transubstātiatio,quod corpus Christi præcisè per eam reproducatur,sed quia vi illius substantia nova,nempe corpus Christi, succedat veteri, nimirum substantiæ panis in substando iisdem accidentibus per veram unionem,præter quam conversionem insuper

opus

opus est actione productiva harum præsentiarum definitivarum corporis Christi. Neque ad acquirendū ulterius ubi, semper opus est motu locali ; ut patet in exemplo animæ rationalis paulò ante allato. Neq; cōversione unius rei in aliam ; dum enim corpus manens Coloniæ, incipit simul existere Romæ, nihil perit, sed ad summùm unitur quid isti corpori nempe ubicatio Romana, vi cujus Coloniensis ubicatio connaturaliter deberet perire.

XI. Accidentia certo loco ita affixa, ut implicet ea defigi alibi, qualia sunt ubicatio, motus localis, sessio, comestio, cantatio &c. utpote certam certo loco affixam involventia situationem & organorum motum, implicat re replicatâ replicari, sive poni alibi : sic Petrus sedere non potest Romæ sessione Colonensi, nec cantare eodem cantu Romæ, quo cantat Coloniæ. Nihilominùs possunt hæc accidētia, utì & alia à loco absoluta, quæ ubicantur & uniuntur cum re in uno tantùm loco, simpliciter dici de ea, etiã in altero loco (non tamen de ea ut existente in alio loco) in quo ei non uniuntur : sic Petrus ambulans, calefiens, habensque sibi calorem unitum Romæ, etsi non ambulet, calefiat, aut habeat

sibi

sibi calorem unitum Coloniæ, id est, etsi ista ambulatio, calefactio, calor non existat Coloniæ, dicitur tamen absolutè Petrus existens Coloniæ ambulare, calefieri &c. sed non ambulare, calefieri &c. Coloniæ, ut enim negetur calefactio absolutè de Petro, sive existat negatio calefactionis Petri, calefactio in nullo loco debet ei competere vel uniri. Accidentia verò à loco absoluta aliave, sive merè contingenter, sive necessariò, sive unione substantiali, sive accidentali unita rei, ut sunt calor, intellectio, visio, anima corpori, digitus manui &c. neq; repugnat replicatâ re replicari, neq; repugnat non replicari: connaturaliter tamen seu necessitate quadam naturali replicantur & ipsa, re replicatâ, conveniuntq; rei, etiam ut existenti in secundo loco; videtur enim sic exigere unio horum accidentium cum re, ut ea uniantur illi utrobiqùe: utì sanguis Christi, qui vi verborum præsens non est sub speciebus panis, propter connexionem, quam habet cum corpore Christi in cælis, posito corpore Christi sub speciebus panis, pariter fit ibi præsens per cõcomitantiam. Neq; in eo est quid absurdi, quòd unio hæc, suppositio uno miraculo,

dum

dum exigit re replicatâ replicari accidentia, exigat pariter suiipsius replicationem. Sic itaqùe calebit Petrus connaturaliter eodem calore Romæ, quo calet Coloniæ, replicato solo calore & actione illius productiva (non enim adeo certum est, posse rem existentem in pluribus locis conservari vel produci unica actione coëxistente rei tantùm in uno loco) etsi agens calefactivum illi tantùm præsens sit Coloniæ (quam actionem aliqui negant, dici posse actionem indistans, eò quòd licet agens sit in aliquo loco, ubi passum & actio non est, sit tamen etiam in loco, ubi est idem passum & actio) Petrus videbit eâdem visione eadem Romæ, quâ & quæ videt Coloniæ ; dependet enim hæc visio ab objecto, non ubiq; præsente videnti, sed alicubi tantùm illi præsẽte: imò hæc visio cõnaturaliter exercebitur in utroqùe loco: emanabit ipsa secũdam suam ubicationem, si eliciatur ab habẽte in utroq; loco easdem species, vel certè Deus secundam ejus producet ubicationem. Item etsi Petrus cantatione Colonensi cantare nequeat Romæ, audiet tamen eandem eâdem auditione Romæ, quâ audit illam Coloniæ. Neque his obstat, quòd

anima rationalis existens in capite habeat unionem (quæ est forma à loco absoluta, cum materia capitis, quam tamen non habet in pede; nam hinc aliud nihil sequitur, quàm quòd res existens in duobus locis inadæquatis non habeat utrobiquè easdem formas; eo ipso enim, quòd unus sit locus inadæquatus, denotat locum alium inadæquatum, in quo res ea habet, quæ non habet in altero.

XII. Quæcunq; autem accidentia positiva à loco absoluta non possunt naturaliter vel supernaturaliter convenire rei eidem in uno loco constitutæ, sive propter subjecti incapacitatem, sive propter ipsorum accidentiũ naturalem incõpossibilitatem, illorum quoquè combinatio simili lege repugnat in corpore replicato. Neq; enim per diversas illas ubicationes tollitur ista accidentium contrarietas, neqùe augetur virtus passiva aut activa rei. Hinc Petrus ne quidem divinitus poterit in uno loco assentiri, in altero dissentiri eidem objecto propter idem motivum, (etsi queat in uno assentiri, in altero non assentiri) in uno odisse Deum, in altero amare Deum, nec poterit in uno loco esse summè calidus, in altero summè frigidus, ideoquè si illi in uno ignis

ignis, in altero applicaretur nix, nix quidem non ageret in ignem vel contra, utpote quæ igni præsens non est, quia tamen agerent in idem subjectum, ita attemperabitur & debilitabitur utriusq; activitas, ac si simul eidem in uno loco applicarentur. Poterit tamen in uno sedere, in altero ambulare (non tamen sibi procedere obviàm, utpote quod dicit distinctionem) hi enim effectus & motus contrarii, quia à loco absoluti non sunt, competere possunt rei uni existenti in pluribus locis.

XIII. Acquirit quoq; corpus replicatum, quia vi plurium ubicationum pluribus locis, adeoq; pluribus passis vel agentibus approximatur, quandam quasi potentiam tam activam, quàm passivam extrinsecam majorem respectu effectuum localium, quàm habeat existens in uno loco; sic Petrus poterit plura videre, ignis replicatus plura calefacere, quæ eadem videret Petrus, calefaceret ignis, si existens in uno loco haberet sibi eadem eodem modo præsentia. Non acquirit tamen potẽtiam majorem intrinsecam quò ad effectus à loco absolutos; cùm potẽtia rei activa & passiva tota præsupponatur ad

ubicationem. Hinc si quis uno loco totis viribus disputaret, alibi ad alia gerenda negotia esset ineptus. Hinc materia prima (si id in uno loco non potest) in pluribus existens locis, nõ sit capax sustentare plures formas substantiales &c.

XIV. Jam verò accidente replicato rei replicatæ pereunte in uno loco, perit quoque idem in alio loco, cùm enim desitio sit negatio existentiæ, ut hæc dicatur esse absolutè, existentia debet nullibi esse. Hinc si abscinderetur Petro hìc Coloniæ brachium, sive corrumperetur unio inter ejus brachium & reliquum corpus, periret ea quoque Romæ. Aliud tamen est, accidens corrumpi in uno loco; aliud, unam ejus ubicationem destrui. An autem, si ubicatio unionis inter corpus & animam destrueretur in uno loco, homo dici deberet in isto loco mortuus; quæstio est de nomine, meliùs non esset dicendus mortuus, cùm negatio hujus unionis absolutè non sit in rerum natura.

XV. Ne quidem divinitus potest res existere absq; omni ubicatione, sive extra omne spatium reale & imaginarium; implicat enim crea-

creatura, cui non sit intimè præsens Deus, adeoq; quæ non sit intimè præsens Deo, sed huic non potest esse ubiq; præsens, ergo alicubi. Similiter hominis existentis & nullibi existentis anima erit unita corpori, adeoqùe illi intimè præsens, & consequenter ibi, ubi est corpus. Ad hæc, talis creatura erit, & non erit, quia ejus negatio erit ubiqùe: Non poterit itaq; Deus destruere omnem, etiam indeterminatam Petri ubicationem, aut impedire omnem actionem omnis indeterminatè ubicationis productivam pro eo instante, quo Petrus ubicatione prior est naturâ. Petro relicto in rerum natura, sicut nec ejus cõservationẽ omnem, quæ similiter est modus solùm accidentalis, potest destruere. Neqùe tamen hinc sequitur, hoc accidens fore de intrinseco conceptu, vel de essentia Petri; plura enim sunt, sine quibus res esse non potest V.G. res esse non potest, quin sit alba, vel non alba, & tamen neqùe albedo, neqùe ejus negatio est de essentia rei, similiter sunt multa, quibus sublatis, res consecutivè perit, & tamen non sunt de conceptu rei essentiali. Præterea illa, sine quibus determinatè res esse potest, sicut esse potest & sine

hac, & sine ista, sive sine omni determinatè accepta ubicatione, non sunt de essentia rei.

XVI. VACUUM est *locus carens corpore*; id est, locus realis, actualis, extrinsecus, seu superficies actualis corporis continentis, saltem aptitudine: adeoq; non est ipsum inane intra locum extrinsecum quasi contentum, sed præter hoc in obliquo importatum, est ipsa superficies corporis ambientis illud inane. Quale quid non est spatium imaginarium, utpote quod actu est purum nihil, & datur suo modo, etsi nulla reali circumscribatur superficie. Vacuum Deus facere potest, si V. G. relictâ solâ concavâ cæli superficie annihilaret omnia intra illam contenta; in quo vacuo naturaliter fieri posset motus, tam alterationis (modò passum sit agenti contiguum) quàm localis V. G. brachium extentum huc illucqùe gyrari. Naturaliter tamen, saltem ab agentibus sublunaribus, effici nequit; hic enim contiguitatis amor ab auctore naturæ ad servandum imperturbatum universi ordinem videtur inditus corporibus naturalibus, quæ mundum veluti corpus quoddam componunt, ut tantopere hor-

horreant vacuum, quod esset veluti huic corpori inflictum vulnus, ut ad hoc evitandum etiam contra nativam gravitatem ascendant aut contra levitatem descendant. Unde etiam hi motus, qui rei spectatæ, quatenus est hæc privata res, sunt violenti, dici possent non esse eidem spectatæ, ut est pars universi, inditumque sibi habet hunc contiguitatis amorem, violenti; causati item à vi quadam attractiva & quasi magnetica aliorum corporum, quâ unumquodque corpus ad servandam universi unitatem attrahit aliud. Verùm naturalis vacui impossibilitas potiùs experientiâ, quàm ratione solida probatur. Nihilominùs videtur saltem Angelus per se posse efficere vacuum; quidni enim ille posset omnem aërem ex fistula extrahere, & ex altera parte simul impedire, ne novus ingrediatur? quamvis ex suppositione decreti divini de non concurrendo ad similes universi turbationes, id non posset.

* * *
* *

DISSERTATIO XVI.

De Duratione & Tempore.

I. DURATIO seu perseverãtia rei in existendo & continuatio essendi (adeoqùe in rigore sumpta, supponens primum esse seu instans rei, quo incipit esse, & inchoativè durat) non est ipsa rei entitas & tempus extrinsecum, cui illa coëxistit; sed forma iis superaddita, defigẽs rem in hoc vel illo tempore extrinseco, reali vel imaginario; potest enim existere entitas Petri & hodierna dies, & tamen non existere duratio Petri hodierna, seu Petrus durare hodie. Dumq; Petrus à Deo petit durare cras, non petit suam existentiam, neq; existentiam diei crastinæ; similiter dum Deus vult vel videt, Petrum coëxistere crastinæ diei, vult utiq; aliquid distinctum ab existentia Petri & existentiâ crastinæ diei: ideoqùe eo ipso, quod existat Petrus, & existat dies hodierna, non coëxistit Petrus diei hodiernæ, nisi τὸ *existat* accipiatur cum statu verbi, consignificando tempus præsens, quo profertur propositio hæc; verùm tunc involvit

volvit ista coëxistentia quid superadditum, & poni nequit ista existentiarum simultas absq; superaddita iis duratione. Hinc tamen non sequitur, etiam rem durantem coëxistere suæ durationi, aut unam durationem alteri per aliquod tertium iis superadditum, cùm duratio, utpote determinatio rei ad certũ tempus, sit ipsa certo tempori affixa, hinc licet à Petro sit distincta ejus duratio crastina, non potest tamen Deus eam producere hodie. Qualiter, quia etiam Deus indifferens non est ad coëxistendum huic aut illi tempori, sed necessariò omni tempori præsens est, durat quoq; per suam entitatem; licetq; hodie non duret cras, sive non coëxistat diei crastinæ, quæ hodie nondum est, habet tamen hodie totum id, à quo determinatur ad existendum cras & semper. Et qualiter è contra quia V. G. turris per suam entitatem præcisè intrinsecè immutatam non correspondet præterlabenti tempori, sicut in medio fluminis locata per ubicationem permanentem sibi superadditam immutatam, utpote correspondentem eódem spatio imaginario, sufficienter correspondet partibus præterlabentis aquæ, & determinata est, ad fundandam vel

terminandam relationem distantiæ vel judistantiæ inter se & partes aquæ, acquirere ubicationes magis vel minùs distantes; coëxistit fluenti tempori non nisi per durationem sibi superadditam fluentem. E contra ex dictis sequitur quidem, relationem prædicamentalem, ad quam requiritur extremorum coëxistentia actualis, esse quid distinctum à fundamento termino & ratione fundandi secundùm se spectatis; verùm ubi hæc quæstio tractatur, tantùm in controversia est, num sit quid ab his tribus sibi coëxistentibus, seu simul durantibus distinctum.

II. Verisimilius est, durationem non distingui à conservatione rei; utriusque enim idem est conceptus & effectus formalis, nimirum esse permanentiam *ut quo* rei in esse (ipsa enim res est permanentia *ut quod*, sive id, quod permanet in esse) tollere indifferentiam rei, & determinare illam ad permanendum in esse pro hoc vel illo tempore: Adeoque hoc ipso res determinata est ad durandum hoc tempore, quòd conservetur hac numero conservatione. Hinc prius non est, rem esse aut produci, quàm

quàm rem esse aut conservari (intellige conservatione inchoativa) in hoc tempore; nisi prioritate aliqua logica, quatenus bene dico : res est in hoc tempore , ergo est , non vice versa , res est , ergo est in hoc tempore. Hinc quoqùe motus, qui cum sua duratione identificatur, idem nequit esse tardior & velocior ; velocitas enim & tardior tas non sunt accidentia physica motus in particulari, sed logica motus in communi, sicut rationale est accidens logicum respectu animalis in communi.

III. Duratio rerum creatarum, tam permanentium, quàm successivarum est fluens, seu habens partes post partes. Si enim duratio Petri , quâ hic durat 50. annis , est tota simul hodie , ergo Petrus hodie durat, seu coëxistit 50. annis ; hæc enim est denominatio & effectus formalis hujus formæ seu durationis ; & consequenter si Petrus habeat hodie simul rationem formalem durandi 50. annis , intra 50. annos à Deo erit inannihilabilis ab intrinseco , quod perfectissimo Dei in creaturas suas Dominio repugnat. Implicat itaq; rem , quæ non durat essentialiter , sine

mutatione intrinseca, sive per durationem permanentem coëxistere diversis temporibus. Cui non obstat, rem per eandem ubicationem permanentem coëxistere prætelabenti aquæ, quia talis res semper perseverat in eodem spatio, non autem in eodem tempore reali vel imaginario. Neque quod Angelus per ubicationem indivisibilem coëxistat spatio divisibili; hoc enim non repugnat Dei in creaturas dominio sicut alterum, & sufficienter adhuc determinatur Angelus hac ratione ad existendum in eodem spatio.

IV. Duratio rerum permanentium, prout abstrahit à creata & increata, alia est æternitas, seu duratio increata Dei, quam bene definit Boëtius, quod sit *interminabilis* (intellige ab intrinseco) *vitæ, tota simul & perfecta possessio*: adeoque non mensurabilis à differentiis nostri temporis; nō enim, ut Plato inquit: *erat & erit, quæ sunt segmenta nati temporis, rectè æternæ substantiæ assignamus*: sed est veluti unum nunc stans & instans perpetuum juxta illud, quod ipse inquit in Exodo: *ego sum, qui sum*: cui fixo & immobili coëxistant omnia nostrorum temporum

sæcula

sæcula præterlabentia, ideoqùe virtualiter divisibile, & consequenter tale, ut in eo verificari possint contradictoriæ. Alia dicitur ævum, & est duratio rei creatæ permanentis, ex natura sua indefectibilis, potentis tamen absolutè à Deo destrui. Alia modus ævi, & est duratio rei permanentis naturâ suâ defectibilis. Alia instans angelicum, & est mora vel duratio unius operationis angelicæ, vel plurium compossibilium & subordinatarum, quo ad terminum permanentium quidem, ex natura tamen sua defectibilium; cui tunc censetur succedere aliud instans angelicum, quando inchoatur operatio alia, vel cum priori incompossibilis, vel illi non subordinata.

V. Tempvs juxta Arist. est *numerus & mensura motus secundùm prius & posterius*: id est, est duratio motus, seu potiùs numerus & multitudo partium durationis motus, quatenus apta est mensurare rerum aliarum, tam permanentium, quàm successivarum durationes. Unde licet cujuscunqùe creaturæ duratio, utpote quid successivum, & quod respectu aliarum rerum habere potest rationem mensuræ, dici possit quodammodò

tempus; sola tamen duratio motus rei fluentis (qualis sunt productiones continuatæ ubicationum aliarum & aliarum post alias & alias) utpote cujus partes fluentes magìs notantur & numerari possunt, magìs propriè dicitur tempus. Et quidem propriissimè sola duratio motus cæleſtis; huic enim conditiones ad optimam mensuram requisitæ conveniunt, cùm sit omnium notissima, omnibus communis, invariabilis & constans, à Deo ad hoc ordinata juxta illud Gen. *fecit luminaria, ut essent in signa & tempora, dies & annos &c.* Unde licet hujus solaris circumvolutionis & motuum cæleſtium duratio respectu ipsiusmet motus per partes sibi succedentes continuati sit tempus illius intrinsecum, sitqùe ipsa in tempore alio imaginario, aut etiam mensurari possit juxta motum rerum aliarum, adeoqùe sit in tempore reali particulari alio, non sequitur, illam non esse tempus reale universale aliarum durationum. Arist. verò contrarium docere visus, dum inquit, constare tempus non esse motum, sic est intelligendus, quòd motus, quatenus est motus seu actus entis in

poten-

potentia &c. non sit tempus. Et ex his quoque patet, tempus non esse ens rationis; quamvis enim ab intellectu motus cælestis constituatur in ratione mensuræ actu mensurantis, non tamen constituitur in ratione mensuræ aptitudinalis, sicut ab eo non constituitur in ratione durationis successivæ rei successivæ. Et hoc vult Arist. docens impossibile fore tempus, si anima esset impossibilis. Neque huic realitati temporis obstat, quòd nulla determinata pars temporis sit præsens præsentiâ permanente; sufficit enim partes illius aliquando præsentes esse, fuisse vel fore præsentiâ fluente, fuisseque aliquando in facto esse fluente, continuariqùe inter se unionibus fluentibus in infinitum, utì & ipsæ partes, divisibilibus.

VI. Tempus imaginarium est duratio possibilis alicujus motus, quem imaginamur nobis veluti actu extendi in infinitum, seu continuari semper, & æquabili fluxu & ordine partium suarum defluere in, vel potiùs juxta æternitatem divinam. Atque hinc rem esse in tempore imaginario, est rem habere actu durationem intrinsecam correspondentem illi durationi, quam

talis

talis motus habet inesse possibili. Qualem durationem, cùm Deus de facto habeat, habueritque semper, bene dicetur esse & fuisse in tempore imaginario.

VII. Res omnes tam permanentes, quàm successivæ, tam corporeæ, quàm spirituales, propriè incipiunt intrinsecè seu per primum sui esse (quæ inceptio per primum esse sic explicatur: nunc res est, quæ immediatè ante non erat) & non extrinsecè sive per ultimum sui non esse (quæ inceptio sic explicatur: res, quæ nunc non est, immediatè post erit) res enim dici debet incipere, quando verè est, & quando ex futura fit præsens, sed pro isto instante extrinseco necdum verè est, & non magis in illo instante existere incipit, quàm ante centum annos; è contra desinunt res omnes, non intrinsecè seu per ultimum sui esse (quæ desitio ita explicatur: res, quæ nunc est, immediatè post non erit) sed extrinsecè seu per primum sui non esse (quod sic explicatur: res, quæ immediatè ante fuit, nunc primò non est) per primum enim non esse ex præsenti fit præterita, & verè non est. Sic dicitur primum esse formæ esse primum non esse privationis. Et si res permanentes

inci-

inciperent per primum sui esse, & desinerent per ultimum sui esse, jam forma vetus erit simul cum forma de novo inducta. Illud hìc observandum : dum dicuntur res incipere & desinere in instante, per τὸ *instans* non intelligi aliquod indivisibile temporis (qualia indivisibilia negavimus dari in tempore) sed ipsum divisibile tempus, cui primum esse rei incommensurabiliter correspondeat, sicut indivisibile spatio divisibili : ipsamqùe productionem substantiæ, aut qualitatis, quæ contrarium non habet, dici instantaneam, non quasi ipsa indivisibilis sit, correspondeatqùe indivisibili temporis, sed quòd terminus hujus actionis non producatur per partes, sed sit totus simul.

VIII. Nulla creatura, neqùe permanens, neq; successiva potuit esse ab æterno. Primò enim, si tẽpus aliudvè successivum fuisset ab æterno, jam fuissent infiniti anni, infinitæ cælorum circumvolutiones, in hoc infinito annorum præteritorum forent anni dispares & pares, & non forent; nullus enim erit par, cui alius non correspondeat : in summa, argumenta ferè omnia supra allata contra infinitum categorematicum, pugnant contra æter-

æternitatem rei successivæ. Quinimò ex eodem capite repugnat quoquè, rem permanentem fuisse ab æterno, cùm implicet eam fuisse ab æterno, quin ejus duratio (quæ est ens successivum) pariter fuerit ab æterno. Secundò in ente successivo datur pars incipiens, alia desinens, sed repugnat aliquid ab æterno desinere, ergo repugnat dari ens successivum ab æterno. Minor probatur: illud non desinit ab æterno, cujus desitione datur quid prius, sed omni desitione datur quid prius, nempe ipsum esse rei: ergo. Similiter quod essentialiter includit prius & posterius, uti facit ens successivum, non potest esse ab æterno, cùm enim posterius non sit tunc, quando est prius, sed sequatur post prius, si posterius non erit ab æterno, neqùe prius erit ab æterno, sed posterius non est ab æterno, cùm illud præcedat prius, ergo nec prius est ab æterno, cùm illud immediatè sequatur aliquid, quod non est ab æterno. Tertiò, quod æternitatem rei permanentis oppugnat peculiariter: SS. PP. ex æternitate Verbi probant, illud non esse creaturam; sic enim habet D. Aug. Lib. contra Petil: *creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non fuit:*

fuit : D. Athan. L. 3. contra Arianos: *propriū est creaturis, ut non sint, priusquàm fiant, & ex non entibus ad naturam entium perveniant.* Unde bene dicitur, quòd productionē creaturæ præcesserit ejus negatio, adeoquè hanc, utpote negatione sua posteriorē, non esse ab æterno. Ad hæc, lapis ab æterno creatus in aëre decem passibus à terra, non potuisset descendere in terram, nisi post tempus infinitum, aliàs sequeretur, rem æternam non præcedere temporalem nisi tempore finito. Implicat itaquè aliquid creari seu ex nihilo produci, quamvis non repugnet aliquid, quod æternitate increata æternum est, produci ab æterno, ut videre est in Verbo. Quare etsi creatura possit esse priùs & priùs, sive ante omne tempus determinabile, non tamen esse potest ante omne collectivè & indeterminatum tempus, quod est, eam esse posse ab æterno. Et licet Deus ab æterno habeat potentiam producendi creaturam, non habet tamen ab æterno potentiam producendi creaturam ab æterno; sicut ego in tenebris potens sum videre, sed non videre in tenebris. Unde tamen non sequitur, Deum post æternitatem factum potentiorem,

cùm

cùm potentiam, quâ producit aliquid in tempore, semper habuerit, etsi ab ea semper non processerit effectus, quem semper esse conjunctum causæ primæ ob rationes supra positas repugnat, qualiter eum esse cũ causa temporali secunda, non repugnat. Neque omnipotentia Dei hinc dicitur æterna, quòd illi ab æterno potuerit effectus aliquis coëxistere, sed quia ipsa ab æterno fuit, potueritq; semper priùs & priùs producere effectum.

DISSERTATIO XVII.

De Generatione & Corruptione.

I. GENERATIO substantialis absolutè & in genere spectata, est productio compositi substantialis dependenter à materia materialiter causante formam & unionem, vel solam unionem substantialem. Generatio Aristotelica, sive quæ ordinariè & viribus naturæ fit, est *mutatio* (intellige causalis) *totius in totum* (id est, unius compositi in aliud compositum substantiale, non quòd per generationem ordinariam omnes compositi præcedentis partes destruantur, sed quòd

quòd per illam ex materia remanente cum adveniente nova forma novum constituatur compositum) *nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*: id est, non remanente priori composito ; hoc enim totum est subjectum denominationis,& quod per accidentia denominatur sensibile. Talis generatio non est transubstantiatio, per quam substantia panis transit in substantiam corporis Christi, & quâ speciebus corruptis,corpus Christi desinit esse ibi,& eo desinente à Deo creatur nova materia, ex eaqùe pro eodem tẽpore educitur V.G. forma vermis; quia hæc non est transitus præexistentis & remanentis materiæ ab una forma ad aliam. Similiter talis non est mutatio accidentalis, in qua manet idem subjectum,non tantùm inhæsionis,sed & denominationis. Item ea, quâ Deus manente forma ligni unitâ materiæ, ex eâdem materia educeret formam ignis ; & quâ ex materia existente absqùe omni forma educeret formam aliquam ; nullum enim in iis corrumperetur subjectum. Illud hìc observandum, quòd generatio sic definita non satis distinguatur à creatione, etsi hæc ab Arist. dicatur ignorata; si enim crearet Deus formam

mam & unionem, adhuc esset verus transitus materiæ à non esse formæ unitæ seu à privatione formæ ad formam. Consistit hæc generatio, tam respectu hominis, quàm rerum aliarum in eductione unionis; hac enim posita, formaliter & ita resultat compositũ, ut ne quidem divinitus impediri possit, sicut Deus positis alterationibus materiam disponentibus, imò eductâ jam formâ impedire potest, ne fiat compositum.

II. Generatio propriè viventis à vivente (qualis hìc non censetur ea, quâ vivens, v.g. mus ex putri generatur à Deo) est *origo viventis à vivente, conjuncto in similitudinem naturæ*: id est, est productio seu processio (sive ea sit causalitatis, qualis est generatio viventis creati, sive nõ, qualis est generatio Verbi) procedens à vivente, quod, si immediatè per se ad productionem animæ vel unionis nõ concurrat, aut materiam, ex qua educatur anima & unio vitaliter suppeditet, eandem ad minimùm vitaliter elaboret, necesse est; qualiter adhuc plantæ semina elaborant, etsi ea dein vitaliter à se non decidant & terræ mandent: quod quia non fecit Deus, dum tulit costam Adæ, formavitqùe ex ea Evam, genitor illius

dici

dici non potest. Conjungitur verò principium generans cum termino genito per hoc, quòd vel tota substantia generantis communicetur genito, uti fit in generatione Verbi, vel pars substantiæ à generante decidatur, sitque in genito, quæ ante fuit in generante: quod quia non fecit Deus, dum Angelos creavit, hi ejus filii naturales non sunt: neque gallina excludens ova aliena, horum pullorum est mater. Procedit genitum in similitudinem naturæ, dum in natura generanti assimilatur; quæ tamen similitudo non nimis strictè sumenda est, cùm eadem natura divina Patris communicetur Verbo (quod perfectissimè filius est) idem autem sibi ipsi non possit esse simile; & mulus probabiliter differat specie à suis parentibus; ad quod tamen dicitur, similitudinem specificam in creatis per se semper intendi, etsi per accidens quandoque impediatur. Demum necesse est, ut genitum hanc habeat similitudinem vi præcisè generationis; sic enim bene explicatur, cur non etiam spiritus S. sit generatus, utpote procedens quoque à vivente conjuncto in similitudinem, imò identitatem naturæ; nimi-

nimirum quia, cùm procedat per voluntatem ut amor, vi suæ processionis non procedit in similitudinem naturæ (quæ formaliter est intellectio à se) sicut Verbum, quod, cùm procedat per intellectum ut Verbum, seu intellectio subsistens, vi suæ originis primariò & formaliter procedit in similitudinem naturæ generantis Patris.

III. CORRUPTIO substantialis formalis propriè est desitio compositi substantialis eodem subjecto remanente; seu est transitus materiæ ab esse formæ ad non esse illius. Talis erit solâ conservatione eductiva unionis deficiente. Ubi dubitant quidam, an in rigore dicenda esset corruptio, si deficeret cõservatio creativa unionis creatæ. Talis non erit, saltem in rigore, si subjectum quoq; destruatur, utì fit in transubstãtiatione Eucharistica; quanquam dicant alii panem hìc adhuc corrumpi, eò quòd maneat aliquid panis, nempe accidentia. Similiter talis non erit juxta mentem plurium, si Deus destrueret unionem vel formam, ob aliam causam, & non quia forma adveniens sic exigit. Dixi primò: corruptio formalis; corruptio enim causalis est ipsa actio, per quã forma nova unitur materiæ.

Dixi

Dixi secundò : substantialis; quod si omittatur, conveniet quoquè corruptioni accidentali.

IV. CONVERSIO seu generatio conversiva requirit sequentia. Primò duos terminos positivos, unum *à quo*, qui & conversus dicitur, alterum *ad quem*, qui dicitur etiam convertens ; & per hoc differt à mutatione in genere, ad quam satis est, quòd habeat terminum *à quo* vel *ad quem* negativum. Uterq; hic conversionis terminus est duplex: alius totalis seu denominationis, & est totum cõpositum, quod denominatur converti, seu quod desinit, & totum cõpositum, quod de novo incipit. Alius formalis, & est forma, vel quodcunq; aliud, ratione cujus incipiẽtis vel desinentis totum denominatur converti. Sic, dum ex ligno fit ignis, lignum est terminus totalis à quo, ignis totalis ad quem : formalis à quo est forma ligni, vel unio ejus cum materia ligni, formalis ad quem forma ignis, vel unio ejus : in Eucharistia, terminus totalis periens est panis cum suis accidentibus, totalis incipiens est corpus Christi cum iisdem accidentibus : formalis à quo est substantia panis, vel potiùs ejus unio cum

dictis accidentibus ; formalis ad quem est corpus Christi , vel potiùs ejus unio cum iisdem accidentibus. Et consequenter necessariò quoq; in conversione reperiuntur duo termini negativi, nempe negatio formæ incipientis , à qua transitur ad negationem formæ pereuntis. Secundò requirit aliquod commune , quod ab uno termino transit ad alterum, sive sub quo, vel in quo unus terminus formalis desinat, alter incipiat, quod in Eucharistia sunt species panis , quibus desinit substare substantia panis , & incipit substare corpus Christi. Tertiò ut ratione illius tertii communis possidendi sit aliqua lucta inter binos illos terminus , unusque pereat ideò , quia alter incipit ; si enim desitio prioris non contingat præcisè ob inceptionem sequentis , uti fit , dum intellectus à cognitione Petri transit ad cognitionem Pauli disparatam omninò & cum priori compossibilem , non est conversio , qualis est , dum intellectus ab affirmatione ejusdem transit ad ejusdem eodem modo sumpti negationem : sufficit etiam hanc repugnantiam horum terminorum esse moralem , qualis est inter monachissimum & cano-

canonicatum, quæ physicè non repugnant in eodem subjecto, sed ex lege tantùm Ecclesiastica. Quartò requirit conversio, ut terminus totalis *à quo* simpliciter desinat, *ad quem* simpliciter incipiat; similiter ut terminus à quo formalis desinat, formalis ad quem incipiat, si terminus formalis dicatur esse unio cum isto tertio communi; secus, si termini formales dicantur esse ipsæ formæ, vel aliud quid incipiens & definens: sic de facto enim, dùm homo comburitur, non perit ejus anima, sed tantùm desinit ea uniri materiæ: dumqùe resurget homo in judicium, anima de novo non producetur, sed de novo unietur materiæ. Sic quoqùe in conversione Eucharistica opus non est, ut pereat substantia panis; imò opus non est, ut recedat ex eo loco, in quo est corpus Christi, sed tantùm, ut desinat uniri accidentibus suis.

V. Mixtio, quæ hìc non accipitur pro locali confusione rerum plurium absqùe physica unione continuativa earundem inter se, aut certè manentibus singulis in sua specie, qualis est mistio hordei

cum critico, stanni cum argento, sed pro actione substantiali (intellige terminativè) quâ plura corpora diversæ speciei, per mutuam actionem & reactionem alterata usquè ad perditionē propriarum formarum, transmutantur in aliam tertiam substantiam, seu acquirunt tertiam aliquam formam; quod tertium ex hac nova forma & corporum alteratorum materia dicitur mixtum; ipsa verò, quæ deperditâ propriâ formâ incipiunt informari istâ tertiâ formâ, dicuntur miscibilia. Talis est mixtio, dum ex concursu & actione mutua terræ, pluviæ, vaporum &c. generantur ranæ. Talis non est, dum unum elementum agendo in aliud victoriosè, cōvertit illud in se v.g. ignis aêrem. Definitur ea, quòd sit *miscibilium alteratorum* (intellige per mutuam in se actionem) *unio*: id est, unitio cum forma aliqua tertia: vel quòd sit generatio substantialis ex miscibilibus loco conjunctis & per mutuam alterationem ad corruptionem dispositis. Ita mixtio consistit formaliter in eductione unionis formæ mixti cum materia miscibilium, ita tamen, ut connotet hæc actio conjunctionem localem, continuationem,

tionem, alterationem factam ab ipsis miscibilium in se invicèm actionibus in materia miscibilium; & per hanc connotationem distinguitur à simplici generatione. Vocantur nihilominùs ea etiam mixta, quæ constant temperamento primarum qualitatum (qualia non sunt, in quibus prædominatur in gradu summo una tantùm ex his qualitatibus) etsi per mixtionem propriè talem producta non sint.

VI. AUGMENTATIO substantialis, per quam substantia acquirit plures partes substantiales physica unione sibi conjungendas, sive id fiat per juxtapositionem, sive per intussusceptionem, est *motus à minore ad majorem substantiam.* Differt ab Accretione sive augmentatione accidentali, quæ est motus à minore ad majorem quantitatem. Ab opposita sibi diminutione, quę est motus (intellige analogicè, cùm ad negationem, qualis est terminus *ad quem* diminutionis, non detur actio seu motus) à majore substantia ad minorem. A generatione substantiali, quæ est productio novæ substantiæ simpliciter, quòd sit productio substātiæ solùm majoris, adeoq; jam supponat substantiā productam,

cui aliquid addit, propter cujus partis addendæ negationem substantia dicebatur minor. Neque obstat definitioni, quòd quandoq; vi caloris naturalis tantùm decedat substantiæ, quantum illi per augmentationem accedit, adeoq; hæc videatur non esse motus ad majorem substantiam; per accidens enim id fit, eò quòd diminutio conjungatur augmentationi, impediatq; propter ablationem partium, non earum, quæ per augmentationé accedunt, sed aliarum, quò minùs substantia dici possit fieri major. Aliquando res augmentatur productâ solùm nova unione continuativa partis addendæ ad partem præexistentem, V.G. dum aqua aquæ additur. Aliquando productâ præter hanc unionem cõtinuativam novâ tantùm parte unionis essentialis V.G. in nutritione hominis. Aliquando productâ insuper nova parte formæ V.G. dum ignis corripiendo materiam vicinam augmentatur. Licet autem augmentationem plures comitentur vel præcedant actiones V.G. productio novæ partis formæ (si ea materialis est) productio novæ unionis essentialis partis formæ de novo productæ cum parte materiæ aggenerandæ, productio

novæ

novæ partis unionis integralis materiæ de novo addendæ cũ materia veteri, productio novæ partis unionis integralis partis formæ de novo productæ cum forma præexistente; ipsa tamen augmentatio in earum nulla præcisè consistit, sed in sola productione unionis continuativæ inter unionem essentialem partis de novo advenientis & unionem essentialem substantiæ præexistentis; positis enim reliquis omnibus, non habetur adhuc substantia simpliciter aucta seu augmentata; cùm non habeatur materia, forma & unio essentialis auctior, quamdiu ipsa unio essentialis substantiæ præexistentis non augetur per sibi additam media unione integrali unionem essentialem partis aggenerandæ. Neqùe ante hujus unionis integralis inter has binas unionis essentialis partes productionem informari potest unio integralis inter materiam advenientem & præexistentem (quæ tamen utpote aliquid materiæ informari debet) ab unione integrali inter partem formæ advenientis & præexistentis. In eo autem nihil est absurdi, quòd partes unionis essentialis continuentur inter se superadditâ illis

unione integrali ; etsi enim sint formalis ratio uniendi partes essentiales inter se , non sunt tamen formalis ratio uniendi partes integrales inter se seu seipsas, cùm hæ partes integrales unionis essentialis ad uniendum inter se sint indifferentes.

VII. NUTRITIO species augmentationis, est *motus factus ab anima à minore ad majorem substantiam viventem ex vitali conversione alimenti.* Distinguitur in multis, & in eo potissimùm à generatione prima (etsi per eam quoq; producantur unà cum unione essentiali ejus uniones integrales non differentes specie ab unione integrali partium unionis essentialis per nutritionem productâ) quòd sit actio immanens & vitalis, generatio verò prima sit actio transiens. Est successiva & continua , sive dum fit, fit successivè sine interruptione (quæ fieret , si alimenti pars aliqua determinata aliquo tempore per alterationem disponatur, & dein in instante inducatur forma aliti , & postea iterum per aliquod tempus disponatur alia pars determinata alimenti , interruptâ interea nutritione , & tum iterum in instante inducatur forma) cùm enim potentia

tentia nutritiva, utpote agens naturale, agat uniformiter difformiter, id est, priùs & fortiùs in partes alimenti sibi viciniores meliùsque sibi applicatas, alias post alias indeterminatas alimenti continui partes alterat, ultimò disponit, ex iis formæ aliti partes, aut unionis solius educit, & ex hisce unionum essentialium partibus deniquè uniones earum continuativas. Neque his obstat, quòd in prima generatione non inducatur forma, nisi quando tota materia est disposita; prærequiritur enim ante informationem primam totalem animæ certa corporis magnitudo & organizatio, quæ in nutritione jam supponitur facta, adeoque hæc fieri potest in quantacunque exigua materiæ parte. Neque Arist. negat nutritionem hac ratione continuam, sed vult, eam non fieri continuè, id est, toto vitæ tempore. Porrò proximum alimentum viventium debet esse substantia, utpote reparativum jacturæ substantiæ; (hinc nec species Eucharisticæ nutrire possunt, nec odor, licet hic suscitet, confortet, recreet spiritus animales) eaque ex primis qualitatibus temperata (hinc pura elementa, utpote

pote propter intensas qualitates à facultate nutritiva insuperabilia, esse non possunt alimenta) & quidem attemperata alendo, sive similis cum nutriendo, & ei conveni-entis tēperamenti; unde quæ uni prosunt, alteri sunt noxia. Alimentum proximum sanguine præditorum est sanguis, qualis (etsi coagulatus) etiam videtur esse me-dulla, à qua ossa nutriuntur. Sic ipse ven-triculus potiùs sanguine, quàm chylo nu-triri censetur, quia & ad hunc exsugen-dum suas venuluas habet, & sic mater-no sanguine ipse nutritus fuit, antequam ipse chylum conficeret. Quòd verò obesi minus sanguinis habentes plus nutriantur, inde est, quòd apud illos sanguis resolvatur in vapores, qui dein ulteriùs formantur in adipem.

VIII. ALTERATIO latè sumpta est motus ad qualitatem, seu mutatio rei se-cundùm qualitatem, qualiscunquè ea sit: Accepta strictiùs est motus ad solas qua-litates habentes contrarium, (non tan-tùm directè contrarium, qualis est ni-gredo respectu albedinis, sed & medio modo, qualis est viriditas respectu albe-dinis)

dinis) sensibiles, corruptivas, id est, disponentes ad generationem & corruptionem. Consistit & illa, non in productione harum qualitatum, sed in ipsa unitione earundem cum subjecto ; hoc enim priusquàm illis unitur, non potest dici alteratum. Alteratio accepta strictiùs, per se loquendo est successiva, ob resistentiam contrarii: terminata verò ad qualitatem non habentem contrarium, est ideò solùm successiva, quia successivè partibus passi applicatur. Item ea per se loquendo est continua & sine interruptione. Arist. autem negans, alterationem esse motum continuum, dicensque eos, qui dicunt rem continuò altereri, rebus etiam perspicuis adversari ; per τὸ *continuum* intelligit *perpetuum* ; oppugnat enim eos, qui censebant, omnia perenni motu agitari, neque ullo tempore sub ulla forma quiescere.

IX. Intensio qualitatum (suppono enim nec quantitatem, cujus plures partes nequeunt esse in eadem subjecti parte, nec relationem, ratione cujus præ-

cisè aiiqua non dicuntur sibi magìs vel minùs similia , sed ratione rationis fundandi intensioris ; nec actionem , quæ non nisi ratione termini intensioris una alterâ est intensior, capacem esse propriè intensionis) dici potest , quòd sit motus à minùs tali ad magìs tale ; & opposita ei remissio, quòd sit motus (intellige analogicè) à magìs tali ad minùs tale. Non fit primò formaliter per majorem depurationem subjecti à contrario ; (etsi hæc naturaliter ei conjuncta sit in qualitatibus habentibus contrarium) intenduntur enim verè qualitates non habentes contrarium , ut lux : & gratia sanctificans in homine justo intenditur absque eo , quòd depuretur ille à peccato. Ad hæc depuratio seu expulsio contrarii V. G. frigoris est mera negatio seu desitio, & esse potest supernaturaliter absque eo , quòd intendatur qualitas opposita V. G calor: & quò magìs intenditur calor , eò magìs expellitur frigus , atqui illud totum semel expulsum non expellitur iterum ; ergo expellitur per partes : ergo sicut in remissione pars una post alteram expellitur , ita in intensione pars una post aliam producetur. Secundò

non

non fit per amissionem totius qualitatis imperfectioris, & per productionem perfectioris adæquatè à priore distinctam; cum enim gradus intensus nullam habeat contrarietatem cum gradu remisso, sed potiùs naturalem consensum, cur hic adveniente illo periret? Certè si sic fit intensio, jam etiam fiet remissio per amissionem qualitatis perfectioris & productionem novæ imperfectioris: quis ergo, dum calor aquæ ferventis in medio nivis locatæ remittitur, producit illum calorem imperfectiorem perfectiore deperdito? non aqua, cui iste calor est violentus; non nix, quæ nullius caloris vim productivam habet; non calor perfectior, qui deperditur, cùm ille primò non sit, dum calor iste imperfectior primò est; non Deus, ad cujus enim exigentiam ille hoc faceret? non frigoris, utpote quod tantùm exigit, ut subtrahatur concursus isti parti caloris, quæ conjuncta cum reliquis faciebat calorem pugnare secùm. Præterea dabitur mutua causalitas inter qualitates in se invicèm agentes, seseque mutuò debilitantes; dum enim manus calida calefacit manum frigidam, & hæc vice versa frigefacit calidam, calor manus A,

qui est causa remittens frigus in manu B, producit minus frigus priori frigore destructo, è contra frigus manus B, quod est causa remittens calorem in manu A, producit minorem in manu A, & hoc quidem pro eodem instante, sed hoc minus frigus non potest produci à calore intensiore manus B, utpote qui perit eodem instante, ergo à minore calore, qui minor calor eodem instante producitur à minore isto frigore; à majori enim frigore produci nequit, cùm & ipsum pereat pro eodem instante. Neque obstat, quòd in motu locali nova ubicatio non acquiratur, nisi perdita veteri; hoc enim fit ideo, quia mobile ubicari non potest simul in duobus locis adæquatis, vel in uno adæquato, & simul in alio inadæquato. Tertiò non fit per majorem radicationem ejusdem indivisibilis qualitatis in subjecto sine ulla novæ partis productione; malè enim dicitur hæc radicatio major consistere in eo, quòd producatur perfectior qualitatis existentia, manente eâdem ejus essentiâ, quia malè essentia ab existentia distinguitur; & cùm existere, sit rem totam positam esse extra causas, & desi-

ruisse

ruisse adæquatè statum puri nihili, quomodò poterit, quod semel positum est extra causas, magis & magis poni extra causas? adhæc vis, activa qualitatis intenditur, sed hæc secundùm adversarios non est rei existentia, sed essentia: malè item dicitur, consistere in perfectiore eductione ejusdem qualitatis è subjecto; quomodò enim qualitas, quæ utpote indivisibilis, juxta adversarios tota simul educitur, potest dein magis educi? & quomodo eductio erit perfectior, cùm neque terminus ejus, neque principium, neque passum fiat perfectius? Malè iterum dicitur, consistere illam in perfectiore unione ejusdem invariatæ qualitatis cum subjecto; vel enim producitur nova unio priore pereunte, & jam redeunt rationes allatæ contra præcedentem sententiam, vel nova pars unionis priore unione manente, sed frustra hæc additur, nisi & addatur nova pars unienda. Præterea de fide est, ut patet ex Trid. Sacramenta collata homini justo conferre novam gratiam, adeoque non tantùm perfectiorem gratiæ præexistentis unionem cum anima. Deniq; generaliter hanc opinionem oppugnat, D. Tho. teste Mauro hìc

q. 27.

q. 27. dum ait: *quòd quidam dixerunt, charitatem non augeri secundùm essentiam, sed solùm secundùm radicationem in subjecto, vel fervorem, hi vocem ignorarunt.* Fatemur nihilominùs, eundem ipsum hunc S. Doct. explicare intensionem per majorem radicationem, sed longè aliter explicandam, nimirum, quòd fiat per partes plures acquisitas, sicut arbor tunc magis radicatur, quando plures radicum partes acquirit.

X. Verùm fit intensio (qualis non est, dum motui tardo velocior, motus enim manens idem ex tardo nequit fieri velocior, dum figuræ minùs curvæ magis curva, eadem enim ex minùs curva non potest fieri magis curva, dum actui remissiori substituitur intensior; idem enim actus vitalis, saltem respectu actionis propter modum tendendi variatum non potest esse intensior & remissior) per novorum graduum seu partium intensivarum qualitatis ex eadem subjecti parte eductarum unitionem inter se & cum subjecto; Ita enim, ut habet Arist. ex calido aliquid fit magis calidum, sicut ex frigido fit calidum, sed ex frigido fit calidum per productionem novi caloris: sine quo novo calore non poterit

terit intensioni, quæ est vera actio, assignari, verus & positivus terminus. Neqùe Arist. contrarius est nobis, qui non docemus, calidum fieri magìs calidum accedente novo calido, sed accedente novo calore. Neqùe D. Thom. qui negat solùm (ut patebit legenti totum textum) se posse capere, quomodò possit intendi qualitas præexistens in una parte subjecti per additionem alterius totalis qualitatis subjectatæ in diversa parte subjecti: & alibi nihil vult aliud, quàm charitatem non posse augeri per charitatem translatam ex uno subjecto, & uniri alteri præexistenti in altero subjecto; & hæc ejus mens ex eo patet, quod addit: non posse charitatem distinctam addi charitati distinctæ, nisi mens rationalis menti addatur, id est, anima animæ, & ex eo, quod addit: *sed augetur* (intellige charitas) *intensionis gradus recipiendo*: apertè se nobis favere demonstrat. Unde licet plura accidentia totalia inter se non continuata, solo numero inter se distincta esse nequirent in eodem subjecto (quod ipsum universaliter verum non est; cur enim duæ cognitiones solo numero distinctæ, duæ species duorum objectorum solo numero

mero distinctorum esse non possent in eodem intellectu) nil tamen vetat, quò minùs duæ partes solo numero inter se distinctæ, continuatæ inter se, possint subjectari in eadem subjecti parte. Similiter licet terminus adæquatus *à quo* intensionis (qui est qualitas remissa quatenus habet negationem qualitatis intensæ, seu partis per intensionem addendæ) sit incompossibilis adæquatè cum termino adæquato *ad quem* intensionis (quia hic dicit eandem qualitatem remissam & additam illi partem, cujus ille adæquatè spectatus dicebat negationem) terminus tamen inadæquatus *à quo* incompossibilis non est cum termino *ad quem* adæquato.

XI. Gradus hi intensionis sunt homogenei seu similis omnino perfectionis solo numero inter se distincti, ita, ut gradus, qui de facto est octavus, potuerit esse primus vel secundus, & quòd sit, seu denominetur octavus, purè tantùm & extrinsecè oriatur ex eo, quòd sit posteriùs, nimirum post alios septem, inductus: non heterogenei seu diversæ rationis, ita, ut in uno intrinsecè sit aliquid, quod non est in altero, & quòd gradus

dus hic sit octavus, hoc oriatur ex intrinseca natura seu conditione hujus gradus, sitque ita illi essentiale, ut non potuerit esse primus vel secundus &c. Posito enim tali gradu heterogeneo. V.G. secundo caloris in subjecto absque primo, vel erit illud calidum ut duo, absque primo gradu, & consequenter hic erit supervacaneus : vel non, & sic gradus secundus non est essentialiter calor ut duo, aliàs fieri nequiret, quin subjectum denominaret calidum ut duo. Ulteriùs, sex candelarum in conclavi in circulum, dispositarum singulæ, ut pono, producunt unum gradum lucis in centro conclavis, adeoque singuli gradus lucis à singulis candelis producti sunt homogenei, sed hi gradus luminis simul accepti efficiunt lumen in medio conclavis intensius; ergo gradus homogenei faciunt intensionem. Hinc primò qualitas intensa est perfectior & activior, quàm qualitas remissior, sed extensa magis, seu habens plures partes extensivas, non quòd constet partibus entitativè perfectioribus, & ex intrinseca virtute activioribus, sed quia constat partibus propter modum existendi conjunctim activioribus

juxta

juxta illud: vis unita fortior: adeoque, si partes extensivæ per totum subjectum diffusæ unirentur sibi invicèm in eadem parte subjecti, fierent ad operandum potentiores. Ex qua tamen partium extensivarum & intensivarum entitativa homogeneitate non sequitur, calidum ut unum trium palmorùm, potens reddere subjectum trium palmorum calidum ut unum, redditurum subjectum unius palmi calidũ ut tria, adeoque dissimilaturum sibi passum: nam ideo tantùm producit in singulis palmis subjecti trium palmorum calorem ut unum, quia singuli calefacientis palmi singulis passi palmis per approximationem correspondent, qualiter singuli non respondent & approximantur isti uni palmo subjecti unius palmi. Hinc secundò gradus octavus caloris secundùm se & seorsim sumptus non magìs opponitur gradui primò vel cuicunque alteri contrariæ qualitatis seorsim accepto, quàm gradus septimus vel quiscunque alius seorsim acceptus, sed tantùm acceptus collectivè cum reliquis septem opponitur primo, sicut & septimus acceptus collectivè cum reliquis sex opponitur secundo collectivè accepto cum primo

mo &c. Dum autem introducto uno gradu frigoris (qui indeterminatè solùm exigit expulsionem unius gradus caloris) expellendus est unus gradus caloris , determinabit Deus, num primus, num secundus, aut quis ex aliis sit expellendus: vel dic ; extremos utrimqùe gradus primò expelli, id est, primum & octavum, si duo expellendi sunt, vel mediam partẽ primi & mediã partẽ octavi, si unus est expellendus, idqùe ideo, quia natura procedit facillimâ viâ, faciliùs autem est postremos gradus destruere, quàm medios propter unionem , quam habent utrimqùe ad alios, fortiùs resistentes. Hinc tertiò calidum ut unum habet vires ad producendum entitatem, quæ est gradus septimus vel octavus, in subjecto, quod nullum habet gradum caloris, non habet tamen vires producendi illam gradus septimi entitatem in subjecto habente gradum unum caloris , quia non potest sibi dissimilare passum. Neqùe his obstat , quòd partes homogeneæ quantitatis unitæ eidem subjecti parti non reddant id magìs quantum ; præterquam enim, quòd neqùe id facerent partes heterogeneæ quantitatis, quantitas non suscipit *magìs & minùs.*

minùs, redderetqùe hæc duplex quantitas illud subjectum, quasi duplici titulo exigens extendi impenetrabiliter.

XII. In alteratione strictè tali, alia datur resistentia activa, & est ipsa vis activa qualitatis, quâ agit in contrarium, illudqùe debilitat. V. G. calor producendo in agente contrario, nempe frigido, calorem, perqùe eum minuendo frigus, adeoqùe activitatem ejus: alia formalis, & est eadem qualitas, quatenus per unionem sui cum subjecto impedit unionem contrarii cum eodem subjecto. Resistit quandoqùe qualitas formaliter tantùm, v. g. dum aqua ideo se reducit ad frigus paulatim, quia calor, non quidem producendo aliquid in aqua, sed per suam entitatem & unionem exigendo, ne frigus inducatur, illud impedit; sæpè autem resistit & resistentiâ formali, & activâ. Potentior autem est activitas agentis, quàm resistentia activa reagentis seu passi, cùm hoc pauciores gradus expellat ex agente, quàm illud inducat in passum; & quia major est agentis activitas, etiam magìs exigit productam à se qualitatem unire subjecto, quàm reperta in eodem subjecto qualitas contraria

exigit

exigit productam ab agente contrario qualitatem contrariam, non uniri subjecto; & nisi sic fiat, non fiet unquam alteratio. Resistentia tamen formalis, quâ agens resistit reagenti, minor est resistentiâ activâ seu activitate suâ, sive fortiùs agit in passum, quàm eidem reagenti resistat formaliter. Cujus hæc videtur esse ratio, quòd qualitas existens in gradu intenso, etsi sit magìs activa, minùs tamen ipsa exigat, sibi uniri gradus intensos, quàm remissos, cum per ademptionem intensorum graduum non sit ita vicina corruptioni, quàm per ademptionem remissorum, quòdque subjectum (si qualitas debilior sit ejus proprietas) fortiùs conservet eam, quò magìs ea appropinquat corruptioni, etsi de cætero in aliis circumstantiis subjectum uniformiter conservet sua accidentia.

XIII. Datur quoquè sæpe in alteratione reactio & repassio, id est, mutua actio & passio agentis in passum, & passi in agens, etiam secundùm eandem contrarietatem & partem passi. Ubi id observandum, illud hìc dici simpliciter agens, quod agit cum victoria, illud verò passum, quod vin-

vincitur; quod quoqùe dicitur reagens, & actio illius, quatenus ab ipso procedit, reactio, quantenus in agente victorioso recipitur, repassio; sicut actio agentis victoriosè, quatenus ab ipso procedit, simpliciter dicitur actio, quatenus recipitur in victo, simpliciter dicitur passio. Ratio assorti est, quòd ubicunqùe sunt duo agentia naturalia, quorum utrumqùe capax est formæ & effectus ab altero producendi, debitè sibi applicatæ, in se mutuò agant: & quòd ex eo, quòd ex illis unum in activitate sit imbecillius, non sequatur, illud tantum pati, sed tantùm, illud non agere cum victoria. Ubi tamen observandum est primò: ferrum candens, dum calefacit aquam, à qua repatitur, non secundùm omnes partes caloris, sed secundùm eas tantùm influere in calefactionem, secundùm quas non corrumpitur à passo reagente; partes enim quæ à reagente frigore corrumpuntur, eodem instante primò non sunt, dici nihilominùs adhuc totus calor agere, non quidem in sensu composito, sed diviso, id est, non manens totus. Secundò: nunquam agens propter hanc passi reactionem posse sibi omnimodè assimilare passum (ne-

(neqùe enim agens univocum, ſemper omnimodam, ſed tantam, quanta illi à contrario conceditur, intendit ſimilitudinem) quanquam & cauſare poterit hanc omnimodam cum paſſo ſimilitudinem, ſecundùm gradus, ſecundùm quos agit, & qui poſt actionem remanent v.g. calidum ut quatuor per reactionem frigoris amittens v. g. unum gradum caloris, poterit paſſum reddere calidum ut tria, quale remanet ipſum poſt hanc actionem. Tertiò idem ſecundùm eandem qualitatem adæquatam non vincere, & vinci, ſed ſecundùm unam partem, quæ per reactionem corrumpitur, vinci, ſecundùm alias remanentes vincere; illud autem ſimpliciter dici vinci, cujus plures expelluntur partes. Quartò; dum primus palmus ignis tripalmaris admotus glaciei, ab ea frigefit, eundum palmum à ſecundo tertioqùe palmo ignis ſibi unito non calefieri, adeoqùe non moveri motibus contrariis; etſi enim palmus ſecundus ſeu pars non paſſa repaſſi de ſe ſit caloris productiva, etiam primo palmo ſufficienter applicata, non agit tamen in illum ſeu in hanc partem paſſam, (niſi fortè gradus reliquos caloris in eo conſervando) quia impeditur,

tum per resistentiam formalem & activam gradus contrarii jam inducti, tum per resistentiam agentis contrarii activam gradum inductum conservantis. Quintò: dum ignis & glacies agunt in se invicèm, si sint ejusdem activitatis, in aëre intermedio calido & frigido ut quatuor, nullam ab iis novam qualitatē producendam esse, sed ignem ejus calorē, glaciem ejus frigus conservaturam; igne verò prævalente, inducenteqùe in glaciem gradum quintum, glacies solùm conservabit in aëre medio tres vel duos reliquos gradus frigoris.

XIV. RAREFACTIO & CONDENSATIO primò non sunt motus ad majorem vel minorem quantitatem; hæc enim utpote materiæ coæva est ingenerabilis & incorruptibilis; manet ejus causa conservativa materialis & efficiens, nempe materia prima, nullumqùe habet contrarium exigens ejus destructionem. Ad hæc, ista nova quantitas aut quantitatis pars debebit educi, vel è materia, totâ, vel ex ejus parte, quæ absqùe dubio jam ante suam habuit quantitatem, adeoqùe jam accipit duas quantitates penetrantes se in eadem subjecti parte, vel si adveniente hac nova

va quantitate aut ejus parte, vetus desinit, jam sine modo & fine multiplicantur & pereunt entia, cùm singulis propè momentis aër aliquantùm incalescendo vel frigescendo rarefiat vel condensetur. Nec secundò bene explicatur rarefactio, quòd per eam intra poros aliasque vacuitates relaxatas, & partes discontinuatas corporum intromittantur atomi, vapores, aëris partes, aliave peregrina corpuscula, sicut in spongiam aër & aqua intromittuntur, quæ dein per condensationem iterum expellantur. Arist. enim inquit 4. phys. tex. 84. *est corporis magni & parvi* (intellige, ob densitatem parvi, ob raritatem magni; hac enim de re l. c. tractat Arist.) *materia eadem, manifestum est autem, cùm ex aqua factus est aër, eadem materia* (quæ sub forma aquæ parvum occupabat, nunc verò sub forma aëris magnum occupat spatium) *non accipiens insuper aliquid aliud* (intellige, non intromittens intra poros suos aliam corpusculorum materiam) *facta est*, intellige, aër occupans majus spatium. Et manifestiùs paulò post: *magnitudo & parvitas sensibilis molis, non insuper accipiente aliquid materiâ, extenditur,*

sed quia potentiâ est materia utriusque; quam est idem densum & rarum, & una ipsorum materia est &c. Et quomodò jam rarum, ut docet Arist. sub magnis dimensionibus habebit parum materiæ, si fiat tale per accessionem multæ materiæ istorum corpusculorum? quomodò densum sub parvis dimensionibus habebit multum materiæ, si per exclusionem materiæ istorum corpusculorum fiat tale? Ad hæc, dum pulvis nitratus in tormento accensus tam immensùm rarefit, quâ viâ, tam celeriter, tanta corpusculorum copia, tanta vi, tam grandes globos evibrans, ingreditur? Certè dum in vitreo thermometro aër rarefit, nec minimus porus aëri, aut alteri corpusculo ingredienti patet, vel si vel minimus patet, aqua nunquam ascendet, relictâ à cõdensato rursus aëre spatium occupatura. In cucurbitis scarificatoriis, nunquam assurget caro repletura spatium desertum ab aëre priùs rarefacto, nunc condensato, si rarefactio hæc facta fuisset per ingressum aëris aliorumve corporum; hæc enim ipsa expulsa per condensationem hoc spatium occuparent; Quibus non negamus, sæpe cum rarefactione corporum aliorum intromissionem con-

conjunctam esse, sic lac fervescens in multas bullas aëre plenas assurgit, & aliquæ etiam ejus partes in tenuissimos vapores mutantur, sed negamus, rarefactionem in iis consistere, cùm partes omnes rarefiant, neqùe tamen bullæ inter omnes interponantur.

XV. Sed sunt rarefactio & condensatio Alterationis species, terminatæ ad radicalem raritatem & densitatem, quæ teste Arist. 7. phys tex. 11. sunt qualitates, exigentes & determinantes materiam & quantitatem (quæ secundùm se solùm exigit talem extensionem, vi cujus habeat partes extra partes) ad majus vel minus spatium occupandum, quæ actualis extensio major vel minor quà talis est raritas, vel densitas actualis, proprietas & effectus secundarius raritatis & densitatis radicalis, quamvis ut præcisè extensio est, vi cujus partes materiæ & quantitatis non penetrantur, effectus secundarius sit quantitatis. Et sic bene explicatur, quomodò eadem materia & quantitas. V. G. palmus, qui per condensationem corresponder palmo spatii absqùe partium penetratione, dein rarefactus, correspondeat tribus palmis spatii absqùe existentia rei in pluribus locis; dum

enim ratio loci adæquati mutatur ad mutationem raritatis & densitatis, ita ut locus, qui quantitati existenti sub densitate erat adæquatus, sit eidem rarefactæ inadæquatus, omnesque partes materiæ & quantitatis mutant locum (nulla enim assignari potest, quæ adæquatè retineat priorem locum, etsi aliquæ inadæquatè eundem retineant v. g. partes aquæ fundo lebetis contiguæ) vitatur posterius, nimirum existentia ejusdem rei in duobus locis. Dumque per condensationem pars una quantitatis non recurrit ad locum alterius manentis in eodem loco (quod ad penetrationem requiritur) sed omnes partes mutent locum, occupentque minorem, vitatur prius, nimirum penetratio plurium partium. Bene item explicatur, qua ratione partes omnes in rarefactione magis à se distent, quàm ante, absque eo, quòd discontinuentur per interpositionem aliorum corpusculorum aut vacuitatum, dum dicitur, quòd omnes partes, quæ mediatè tantùm, sive mediantibus aliis partibus sibi jungebantur, per rarefactionem à se invicèm incipiant magis distare, quia hæ mediæ partes, ob quas antea mi-

minus ſpatium occupantes, minùs diſtabant inter ſe partes mediatè conjunctæ, per rarefactionem majus ſpatium occupant: & quòd partes, quæ ante rarefactionem immediatè ſe contingebant, erantqùe à ſe invicèm indiſtantes, poſt rarefactionem à ſe invicèm non recedant, niſi inadæquatè, utpote quæ in infinitum ſunt diviſibiles, quales quoq; ſunt earum uniones, adeoq; ſemper magìs magìſq; inadæquatiùs & inadæquatiùs à ſe recedere poſſunt abſqùe eo, quòd adæquatè divellantur. Illud hìc obſervandum, quòd etſi raritas & denſitas dici poſſint qualitates patibiles, non eſſe tamen propriè invicèm contrarias, ſed habere ſe in eodem ſubjecto, ad modum qualitatis magìs & minùs intenſæ, ita ut, dum hæc qualitas remiſſa eſt, ſit denſitas, dum intenſa eſt, dicatur raritas.

* * *
* *

ANIMASTICA.

Postrema hæc Physices pars est, ubi evagata hucusque, ac veluti in exterioribus peregrinata mens humana, tandem se domum recipiens; sui suarumque perfectionum contemplatione se oblectat, suumque in se artificium agnoscens, admiratur, ut inquit quidam, & rursus occupatur. Inscriptionem à directo proximoque objecto mutuatur; etsi de cætero ejusdem objectum ultimatum sit corpus naturale animatum, seu vitaliter mobile: attributionis, corpus animâ rationali animatum. Sicque exposcebat ordo, ut postquã de corpore naturali in genere, deinde corpore mixto seu generabili & corruptibili egissemus, ad inferiorẽ corporis naturalis speciem, corpus, inquam, animatum descenderemus. Hujus itaq; animæ essentiam, vitam potentias, functiones nunc lubet speculari.

DISSERTATIO PRIMA

De Anima ejusque vita.

I. ANIMA est *actus primus* (intellige informativus, substantialis, totalis per-

perfectè actuans materiam, prima radix & principium operationum, adeoque primus dignitate & ordine intentionis) *corporis organici* (id est, materiæ informatæ formis partialibus) *potentiâ vitam habentis*: id est, ita dispositi, ut sit in potentia proxima, quantum est de se propter organizationem, ad exercendam simul cum anima vitam in actu secundo: quæ tamen ultimæ particulæ, non tam necessitatis, quàm majoris explicationis gratiâ adjiciuntur definitioni. Aliter definitur, quòd sit *id* (intellige principium intrinsecum ad excludendam causam efficientem extrinsecam, quæ non est simul causa materialis sui effectus) *quo primò vivimus movemur, sentimus & intelligimus*: ad excludendum compositum, quod est principium *ut quod* operationum vitalium, & operationes vitales ipsas, quibus non primò, sed secundò, seu in actu secundo & formaliter vivimus. Accipiendæ autem non sunt tres ultimæ particulæ copulativè, quasi omnes & singulæ animæ tribuant viventi omnes illas operationes (aliàs soli animæ rationali conveniret definitio) sed disjunctivè, ita ut sensus sit: anima est principium, quo

vel tantùm vegetamur, vel quo vegetamur & sentimus, vel quo vegetamur & sentimus & intelligimus. Est utraqùe definitio physicè quidem essentialis; non minùs enim de essentia animæ est, esse principium radicale operandi vitaliter, quàm esse aptitudinem informandi corpus & exigentiã organizationis, quia tamen posterior fit in ordine ad operationes seu vim operativam, quæ veluti proprietas fluit ab essentia, non est conceptus primus metaphysicus. Breviter definitur anima, quòd sit *forma substantialis totalis compositi viventis.*

II. Dividitur anima univocè, & adæquatè in vegetativam tantùm, in vegetativam & sensitivam tantùm, in vegetativam sensitivâ & rationalem simul; singulæ enim hæ animarum species sunt actus primus &c. & nullum est animæ individum, quod non sub aliqua harum specierũ contineatur; cùm enim tres sint solùm diversi modi universales operandi, quibus forma vivens elevatur supra nõ viventem, nempe operandi vitaliter absqùe cognitione, ut plantarum, cum cognitione imperfecta & materiali, ut brutorum, cum perfecta & spirituali, ut hominum, tot solùm sunt

sunt principiorum intrinsecorū genera. Quare Arist. assignans quatuor animatorum genera, loquitur magis ex mente vulgi, subdividentis sensitivum in locomotivum imperfectè, qualia sunt conchylia moventia se solùm motu contractionis & dilatationis, adeoque potentia mutare solùm locum inadæquatū, & in progressivum; de cætero potentia locomotiva subservit animæ sensitivæ operanti cum cognitione. Est divisio generis partim in species subalternas (cùm diversæ dentur & plantarum & brutorū species) partim in infimas. In eâ membra dividentia se mutuò non includunt; anima enim sensitiva vegetativam tantùm, sive animam ut per propriam differentiam contractam ad plantam non includit; sive formaliter non est anima vegetativa excludens sensationes; sed est eminenter vegetativa, imò formaliter, si τὸ *vegetativa* accipiatur genericè. Unde tamen anima rationalis non erit corporea, corruptibilis, divisibilis &c. omne enim vegetativum *ut quod* sive completum, & omne vegetativum tantùm *ut quo* est materiale, corruptibile &c.

III. In eodem vivente non dantur simul plures animæ, cùm operationes tam diversæ

sufficienter possint procedere ab una. Et non potest anima concupiscibilis appetere quidquam, nisi ipsa sit cognoscitiva, non irasci & pugnare contra occurrentia mala, nisi concupiscat, ergo eadem est concupiscibilis, irascibilis & cognoscitiva, & non triplex, una residens in cerebro, altera in corde, tertia in hepate. Item potest eadem anima inclinari ad malum sive ad bonum jucundum, sed inhonestum per dictamina proponentia electioné hujus boni, quæ ideo dicuntur dictamina partis inferioris, nõ quia sunt duæ animæ, aut duæ partes animę rationalis, à quibus procedant; sed quia inclinãt ad voluptates sẽsuales: & simul in bonum honestũ, ita tamen, ut una inclinatio sit efficax, & sic experitur anima harum duarũ inclinationum pugnã inter se, non verò pugnant duæ animæ inter se. Neq; successivè, ita ut fætus humanus primò informetur animâ vegetativâ tantùm, vivatq; solâ vitâ plantæ, donec perfectiùs organizetur, & tum expulsâ animâ vegetativâ tantùm, succedat anima vegetativa & sensitiva simul, vivatque vitâ bruti &c. Nam eædẽ dispositiones, quæ serviunt ad inducendam in materiã embryonis animam vegetativam, serviunt quo-

quoque ad inducendam animam rationalē, etsi quæ serviunt ad exercendas vegetationes ab hac anima, non sufficiant statim ad exercēdas sensationes, multò minùs ad ratiocinationes: quare ab eadem anima rationali jam inductâ, inchoata organizatio ulteriùs perficitur, ita, ut anima, quæ priùs tantùm proximè potens est exercere actiones vegetativas, dein fiat proximè potens exercere sensationes &c. Sicque natura paulatim progreditur ab imperfectioribus, nimirum actionibus, ad perfectiora; & sic verum est, quòd fætus humanus priùs vivat vita actuali plantæ, sive priùs exerceat operationes vegetativas, dein sensitivas &c. non autem, quòd priùs vivat vitâ substantiali & radicali plantæ: quod si fieret, fætus reverà priùs fuisset planta, dein brutum & deniquè homo; compositū enim ex materia & animâ vegetativâ tantùm est planta, nō obstante, quòd eadē materia paulò post futura sit constitutivum hominis, ut patet in plantis homini in cibum deservientibus; neque quòd anima vegetativa tantùm ordinetur ad sensitivam &c. chylus enim est chylus, sanguis est sanguis, etsi forma utriusq; ordinetur ad formam carnis. Jam verò ad

quam speciē plantæ pertinebit hic fætus animatus animâ vegetativâ tantùm? ad speciē, credo, innominatam aliquam plantæ, sed hoc est aliquid fingere. Neq; ex diversis operationibus ejusdē suppositi, statim colligenda est diversitas vel multiplicitas principiorum existentium in tali supposito, sed ex diversa operationum collectione convenientium uni formæ, quæ tota non convenit alteri formæ, harum formarum colligenda est diversitas.

IV. Verisimilius est, de facto omnes animas esse ejusdem speciei infimæ sive omnes animas. V. G. hominum inter se, animas leoninas inter se, quercinas inter se &c. esse ejusdem perfectionis substantialis. *Inæqualis enim illa operationum.* V. G. intellectionum, visionū &c. perfectio, non inæqualitati animarum in substantia, sed perfectiori organorum elaborationi & dispositioni, aptiori humorum temperamento, vivacioribus spiritibus est adscribenda: ut ex eo patet, quòd multi post morbum propter indispositionem organorum, evadant stupidi, qui ante erant ingenioſi. Pariformiter de formis partialibus loquendum est, eas in perfectione substantiali æquales, differre solùm secun-

secundùm accidētia, figuram, mollitiem, calorem &c. secùm in eadem materia recepta. Sic anima Christi & B. Virginis in substantiali perfectione cæterorum hominum animabus est æqualis, accidentaliter verò propter gratiarum & habituum infusorum copiam & præstantiam cæteris incomparabiliter nobilior, & propter optimam organorū dispositionem ad functiones multò nobiliores exercendas longè expeditior. Sic quoq; illud Salomonis intelligēdum: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & meliorē* &c. Dispositiones igitur materiæ perfectiores, manentes tamen intra eandē speciem dispositionum (suppono enim in differentia numerica dari aliquam latitudinem, & calidum ut tria non statim distingui specie à calido ut octo, etsi ab eo magis distinguatur, quàm à calido alio ut tria, cognitionem, quâ Petrus cognoscit Paulum & Joannem, non distingui specie à cognitione, quâ cognoscit Andream, etsi ab ea distinguatur magis, quàm à cognitione, quâ idem Petrus eundem Paulum & Joannem cognoscit secundò) non exigunt formas specie diversas. Aliud autem est, quod Angelus unus alteri sit inæqualis in perfe-

perfectione substantiali, non enim omnes Angeli sunt sub eadem specie infima. Ubi illud quoque observandum, aliud esse, duo esse magis, vel specie diversa; aliud, esse inæqualis perfectionis; potest enim unum habere perfectionem æquivalentem alterius perfectioni, etsi disparis rationis; sic albedo & nigredo differunt specie, in perfectione tamen fortè sunt æquales, unio, quâ jam uniuntur inter se partes Petri, magis differt ab unione, quâ uniuntur inter se partes Pauli, quàm ab ea, quâ eædem ejusdem Petri partes uniendæ sunt in resurrectione, & tamen cum unione Pauli est æqualis perfectionis: hinc quoque aliud est, esse similem alteri, aliud esse æqualis perfectionis.

V. Anima rationalis est spiritualis (quod videtur esse de fide propter illud Christi: *in manus tuas commendo spiritum meum*: & illud Eccl. ult. *spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: & illud Conc. Lateran. 1. cap. firmiter: *condidit Deus humanam creaturam spiritu & corpore constantem*) reliquæ omnes animæ materiales sunt & corporeæ. Operationes enim maximè propriæ animæ rationalis, volitiones & intellectiones sunt merè spiri-

spirituales, utpote habentes sæpè objectum spirituale, quæq; ab ea naturaliter eliciuntur independenter à sensibus pro statu separationis; estque illis per accidens, quòd in hac vita dependeant à materialibus organis, quantitate, phantasmate corporeo (non quidem tanquam à principiis, sed tanquam à subministrantibus species) nam sicut ipsi animæ per accidens est, existere conjunctam corpori, sic eidem per accidens est, operari dependenter à corpore, cui nõ obstat, quòd fortè intellectus quandoq; per primas apprehensiones concipiat rem spiritualem per modum corporeæ, cùm removẽdo dein per judicia & discursus à rebus spiritualibus imperfectiones corporeas tribuendoq; ea, quibus carent corporea, eas cognoscat, ut in se sunt. Jam verò effectus spiritualis procedere nequit à principio adæquato corporeo. Ad hæc, sive spirituale dicatur illud, quod caret partibus, vel si iis cõstat, non exigit eas extendi; sive illud, quod neq; est materia, neq; ab ea materialiter causante dependet; sive illud, quod est penetrabile cum aliis rebus, sive ejusdem secùm rationis, sive diversæ; sive illud, quod neque est quantitas, neque ita ab ea dependet, aut cum ea con-

connectitur, quin possit naturaliter existere sine illa; omnia conveniunt animæ rationali, & nihil eorum convenit animæ plantarum aut brutorum.

VI. Anima rationalis est immortalis (quod est de fide, ut patet ex conc. Lateran. habito sub Leone X.) ex natura sua; est enim substantia spiritualis, quæ neque constat partibus contrariis in se mutuò agentibus, neque habet aliam creaturam sibi contrariam, aut secùm incompossibilem, neque dependet à subjecto; quæ quia non conveniunt cæteris animabus, eæ ex natura sua sunt corruptibiles. Quare dum Apost ait, solum Deum habere immortalitatem, intelligendus est de immortalitate imparticipata, à nulla absolutè potentia destruibili. Dum Eccles. dicit, unum esse jumentorum & hominum interitum; loquitur in persona impiorum, vel loquitur de interitu totius compositi; post mortem æquè enim non manet homo, quàm equus. Dum in Epist. Sophron. dicuntur animæ nostræ per gratiam, non per naturam immortales, intelligendum id est, non quòd per aliquam gratiam animæ superadditam eæ sint immortales,

les, sed quòd gratuitum Dei sit beneficium, quòd animæ conditæ sint immortales, & quòd contra naturam suam (quod fieri posset) non sint à Deo destruendæ : propter quam tamen non repugnantiam destructionis malè dicetur ex natura sua seu ab intrinseco destruibilis ; talis enim ut dicatur , requiritur insuper positiva ad corruptionem inclinatio, qualem anima rationalis non habet.

VII. Anima rationalis est indivisibilis, tam essentialiter , ut patet , quàm integraliter ; si enim abscisso homini brachio , pars animæ abscinderetur , illa pars animæ vel perit,& sic anima non est incorruptibilis ; vel existit separata , & sic damnari posset , & altera pars animæ per actam post abscissionem brachii pœnitentiam salvari ; vel reuniretur reliquo corpori , sed quænam hìc causa illam reuniens ? In eo autem nihil est inconveniens , quòd forma indivisibilis tota naturaliter per eandem totam præsentiam definitivam sit in loco inadæquato , & simul per eandem præsentiam totam tota sit in loco alio inadæquato. Ubi tamen id advertendum , quòd etsi similiter tota per

eandem

eandem totam præsentiam præsens sit pedi brachio, capiti, non esse tamen pedi & capiti unitam eâdem tota unione, sed per diversas unionis essentialis partes. Cui non obstat axioma: *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: hujus enim sensus non est, quòd receptum cum recipiente debeat habere entitativam, similitudinem, V.G. quòd sicut corpus, in quo recipitur anima, est divisibile, sic etiam ea debeat esse divisibilis; sed quòd id, quod recipitur, debeat juxta recipientis capacitatem recipi. Ex quo licet sequatur, intellectum hominis, utpote ab anima indistinctum, fore in pede, non sequitur tamen, in pede eliciturum intellectiones, cùm anima ibidem non habeat conditiones requisitas ad intellectionem, nempe species, phantasmata existentia in cerebro: sicut nec sequitur, solum pedem informatum animâ fore hominem, cùm non quævis unio animæ cum quacunque materia constituat hominem, sed unio adæquata cum materia diversissimè organizata.

VIII. Cæteræ animæ omnes, etiam brutorum perfectorum, sunt divisibiles; si enim essent indivisibiles, jam totæ ex qualibet materia

connectitur, quin possit naturaliter existere sine illa; omnia conveniunt animæ rationali, & nihil eorum convenit animæ plantarum aut brutorum.

VI. Anima rationalis est immortalis (quod est de fide, ut patet ex conc. Lateran. habito sub Leone X.) ex natura sua; est enim substantia spiritualis, quæ neque constat partibus contrariis in se mutuò agentibus, neque habet aliam creaturam sibi contrariam, aut secùm incompossibilem, neque dependet à subjecto; quæ quia non conveniunt cæteris animabus, eæ ex natura sua sunt corruptibiles. Quare dum Apost ait, solum Deum habere immortalitatem, intelligendus est de immortalitate imparticipata, à nulla absolutè potentia destruibili. Dum Eccles. dicit, unum esse jumentorum & hominum interitum; loquitur in persona impiorum, vel loquitur de interitu totius compositi; post mortem æquè enim non manet homo, quàm equus. Dum in Epist. Sophron. dicuntur animæ nostræ per gratiam, non per naturam immortales, intelligendum id est, non quòd per aliquam gratiam animæ superadditam eæ sint immortales,

eandem totam præsentiam præsens sit pedi brachio, capiti, non esse tamen pedi & capiti unitam eâdem tota unione, sed per diversas unionis essentialis partes. Cui non obstat axioma: *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: hujus enim sensus non est, quòd receptum cum recipiente debeat habere entitativam, similitudinem, V.G. quòd sicut corpus, in quo recipitur anima, est divisibile, sic etiam ea debeat esse divisibilis; sed quòd id, quod recipitur, debeat juxta recipientis capacitatem recipi. Ex quo licet sequatur, intellectum hominis, utpote ab anima indistinctum, fore in pede, non sequitur tamen, in pede eliciturum intellectiones, cùm anima ibidem non habeat conditiones requisitas ad intellectionem, nempe species, phantasmata existentia in cerebro: sicut nec sequitur, solum pedem informatum animâ fore hominem, cùm non quævis unio animæ cum quacunque materia constituat hominem, sed unio adæquata cum materia diversissimè organizata.

VIII. Cæteræ animæ omnes, etiam brutorum perfectorum, sunt divisibiles; si enim essent indivisibiles, jam totæ ex qualibet materia

riæ parte educerentur, adeoque singulæ materiæ partes essent causa totalis animæ, præberentque illi influxum totalem. Quòd autem factâ divisione partes animæ brutorum perfectorum non maneant, saltem tamdiu, in utraque materiæ parte, sicut insectorum & plantarum, ut patet ex eorum motibus sensationibus &c. quas utrobique eodem modo exercent, sicut ante divisionem, adscribendum non est indivisibilitati, sed quòd animæ hæ, utpote substantialiter perfectiores, ad materialem sui conservationem exigant dispositiones & organizationes perfectiores, magisque extensas & concinnas V. G. cerebrum, hepar, cor &c. (quorum loco animæ plantarum & plerorumque insectorum habent quid aliud per totum corpus diffusum V. G. medullam spinæ dorsi) suis singula locis disposita, cum quorum defectu aut temperie prorsus turbatâ nec pars talis animæ stare diu potest. Neque indivisibilitati animæ est adscribendum, quòd, dum equus pungitur in pede, moveat caput totumque corpus; sensus enim externi percipientes objectum doloriferum, mox species illius per nervos sensorios ad cerebrum, ubi residet

sensus

sensus communis, trajiciunt, à quo excitatus appetitus, excitat omnes partes ad mutuam sui defensionem & condolentiam. Quare Arist. inquiens: *quæ sunt optimè constituta, haud quaquàm vivere dissecta queunt, quòd eorum natura* (id est anima) *quàm maximè potest, una habeatur* (qualiter maximè una videri posset, si esset indivisibilis) loquitur formaliter, nimirum, quòd tales animæ sint indivisibiles, non quidem in partes entitativas, sed in ratione formæ viventis, potentis partes separatas vivificare; quales sunt animæ insectorum, de quibus ait Arist. quòd divisæ constituere possint plura viventia, & quasi plura animalia. Sunt autem hæ partes animarum homogeneæ, ita ut pars animæ, quæ de facto est in pede, de se sit, fueritque indifferens, ut sit in capite & vice versa, proveniatque illa operationũ diversitas inde, quòd hæ partes in aliis & aliis materiæ partibus diversam temperiem & organizationem habeant; sicut & propterea eadem indivisibilis anima hominis diversissimas in diversis corporis partibus habet functiones. Nulla itaque determinata pars talis animæ absolutè exigit hanc aut illam deter-

determinatam organizationem, (nisi ad summùm ex hypothesi, quòd sit unita materiæ V. G. oculi, debeatque videre) sed tota anima secundùm omnes suas partes collectivè acceptas exigit omnem organizationem, singulæ verò partes indeterminatè exigunt partem aliquam organizationis; vel etiam quælibet exigit totam organizationem, non tamen sibi dandam adæquatè, sed distribuendam inter se & alias compartes. Adeoque Deus hanc animæ partem potiùs, quàm aliam ad informandum potiùs cor, quàm hepar, aut carnem determinat.

IX. Sanguis, pituita, flava & atra bilis non sunt animata; eæ enim partes animatæ non sunt, quæ institutæ sunt à natura, non ut vivant in actu secundo per exercitium aliquarum operationum vitalium V. G. ut sentiant, nutriantur &c. sed solùm ut alant, foveant, roborent, juventque reliquas partes ad operationes vitales; sed tales sunt dicti humores; hi enim non sentiunt, ut constat, nec nutriuntur vitaliter per intussusceptionem alimenti, crescendo per omnes partes, retinendo eandem

dem figuram , sed per juxtapositionem sive per aggenerationem non vitalem , sicut aqua in fonte per eruptionem novæ aquæ, configurando se corpori solido, seu vasis suis, venis, folliculis &c. in quibus continentur; & cum quibus non sunt continui, sicut aqua urnæ (unde tamen animal non dicetur simpliciter aggregatum per accidens ; ut enim dicatur unum per se, satis est, partes illas non animatas & non continuatas cum animatis deservire uni formæ totali viventis, eiq; subordinari) neque habent principium intrinsecum suorum motuum, sed à virtute intrinseca viventis, & partibus vitalibus ab intrinseco se moventibus huc illucque propelluntur , non minùs , quàm sputa & sudor. Ad hæc , alimentum (quale est sanguis respectu sanguineorum animalium) non informatur animâ aliti , antequàm convertatur in substantiam aliti ; multò minùs reliqui humores nunquam convertendi in substantiam aliti, quique viciniùs ad partes excrementitias accedunt. Dum itaque in Levit. dicitur : *anima omnis carnis in sanguine est :* juxta S. Aug. intelligitur , sanguinem habere peculiarem connexionem cum vita, ita, ut eo deficiente, deficiat

deficiat & illa. Dum Arist. dicit : *quamdiu vita servatur, sanguis unus est animatus & fervet* : vult eum, non manentem sanguinem, sed dum in substantiam viventis convertitur, animari : quamvis teste Mauro horum verborum ex græco hic reddatur sensus : *sanguis semper unus est in toto corpore animalis, quamdiu animal vivit* : Dum eum D. Thomas quandoque vocat partem actualem animalis, quandoque potentialem : dum Arist. quandoque illum dicit, quandoque negat, esse partem animalis : dumque Clemens III. in Extravag. de celeb. mis. ait 4. dictos humores pertinere ad constitutionem veram hominis, non volunt, sive etiam negant, illos esse partes primariò pertinentes actu ad constitutionem hominis, eamque integrantes, & concedunt solùm, eos esse partes secundarias, ordinatas tantùm ad conservationem vitæ, seu corporis in ratione subjecti vivificati & ad vivendum idonei. Quibus non obstat, quòd multæ partes minùs principales, quàm sanguis, animentur ; etsi enim tales minùs principales, id est, minùs sint necessariæ ad vitam conservandam, non sunt tamen minùs principales, id est,

minùs idoneæ ad vivendum in actu secundò, Neqùe Conc. Trid. docens, sanguinem poni sub speciebus panis in Eucharistia vi connexionis, quâ partes corporis inter se copulantur; vult enim Conc. sanguinem habere cum corpore vivo necessariam conjunctionem, non physicam unionem, quam si veluti pars vivens, & primariò constituens, & physicâ unione integrans corpus haberet, vi verborũ formaliter fieret præsens sub speciebus panis. Neq; quòd Verbum hypostaticè assumpserit sanguinem; illud enim tantùm animatur, quod veluti primarium ex primaria intentione assumptum fuit, nõ illud, quod in ordine ad primarium est assumptum. Unde tamen Verbum non dicetur assumpsisse duas naturas diversas; sanguis enim cõjunctus corpori vivo non censetur natura completa, sed ordinata ad naturam viventis. Atq; ex his sequitur, neq; lac, neq; medullam, quæ ossiũ est nutrimentũ, neq; spiritus, utpote quæ omnia substantialiter videntur esse sanguis, animari.

X. Probabilius videtur, capillos, pilos, lanam, aculeos herinaciorum, ungues, rostra, squamas, testas, conchas, cutem ultimam, non animari; neqùe enim sentiunt neqùe nutriun-

triuntur, sed accrescunt per juxtapositionem; gignuntur siquidem ex materia rejectanea & excrementitia, terreo nempe & fuliginoso halitu concoctionis ultimæ foras protruso; (ad quod ajunt Adversarii, etsi harum partium alimentum respectu partium nobiliorum sit excrementum ab iis rejectum, non esse tamen absolutè excrementum) cujus hoc est indicium, quòd capilli crescant solùm in longitudinem, & quòd notata in ungue duo puncta semper æqualiter à se distent, tamquè diu protrudantur, usquè dum ad extremum digiti perveniant; item quòd crescant in cadaveribus (ad quod ajunt aliqui; quòd postquam per mortem animalis orbata sunt animâ sensitivâ, informentur animâ vegetativâ, vel quòd semper, etiam vivente animali, animâ vegetativâ informata fuerint, crevetintquè sicut gramen in terra.) Item non habeant certum crescendi terminum, nisi per accidens, in quantùm, ni resecentur, propter magnitudinem & gravitatem, virtus expellens materiam excrementitiam impediatur ab ejus ulteriore protrusione. Quòd verò in

pueris capilli sint magis graciles , inde est, quòd eorum pori tam ampli non sint; quòdque canescant quandoque unâ nocte, est à qualitate ad eorum radices productâ diffusâ dein , ad partes remotiores capillorum , (qui etiamsi permittantur hanc qualitatem , imò suum alimentum per poros suos attrahere fit tamen hæc attractio mortuo modo , sicut lana resciſſa & spongia attrahit aquam) quòdq; ungues habeant certam figuram, est à partibus vicinis certo modo excrementum à se expellentibus.

XI. E contra probabilius videtur , cerebrum animari , utpote quod tanquam organum sensus interni , officina spirituum , & pars principalis corporis, nutritur, ut indicãt pervagantes illud venulæ , neq; omninò discontinuatur à partibus animalis, sed per minutissimas fibras conjungitur meningibus, & hæ aliis partibus, etsi hæc conjunctio tam notabilis non sit , quod vult Arist. inquiens, cerebrum numerandum non esse inter partes corporis continuas. Imò quòd possit exemptum & discontinuatum, adeoq; destitutum animâ, subitò reponi, & productâ novâ unione integrali inter illud & partes vicinas, rursus anima-

animari (sicut caro gallinacea insuta humanæ animatur) uti docent plures; adeoq; axioma illud: *à privatione non datur regressus ad habitum*: sic foret intelligendum: quòd postquàm tota materia, aut certè partes adhuc principaliores privatæ sunt anima, non animentur rursus. Idem dicendum propter easdem rationes videtur de medulla spinæ dorsi, utpote quæ cum cerebro, à quo accidentaliter tantùm differt, continuatur, utì & cum aliis nervis. Item de venis, ligamentis cartilaginibus, membranis, ossibus, cornibus, (quæ cum osse capitis continuantur, suasque fibras, per quas alimentum vitaliter attrahant, habent) dentibus, qui ejusdem cum ossibus rationis videntur (imò in lupis cum maxilla continuari) suasque radices habere, quinimò dolorem sentire, dum in interiore molliore concavitate eorum, quo nervi nulli aut gingivæ caro approximat, nascitur vermiculus aut putredo; nec obstat quòd hi sponte quandoq; excidant, nam & folia & fructus sic decidunt ex arbore, imò nasus ob frigus.

XII. Vita Formalis bene definitur, quòd sit operatio per se seu ex natura sua &

ratione termini imanens. Convenit enim primò sensationibus, intellectionibus & volitionibus, quia hæ recipiuntur sustētativè, vel saltem informativè, si non in eadem omninò entitate & parte essentiali, à qua eliciuntur, sicut intellectiones in anima, (quæ dicitur immanentia strictissimè) saltem in eodem suppositо vel compositо, sicut visio ab animâ elicita recipitur in materia ejusdem compositi; & quidem ita, ut earum termini naturaliter nequeāt produci, nisi ab eo, in quo recipiuntur; quod est propriissimè, vitaliter & ab intrinseco esse immanentem. Convenit secundò vegetationi & nutritioni; etsi enim harum termini (nempe nova pars formæ & unionis essentialis, unio item integralis inter unionem essentialem præexistentem, & partem ejus de novo advenientem) supernaturaliter possint produci à Deo in vivente, imò naturaliter (similes enim termini producuntur in prima viventis generatione) suppositо tamen, eos produci, post primam generationem, non possunt produci nisi ab eo, in quo recipiuntur (unde definitur ab aliquibus vita, quòd sit *operatio semper immanens, supponens rem in naturali statu jam constitutam*:

tam: quæ tamen displicet ideò, quia non convenit intellectioni divinæ, utpote quæ constituit essentiam Dei, adeoque eam non supponit: & ab aliis; *operatio, quâ res seipsam perficit ultra statum in prima productione sibi debitum*: quæ tamen prorsus vitæ Dei non convenit, nec intellectioni probabiliter debitæ Angelo pro instante primæ productionis) vel etsi produci possint hi, aut similes termini quò ad substantiam à principio extrinseco, quò ad modum tamen, quo de facto producuntur à vivente mediis instrumentis vitalibus attrahendo convertendo, uniendoque sibi alimentum, fieri non possunt, nisi à tali, in quo recipiuntur. Idem dicendum, dum surculus ab arbore præcisus, alieno trunco, vel caro gallinacea vulneri inserta, vitaliter continuatur & concrescit. Ubi tamen id observandum, quòd actiones aliæ comitantes nutritionem, quatenus alimentum movent & alterant, non dicantur vitales, sed ad summùm quatenus per eas vivens movetur, movendo, dilatando, contrahendo venas, nervos aliaque organa, quamvis & sic spectatæ, formaliter vitales non sint, utpote quarum termini, id est, ubicationes & situs

produci possunt ab extrinseco V.G. Dæmone insidente energumenum, sed solùm præsuppositivè aut consecutivè, quatenus hic & nunc motus progressivus & formativus vocis præsupponit actum vitalem, volitionem vel appetitum & imaginationē; vel quatenus ad eum motum venarum, cordis &c. sequitur actus vitalis V.G. vitalis alimenti conversio. Convenit tertiò vitæ divinæ; etsi enim illa non sit operatio aliqua à producente distincta, aut productio termini recepti in producente, est tamen verus actus secundus, inexistens ei (intellige per identitatem) cujus est actus secundus, non productus à principio extrinseco (qualis vita in actu secundo, seu operatio vitalis non esset intellectio creaturæ ipsi creaturæ identificata, utpote quæ produceretur adhuc ab alio, nēpe Deo) veraq; tendentia in objectum; abstrahit enim operatio immanens ab immanentia per identitatem & per distinctionem. E contra excludit definitio emanationem proprietatum, motum levium & gravium (quæ non excluduntur ab hac definitione vitæ: *motus ab intrinseco*: etsi enim hæ actiones ratione sui præcisè sint immanentes, & ita quidem necessariò, ut implicet

plicet easdem non procedere ab his principiis intrinsecis (hæc enim numerò actio transcendentaliter respicit hoc numero principium) ratione tamen terminorum, qui iidem numero vel specie possūt procedere à principio extrinseco, absque eo, quòd fiat quicquam contra eorum exigentiam, non sunt immanentes, adeoque nec vitales, ne præsuppositivè quidem. Idem dic de aggeneratione ignis, imò & de generatione viventis quà tali, etsi elaboratio seminis, & quandoque ejusdem subministratio, sit vitalis. Et hinc patet, quid sit vita radicalis & substantialis, nimirum principium & potentia talium operationum elicitiva.

XIII. In actu creato, vitali, intentionali (de actu enim non intentionali, V.G. nutritione, id omninò manifestum est) inveniuntur hæc duo realiter distincta, actio ad prædicamentum actionis, & terminus pertinens ad prædicamentum qualitatis. adeoque non est mera tendentia seu via sine termino, merum fieri sine aliquo facto; talis enim via, tale fieri implicat, imò ne quidem concipi potest. Hinc dum Arist. de his actibus tractans docet, esse actiones, quarum nullum

aliud opus est præter ipsam actionem; vult, nullum esse opus earum ab iis pereuntibus relictum, quale producitur ab actionibus transeuntibus, postquè illas relinquitur, V. G. post ædificationem ædificium. Et dum D. Thom. dicitur hæc habere: *intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur*, vult nullam importari rationem originis inter intellectionem & rem intellectam, non verò inter actionem & terminum constantia intellectionem, ut patet ex eo, quod addit: *dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum* (ubi agnoscit *dicere* ab ipso verbo distinctum, saltem in creatis) & verbo mediante dicit habitudinem ad rem intellectam. Denique, dum uterquè dicit, beatitudinem consistere in actione, & non in qualitate, volunt, eam non consistere in qualitate aliqua mortua, & non negant, eam consistere in operatione vitali & in consequente eam qualitate vitali. Nequè est merus terminus seipso determinatus ad dependendum à tali principio, adeoquè non egens mediâ actione à se distincta, adeoquè modus; intellectio enim,

enim, vel potiùs terminus intellectionis, qui nunc dependet à solo intellectu, idem potest dependere ab intellectu & habitu simul, & vice versa: idem volitionis terminus, qui nunc dependet à voluntate & habitu supernaturali, potest elici à voluntate & auxilio Dei transeunte, supplente defectum habitus. Cui non obstat, quòd ad hoc, ut visio, intellectio, odium &c. aliquẽ denominet videntẽ intelligentem, essentialiter exigat & debeat procedere ab eodem, inque eo recipi, & consequenter indifferentes non sint, ut ab hoc vel alio principio procedant; spectati enim hi actus inadæquatè secundùm terminum, sunt adhuc indifferentes, ut ab hoc principio intrinseco solo, vel simul ab alio, V. G. habitu, per hanc vel per illam actionem dependeant, adeoque ad hoc per hanc numero actionem debent determinari. Et sic vita formalis inadæquatè spectata, nempe secundùm actionem (quod omnibus actionibus commune est) essentialiter dependet ab hoc numero principio, spectata secundùm terminum, dependet ab aliquo indeterminatè principio vitali; potestque idem dependere à

diversis principiis, imò & à principio extrinseco non vitali, quod tamen est contra ejus exigentiam, & in quo casu non denominabit principium suum vitaliter operans.

XIV. Est autem tam actio, quàm terminus de essentia actus intentionalis, tam materialis, quàm spiritualis, præcipuè intellectionis. In eo enim formaliter consistit intellectio (idem aliis facilè applicari poterit) vi cujus redditur quis formaliter intelligens seu intuens prædicata objecti, sed talis non est sola actio præcisa à termino seu verbo mentis, aliàs foret ipsa imago formalis objecti, adeoquè frustraneus foret terminus; & quomodò in actione per possibile vel impossibile separata à termino relucere possunt objecti prædicata? E contra autem, licet solus terminus seu species expressa sit formalis imago objecti, sola tamen non est cognitio, utpote quæ est vita actualis, adeoquè præter hanc imaginem dicit ejus expressionem, sicut scriptio præter characteres dicit eorum formationem, denominatquè vivens vivere in actu secundo, seu vitaliter operari, movere se ab intrinseco, tendere in objectum, egredi vel rapi extra se, uno verbo, dicit formaliter

&

& intrinsecè exercitium formale vitæ, quæ nullo modo intelligi possunt absque actione, & quæ terminus solus, etiam ut respiciens actionē immanentem, præstare nequit, adeoque requiritur insuper intrinsecè ipsa actio immanens; sicut enim intellectivum creatum constituitur intellectivum in actu primo per hoc, quòd possit verbum mentis producere, sic constituitur in actu secundo per actuale producere illius; sicque cognoscere est agere, non quidem objectum seu terminum extrinsecum, sed intrinsecum seu ejus imaginem. Quinimò ipsum intelligere divinum importat operationem, non quidem accidentalem à principio operante distinctam, sed substantialem tendentiam in objectum, cujus est imago; abstrahit enim ab his operatio vitalis ut sic. Unde demum infertur, terminum ab actione immanente præcisum esse vitalem exigitivè solùm, non formaliter & actualiter adeoque denominare non posse subjectum, cui à solo Deo productus unitur, vivere, etsi illud de cætero hujus denominationis sit capax. Cui non obstat, quòd albedo subjectum capax denominet album, absque eo, quòd actio albedinis pro-

ductiva involvatur, hæc enim non dicit actu agere sicut intellectio.

XV. Vegetationes subjectantur in sola materia; in ea enim subjectatur, atque ex ea educitur terminus per nutritionem formaliter talem productus, nempe unio integralis inter partes unionis essentialis. Sensationes brutorum subjectantur immediatè in anima & materia simul, tanquam in subjecto adæquato sustentationis & informationis; hæ enim animæ, utpote materiales proportionatæ sunt, quibus hi actus materiales inhæreant; & quæ ab iis denominétur sentientes. Operationes vitales materiales intentionales hominis subjectantur tantùm in materia tanquam in subjecto adæquato inhæsionis; sicut enim improportio inter rem spiritualem & materialem, origo est incapacitatis, quam habet res spiritualis ad sustentandum adæquatè rem materialem, sic manens eadem improportio, utpote non supplebilis per conjunctionem alterius principii passivi materialis, ratio est, cur materiale, nequidem inadæquatè, à spirituali queat sustentari, quod tamen, etsi fortè non implicaret, sine necessitate tamen asseren-

asserendum non est, fieri ordinariè. Uniuntur verò animæ, & sunt in illa, tanquam in subjecto informationis; redditur enim & illa per eas non minùs cognoscens materialiter, quàm per intellectiones cognoscens spiritualiter; posse autem formam informare subjectum, è quo non educitur, patet in anima rationali. Neque obstat, quòd animæ spirituali non possint dare omnes denominationes, sicut nec anima spiritualis materiæ omnes denominationes dare potest, sed sufficit, quòd dent principaliores, denominentque illam cognoscentem, & viventem in actu secundo. Neque sequitur, sensationes brutorum fore magis vitales, utpote quæ insuper immanent animæ tanquam subjecto inhæsionis; hæc enim major immanentia inhæsiva vitalitati est per accidens. Operationes vitales spirituales V. G. intellectiones & volitiones hominis subjectantur in sola ejus anima tanquam subjecto inhæsionis & informationis; cùm enim sint spirituales, educanturque ex aliquo subjecto, nullum præter animam spiritualem illis proportionatum cum fundamento assignari potest. Illud tamen

men hìc obſervandum, quòd intellectio uniatur animæ, quæ eſt in pede, non uniatur tamen illi, ut eſt in pede, ſed in cerebro, in quo recipitur phantaſma.

DISSERTATIO SECVNDA

De Potentiis Animæ in genere & in ſpecie de ſenſibus, ſenſibili & ſpeciebus.

I. POtentiæ Animæ aliæ ſunt non intentionales, quæ producunt tantùm terminum abſquè eo, quòd tendant in objectum aliquod, ut vegetativa, nutritiva, locomotiva: aliæ intentionales, quæ producendo terminum, per illum tẽdunt in objectum, cognoſcendo vel appeterendo illud. Harum aliæ ſunt ſenſitivæ, ut ſenſus externi, & unus internus ſeu phantaſia, cui ſubordinatur potentia appetitiva ſenſitiva: Aliæ rationales, ut intellectus & voluntas. Intentionalium potentiarum iterum aliæ dicuntur organicæ & materiales, quæ vel inadæquatè conſtituuntur per organa, vel ab iis tanquam

quam concausis, aut saltem tanquam conditionibus & dispositionibus in operando dependunt, sive ipsæ entitativè sint spirituales, ut est potentia visiva hominis, sive materiales, ut est potentia visiva bruti: aliæ inorganicæ & spirituales, quæ non habent tantam cum organo corporeo connexionem quò ad exercendas suas operationes, adeoquè comitantur animam, & exercent suas operationes etiam pro statu separationis animæ à corpore, ut intellectus, voluntas.

II. Potentiæ vitales, saltem in homine, non sunt qualitates entitati animæ superadditæ, & veluti proprietates ab ea immediatè profluentes, sed omnes, tam organicæ, (non quidem adæquatè sumptæ simul cum organo, sed spectatæ, quatenus sunt in anima) quàm inorganicæ sunt ipsa substantia animæ, quatenus hæc ob diversa munia, quæ dependenter vel independenter à sensibus exercet, nunc intellectus, nunc voluntas, nunc visus, nunc auditus dicitur, juxta illa S. Aug. *sensus unus est in anima, & quidem ipsa, verumtamen propter varia variè vocatur: dicitur namquè sensus, imaginatio, intellectus, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quàm*

ipsa

ipsa &c. & : habet anima naturalia, & ipsa anima est, potentia namque & vires ejus idem sunt, quod ipsa; habet & accidentalia, & ipsa non est; non enim est sua temperantia &c. Et certè forent tales potentiæ accidentales ab anima distinctæ frustraneæ, cùm ipsa per se unà cum objecti specie aliisve organorum dispositionibus sit immediatum sufficiensq; principium omnium actuum vitalium, utpote cõtinẽs, formaliter vel virtualiter, vel eminenter, eorum formalitates V. G. vitalitatem intellectionis, cùm sit vita substantialis, & formalitatem repræsentationis objecti, cùm habeat sibi inexistentem speciem objecti. Cui gratis opponis, formalitatem vitalitatis, per quam intellectio convenit cum volitione, tribui animæ secundùm se, formalitatem verò talis vitalitatis, per quam à volitione differt, tribui principio, quod formaliter est intellectivum & non volitivum: eccur ea non posset tribui principio, quod simul est intellectivum & volitivum? sicut vitalitas illa, quæ est in judicio diversa à vitalitate, quæ invenitur in apprehensione, tribuitur principio, quod simul est judicativum & apprehensivum.

Quinimò

Quinimò nisi voluntas identificetur intellectui, sitque illud ipsum, cui formaliter repræsentetur bonitas objecti, & cui hæc cognitio bonitatis immediatè inhæreat, ferri non poterit in objectum : inconceptibile namque est, quomodò res aliqua excitetur & moveatur ad rem aliquam amandam, ex eo præcisè, quòd alteri distincto, secùm solùm in eodem subjecto radicato (qualiter voluntas cum intellectu subjectatur in anima juxta Adversarios) fiat, & inhæreat hæc repræsentatio bonitatis, ipsa autem res, quæ fertur in objectum illud amando, nihil cognoscat; sicut intelligi nequit, quomodò res moveatur ad assentiendum veritati, nisi ex eo, quòd ipsa veritatem apprehendat: profectò nil juvat cæcum, quòd habitet cum vidente in eadem domo, & ex eo, quòd hic vidēs cognoscat, quid huic cæco conveniat, cæcus id non poterit appetere. Porrò hanc ipsam potentiarum inter se & cum anima identificationem experimur quodammodò, dum potentiâ intellectivâ valdè intendente uni rei, visiva & auditiva sæpè in operationibus suis omninò impediuntur, quòd non fieret, si hæ potentiæ ab invicèm distinguerentur, & anima

imme-

immediatè non influeret in intellectionem, visionem &c. Dicere itaqùe possum in sensu identico : voluntas intelligit, intellectus vult, visus audit, potentia visiva manet in cæco & in anima separata , potentia auditiva non est capax remissionis vel intensionis &c. non tamen accipiendo has potentias organicas adæquatè pro ut includunt organum ejusqùe temperamentum (qualiter ordinariè accipiuntur) sed præcisè tantùm secũdùm potẽtiam activam animæ intrinsecam. Item dicere possum : potentia spiritualis (concurrente tamen organo, vel ut conditione, vel ut comprincipio) est principium operationis materialis, huic tamen principio non nisi informativè immanentis ; spirituale ordinatur ad materiale, non quidem tanquam medium ad finem, sed ut causa ad effectum. Neqùe ex his sequitur , animam agentem per suam entitatem semper operaturam , sicut nec sequitur, tales potentias ab anima distinctas acturas propterea semper , quòd agant per entitatem suam , illud autem agit semper, non quod per entitatem suam est potentia operativa , sed cujus entitas est ipsa operatio, sicut ipsa Dei entitas & essentia est intellectio.

Neqùe

Neqùe ex eo, quòd substantiæ seu formæ substantiales aliquæ imperfectiores transeunter operantes agant quandoqùe per potentias accidentales sibi superadditas V.G. ignis per calorem (quanquam talia accidentia malè dicantur potentiæ substantiarum ex eo, quòd unà cum iis influant in effectum) sequitur, idem dicendum esse de forma substantiali viventis agente immanenter. Neq; contrarius est nobis Arist. utpote, qui nullam potẽtiarum vitalium mentionem facit, dum non potentias vitales, sed alias quasdam analogicè dictas potentias, ad prædicamentum qualitatis refert. Similiter aliqui SS. PP. contrarium innuere visi, censendi sunt loqui de distinctione rationis, vel certè de potentiis proximis, quæ præter entitatem animæ alia dicunt comprincipia V.G. species, habitus &c.

III. Utrum autem potentiæ quoqùe brutorum sensitivæ inter se identificentur, inde pendet, num animæ eorum divisibiles per se ipsas totæ concurrant ad singulas operationes, an tantùm pars animæ V.G. quæ est in oculo, concurrat ad visionem, constituatqùe potentiam visivam, quod posterius si verum

est,

est, jam certum est, eorum potentias distingui inter se realiter adæquatè, sicuti ipsæ istæ partes animæ inter se distinguuntur numero, etsi ab ista parte animæ non distinguantur. Nihilominùs prius videtur probabilius; etsi enim tota anima non existat in oculo, sufficienter tamen tota applicatur ad visionem eliciendam per hoc, quòd partes reliquæ animæ continuentur cum parte animæ existente in oculo, sicut ignis non tantùm agit in passum secundùm partem passo viciniorem, sed etiam secundùm partes à passo remotiores: neque etiam requiritur, ut actio vitalis recipiatur in toto suo principio, sive in omnibus partibus ejus, sed sufficit, recipi in una, cum qua reliquæ continuentur.

IV. Dato jam, potentias distingui ab anima hominis, hæc nihilominùs debebit immediatè per suam substantiam cum iis potentiis influere in actus vitales; si enim anima mediatè solùm sustentãdo voluntatẽ (quam necessariò sustentat, & nequit non sustentare) influat in actus vitales, habeatque se de cætero circa illos modo mortuo, vel potest impedire aut facere, ut voluntas sibi unita peccet, vel bene agat; & jam non poterit id aliter,

aliter, quam ſubtrahendo his actibus ſuum influxum, cùm eõſervationem ipſi voluntati ſubſtrahere nequeat; vel non poteſt id facere aut impedire, & quomodò jam actus, circa quos ſe anima habuit modo mortuo, quos neqùe procurare, neqùe impedire potuit, ipſi vertentur laudi aut vitio? certè non magìs, quàm equo imputari poſſit, quòd inſidens ipſi eques blaſphemet: quomodò jam ſalvabitur aut damnabitur anima (voluntas enim, utpote accidens, præmio aut pœnâ affici nequit) propter bonam malamve operationem, cujus ipſa principium immediatè liberum non fuit?

V. Specificarentur quoqùe hæ potentiæ probabilìùs ab animabus, ſi ab anima diſtinguerentur, tanquam à principiis diverſis (ſuppono enim illas tũc emanãdas ab anima, & non à generante aut creante producendas) ita ut potentia viſiva ranæ ſpecie differret à potentia viſiva equi, quia anima ranæ & anima equi ſpecie differunt, quàli modo alii effectus non ſtatim ſpecificantur à ſuis principiis V. G. frigus emanatum ab aqua à frigore emanato à terra. Specificarentur quoqùe ab actibus collectivè ſumptis, quos

quos transcendentaliter respiciunt diversos, ita ut ea sit diversa specie ab altera, quæ se potest extendere ad actum, ad quem se nequit extendere altera : specificarentur demum, sed mediatè, ab objectis suorum actuum, à quibus hi specificantur immediatè, ita ut illa specie ab alia distingueretur, quæ potest per actum suum tendere in objectum, in quod nequit tendere altera. Verùm isthæc specificatio potentiarum ejusdem suppositi apud nos, qui eas non multiplicamus, aut inter se distinguimus realiter, usquequaquè locum non habet, propter distinctionem tamen rationis, quâ illas ab invicem distinguimus, illis aliquo modo applicari poterit, ut nimirum ea ab altera censeatur specie logicâ differre, quæ versatur circa actus & objecta specie diversa, vel potiùs anima V. G. quatenus intellectus, potensquè elicere intellectiones, differat à se ipsa specie logicâ, quatenus est voluntas, sicquè volitiones & intellectiones vice versa non specificabuntur à diversis materialiter & realiter, sed à formaliter tantùm diversis potentiis.

VI. Sensus *est potentia organica cognoscitiva* (per quod differt à potentia vegeta-

tiva

tiva & locomotiva, item ab appetitu sensitivo & rationali, qui ut talis nihil cognoscit) *objecti solùm materialis*: per quod differt ab intellectu, cognoscente insuper spiritualia: vel etiam *est principium vitale cognitionis materialis*; quæ cognitio materialis objecti materialis est sensatio. Sensus alius est externus, residens in organo externo, ab eoquè in operando dependens, ut Visus ab oculo, quique ab objecto externo vel immediatè, vel per ejus species immutatur: alius internus residens in organo interno, nempe cerebro, qui nõ tam ab objecto immediatè movetur, quàm à sensationibus externis; & hic dicitur Phantasia, seu sensus communis, qui est quoquè in brutis, cognoscentibus per eum res absentes & præteritas. Ex sensibus externis saltem unus requiritur in animalibus, aliàs non essent viventia sensitiva. Tactus, utpote necessarius ad fugiendum noxia & dolorifera, & Gustus, utpote necessarius ad alimentum bonum à noxio discernendum, adeoq; ordine necessitatis inter sensus primi, etsi dignitate posteriores, inesse videntur singulis; & omnes 5. sensus animalibus perfectioribus. Ex his quandoquè aliqua

habentia sensus entitativè perfectiores, utpote habentia animas perfectiores, quàm alia, eliciunt operationes minùs perfectas, quàm alia imperfectiora, idquè ob perfectiora in certo genere organo; adeoq; non obstante axiomatè: *modus operandi sequitur modum essendi:*

VII. Sensibile dicitur, quod sensu exteriori percipi potest. Aliud est sensibile per se, quod per se, vel per speciem à se immediatè emissam immutat sensum, seu cognoscitur: aliud sensibile per accidens, quod cognoscitur solùm per speciem alterius sibi inhærentis, talis est substantia parietis, aut cujusvis alterius rei corporeæ, quæ nullam sui imprimit sensibus externis speciem, sed sensibilis est per accidēs à Visu v.g. vel Gustu ratione v.g. coloris vel dulcedinis sibi inhærentis, adeoq; manet adhuc eadem sensatio manente sensibili per se, mutatâ licet substantiâ huic sensibili substante: v.g. eadem visio hostiæ ante & post cōsecrationem, quia manet eadem ejus albedo & figura. Sensibile per se illud dicitur proprium, quod ab uno solum sensu est perceptibile, ut color, sonus &c. illud commune, quod à pluribus sensibus percipi

potest,

potest, talia ab Arist. numerantur 5. motus, quies (quæ hìc sumitur pro permanentia rei in eodem loco, & ad quam revocatur distantia vel vicinitas rerum, utì ad motũ duratio) magnitudo, numerus, figura: sic tactu & visu percipimus motum baculi tracti per manum, item figuram & rei magnitudinem, lævitatem & asperitatem, sic numerus trium V.G. lapidum visu, trium odorum odoratu &c. percipitur. Ubi illud advertendum; sensibile commune non cognosci per speciem distinctam à specie sensibilis proprii; (si enim id fieret, jam sensibile commune posset percipi ab eodem sensu, etiamsi esset separatum à sensibili proprio V.G. figura videri, etsi non esset colorata) sed per eandem indivisibiliter ab utroquè sensibili emissam, adeoq; utriusquè propriam, (quæ & in eo distinguitur à specie solius sensibilis proprii, quòd certo modo modificetur à sensibili communi) unde mutato sensibili communi, & permanente eodem sensibili proprio V.G. mutatâ figurâ, manente eâdem albedine, mutatur species, adeoquè visio. Porrò ad sensibile requiritur primò, ut sit reale positivum; negationes enim

utpote non entia, adeoqùe non valentia emittere sui species, sensu externo percipi nequeunt, & dum percipiuntur ab intellectu, id fit cum comparatione ad ens, cui opponuntur, quod ipsum superat virtutem cognoscitivam sensuum. Hinc dum bruta tentant exire per ostium, & non per murum, non vident loco ostii negationem muri, sed per phantasiam non apprehendunt ibi impedimentum; & canis quærens dominum suum, nullo sensu percipit negationem domini, sed per phantasiam recordatus sui domini, dum hunc non videt hìc, quærit eundem alibi. Secundò ut sit præsens, aliàs cùm agere nequeat in distans, non poterit emittere sui species in organum, à quibus tamen necessè habet compleri in ratione potentiæ proximæ; neqùe etiam sensus externus specierum semel haustarum vim conservativam habet, neqùe etiam objectum absens immediatè per se valet cum illo concurrere. Posset nihilominùs Deus speciem semel ab objecto productam conservare objecto absente, quâ instructus sensus externus poterit elicere sensationem: vel elevare objectum ad agendum in distans, in

quo

quo casu foret hæc sensatio adhuc intuitiva (quod ad omnem sensationem requiritur) utpote repræsentans objectum per proprias species ut existens pro certa temporis differentia, abstrahendo tamen, an præsens sit an absens. Quinimò posset Deus conservare speciem objecti jam destructi, vel etiam se solo producere speciem objecti nondum producti (in quo casu, dum homo judicaret objectum existere, sibiqùe præsens esse, quod non est, Deus foret occasio hujus erroris omninò physici & inculpabilis, sicuti turbans cerebrum est multorum errorum occasio) per quam videret, aut gustaret quis mel, sentiret ignem nondum productum, non tamen realiter uteretur, cùm ad realem ustionem requiratur realis existentia ignis, quæ ad sensationem (quæ est ustio quædam intentionalis, & ab ustione reali separari potest & vice versa) non requiritur. Tertiò ut sensibile sit debitè applicatum; omninò enim conjunctum, saltem cum organo Visus, sive positum supra sensorium Visus sentiri nequit. Quartò, ut objectum aliquo modo extendatur; objectum enim indivisibiliter existens, naturali-

turaliter nequit imprimere speciem divisibilem, aut immediatè movere sensum. Quintò ut sit attemperatum organo; sensibile enim nimis vehemens lædit organum, ut lux solaris intensa oculum humanum.

VIII. Nullus sensus, ne divinitus quidem, versari potest vitaliter extra objectum suum adæquatum, sive elevari ad percipiendum objectum proprium alterius sensus, quod nullo modo naturaliter potest attingere: sic auris nequit percipere colorem, oculus sonum, vel rem spiritualem: ideoque tantùm elevari potest intellectus ad videndum Deum, quia circa hunc naturaliter & obscurè versari potest. Perciperet enim tale objectum, ut dicitur, & non perciperet V.G. auris colorem, quia videre, non est solùm, speciem expressam qualitercunque procedere à tali principio vitali, nimirum aure, illiquè inhærere (quod facile admittent Patroni potentiæ obedientialis illius latissimæ) aliàs & lapis sic elevatus ad verbum mentis producendum, posset per illud intelligere; sed est producere terminum, exigentem connaturaliter procedere à tali princi-

principio, eiq; inhærere, qualiter species expressa visiva non exigit procedere ab aure, illique inhærere.

IX. Errare quidem non potest sensus errore strictè dicto, judicando aliqua identificari, quæ inter se identificata non sunt, vel contra; potest tamen absque affirmatione & negatione aliter repræsentare rem, quàm illa reverà in se sit; idque vel ratione organi malè dispositi, ut dum propter palatum bile infectum dulcia videntur amara: vel ratione medii, ut dum per vitrum rubrum omnia apparent rubra, vel dum propter nimiam distantiam, quadrata videntur rotunda, vel ex varia incidentia lucis, reflexione & refractione specierum. Quibus non obstat, species, utpote naturales objecti imagines, semper illi esse conformes: nam repræsentarent hæ objectum sicut est, si transire non deberent per medium vitiatum, cum cujus speciebus confunduntur, aut nisi organum invenirent indispositum. Ubi observandum est, errari frequentiùs circa objecta communia, & non tam circa sensibilia per se, quàm circa sensibilia per accidens.

X. Species impressas sensibiles dari suppono, Arist. L. 2. de ani. c. 12. inquiente: *sensus est susceptivum formarum sine materia, ut cera annuli, sine ferro & auro recipit signum* &c. Idque ideo, quia objectum sæpè est distans, sensorioq; improportionatum adeoq; debet sensui fieri præsens & proportionari per aliquid sui vicarium, emissum à se, & transmissum per medium, quale quid, si non transfunderetur per medium, cur interjecto inter parietem & oculum corpore opàco hic non videtur? quare Petrus stans mihi à tergo videtur à me in speculo, si nihil emittatur à Petro, quod dein reflexum à speculo, mittitur ad organum Visus? cur per vitrum rubrum vel polygonum appareret objectum rubrum vel multiplex, si nihil per talia vitra trajiciatur, unàque cum speciebus horum colorum commisceatur? cur baculus dimidiâ parte immersus aquæ apparet fractus? nisi quia aqua medium est densius, adeoque pars baculi intra illam apparet nobis remotior &c. Est autem species impressa sensilis accidens corporeum (utpote producta ab accidentibus corporeis, colore, sapore, sono &c. recep-

receptaque in organo corporeo, quales non sunt, species impressæ intellectivæ spirituales, quas intellectus adjutus à phantasmate sibi fabricat) *seu qualitas* (possunt enim species referri ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam, cùm dent sensui simpliciter posse agere) *determinans & complens sensum* (utpote indifferentem ad hoc potiùs, quàm aliud objectum cognoscendum, & se solo non sufficientem) *cumque eo efficiens actum vitalem intentionalem, seu formalem similitudinem objecti, cujus ipsa est vicaria* (utpote distantis & improportionati, quale si objectum non esset, posset absque sui specie cum sensu ad sui cognitionem concurrere, uti Deus de facto immediatè sine specie sui impressa cum intellectu Beatorum concurrit ad sui visionem) *& similitudo virtualis, seu causalis*, quia virtute in se continet, & efficienter comproducit imaginem formalem internam, seu speciem expressam & cognitionem objecti; non enim in genere causæ formalis solùm inhærendo potentiæ vel organo, illam ad operandum determinat, sicut præmissæ formales inhærendo

rendo intellectui eundem inclinant & determinant ad hanc potiùs, quàm aliam conclusionem inferendam; absque influxu simultaneo in illam, quia absque iis per species objecti impressas intellectus completus est ad efficiendam conclusionem. Et hoc est, quod docet D. Thom. Non sunt autem species hæ similitudo objecti realis (prout τὰ *reale* opponitur *intentionali*) entitativa, sive non sunt ejusdem rationis & essentiæ cum objecto, qualis similitudo est inter duas albedines, quarum una ideò alterius dici potest imago; non enim sunt ejusdem cum calore, sapore &c. rationis, sive non sunt albedo, nigredo, dulcedo &c. qualis si essent species, diversissimi colores reciperentur in eadem aëris & oculi parte, quin & qualitates contrariæ; poneretarquè ipsum sensibile supra sensorium Visus. Neq; est hæc objecti imago veluti idolum quoddam (quale est imago Cæsaris, quæ etsi diversæ rationis essentiam habeat cum Cæsare, habet tamen colores & lineamenta similia) & imago objectiva; species enim, saltem dum directè ab objecto in oculum emittuntur, non videntur ut

quod

quod, sive ipsæ priùs cognitæ *ut quod*, non repræsentant objectum, quidquid sit de eo, num ipsæ species certa ratione per lumen aliasque circumstantias modificatæ & in corpus opacum V.G. in speculum, vel per orbiculare vitrum in chartam applicatam ad foramen conclavis undiquè obscurati incidentes, colorentur colore quodam secundario & transeunte fiantquè in se sensibiles & videantur *ut quod*.

XI. Videntur externi sensus omnes egere speciebus; etsi enim objecta secundùm esse suum materiale magis crassum & improportionatum sint quandoquè sensibus præsentia, conformius tamen videtur, ut sint iisdem præsentia secundùm esse intentionale, magis subtile, viciniùsquè accedens ad spirituale, quod esse objecti sunt species, sive ut sint sensorio præsentia præsentiâ intētionali, id est, tali, quæ ipsa sit unita cum sensu & cum eo coeffectiva speciei expressæ. Et hoc quidem juxta principiū D. Thom. & Peripateticorum cōmune: potentiæ cognoscitivæ constituuntur in actu primo proximo per elevationem à materia, id est, per receptionem formæ minùs materialis.

Multò verò magis sẽsus internus eget speciebus; illi enim utpote interno, adeoque ab objecto externo distante, objectum aliter, quàm per speciem sui applicari nequit; frequentissimèq; imaginatur hic sensus sibi res præteritas, longè absentes, quod sine speciebus fieri nequit, item nihil sibi imaginari potest, cujus, aut cui similes non aliquandò per sensus hausit species. Non tamen objectum, sed ipsa sẽsatio externa, seu potiùs species hujus sensationis expressa producit has species phantasticas impressas, continuando eas per nervos sensorios in ipsum cerebrum usquè, in quo & conservantur, excitatæque dein serviunt ad objecta præterita, etiam absque sensatione externa, percipiendum.

XII. Species hæ impressæ sunt divisibiles: primò extensivè, ita ut una earum pars sit in hac parte aëris & oculi, alia in alia parte aëris & oculi; sunt enim materiales, & è subjecto materiali & divisibiliter extenso eductæ. Secundò intensivè, dum plures earum partes sibi & eidem subjecti parti uniuntur (qualiter sibi non uniuntur species objectorum, etiam solò numero distinctorum, sibiquè similliorum, penetrantes se in eade subjecti parte,

cui

cui etiam uniuntur, adeoque non faciunt intensionem) nam species ab objecto remotiore producuntur obscuriores, à viciniore clariores, cum potentiâ, etiam minùs perfecta producentes clariorem cognitionem. Tertiò objectivè seu repræsentativè, ita ut non quælibet pars speciei repræsentet totum objectum, sed alia speciei pars repræsentet objecti partem A, alia partem B; producuntur enim species ita ab objecto, ut una pars objecti independenter ab alia producat partem speciei, & alia aliam speciei partem, & non quælibet objecti pars producit totam speciem; nam agentia partialia tum agunt actione communi, producuntque singula totum effectum, quando eum continent saltem inchoativè, uti plures ignis partes producunt totum calorem, quia singulæ illum inchoativè saltem continent, pes autem ne inchoativè quidem continet speciem capitis, adeoq; non agit cum eo actione communi: quod ex eo quoque patet, dum una pars objecti contegitur, altera pergit eodem modo emittere speciem sui in oculum sicut ante; neque enim id fit per speciem adæquatè aliam, & toties mutatur adæquatè species,

quoties vel minima objecti pars tollitur, aut mutatur; multiplicarentur namqùe hac ratione entia sine sufficiente necessitate. Quod autem vel minimâ objecti parte mutatâ, mutetur tota species expressa, eaqùe possit indivisibiliter repræsentare plura objecta, inde est, quòd non producatur immediatè ab his pluribus objectis, sed à speciebus impressis objectorum, quæ omnes secundùm omnes sui partes indivisibiliter concurrunt ad speciem expressam, idqùe ideo, quia illa non est imago speciei impressæ, sicut species impressa imago est objecti & simul effectus, sed tantùm effectus. Neqùe itaqùe, dum una arbor sola à longe non videtur, quæ postea aliis conjuncta videtur, ratio est, quòd objectum totum postea producat aliam speciem indivisibilem intensiorem, sed quòd species, quam arbor una sola priùs emittebat tam debilem, ut potentiam immutare non posset, roboretur dein à pluribus partibus specierum, seu speciebus partialibus aliarum arborũ, objectum enim majus, quia pluribus constat partibus, faciliùs trajicit species ob earum multitudinem. Neqùe, dum in qualibet

bet aëris parte totum videtur objectum; hujus enim ratio est, quòd quælibet objecti pars producat sui speciem in qualibet aëris parte, sive radiet in quamvis medii partem, ad quam potest duci linea recta, adeoque in singulis punctis penetrentur omnium partium objecti species. Et sic, dum intueor gramina prati, erunt plures species solo numero distinctæ, nihilominus officio & habitudine diversæ; singulæ enim tantùm suum repræsentant objectum, & ad illud tantùm dicunt habitudinem.

XIII. Causa specierum sensuum externorum finalis est sensatio; Causa materialis sive subjectum inhæsionis earum aliud dicitur terminans, & est pupilla v.g. oculi, aliud deferens, & est medium, per quod diffunduntur. Ex utroque educuntur ab objecto agente uniformiter difformiter, ita ut in aëre sibi viciniore producat intensiores, in remotiore remissiores, decrescitque paulatim vis ejus activa, donec tandem extra sphæram activitatis nihil possit. Et quia hæc causa, à qua dependent in conservari, perire potest aut amoveri, ipsæ ex natura sua sunt corruptibiles. Unde, dum quis intuitus can-

cancellos luce perfusos, clausis dein oculis videtur sibi videre adhuc aliquod lumen, non sunt hæ perseverantes luminis species, sed totum id phantasiæ, in qua ejusdem perperseverant species, est adscribendum.

XIV. Visvs organũ est oculus, cujus pars extima ambiens connectensque illum capiti, dicitur *tunica adnata*, & ob colorem alba, seu album oculi; in hujus medio sequitur *tunica cornea*; post hanc *tunica uvea*, intus nigra ad lumen externum temperandum, exteriùs coloris varii, in anteriore parte rotundo pertusa est foramine ad intromittendas species in humorem crystallinum: & inter hanc & præcedentem humor continetur aqueus. Huic subest *tunica reticularis* subtilissimis intexta arteriis: post illam est *specularis* seu *aranea*, tenuissima & densissima, humorem crystallinum ambiens operimentũ, post quem humorem est humor vitreus. Nervos duos singuli habent oculi, unus motorius, deserviens motui & nutritioni oculi, proveniens à cerebro, desinens in tenues membranas, quibus album oculi apprehendit: alter sensorius seu opticus deserviens visioni, utpote per quem spiritus animales ad

visio-

visionem necessarii à cerebro in oculum transmittuntur; desinit ille in centrum oculi, & evolvitur in tres principaliores oculi tunicas, exterius nimirum hujus nervi involucrum, à dura matre ortum ducens, in tunicam corneam, alter hujus nervi tubus, à pia matre proveniens, in tunicam uveam, tertius demum ab ipsa cerebri substantia ducens originem, desinit in tunicam reticularem seu retinam. Visio non fit in humore crystallino, utpote qui animatus non est, & diaphanus est, adeoque non sistit in se species, ulteriùs per illum ad fundum retinæ pervadentes: sed fit in tunica reticulari post tergum humoris vitrei, utpote ad quam procurrit interior canalis nervi optici, quæque à tergo habet tunicam uveam opacam, suâ opacitate sistentem species, ut plumbum in speculo. Sicque species primò decussantur in humore crystallino ad foramen tunicæ uveæ, posteaque iterum refringuntur, & decussantur, & consequeter eriguntur in humore vitreo, distinctæque & erectæ incidunt in retinam; neque enim opus est, admittere primam decussationem fieri in humore aqueo; hic namque simul est cum humore crystallino in foramini-

ramine uveæ adeoqùe non facit decussationem diversam ab ea, quæ fit in humore crystallino, sicut si vitrum secundùm in tubo tangeret primum. Objectum proprium & adæquatum Visus est color & lux, ita ut utrumqùe sit objectum formale *quod*; hæc enim duo per propriam sui speciem movent Visum; figura autem, motus cæteraqùe objecta communia, videntur per species indistinctas à speciebus coloris & lucis, quas certo modo modificant, unaqùe cum colore indivisibiliter emittunt. Porrò licet lumen absqùe colore videri possit, ut patet in aëre, color tamen videri nequit, nisi sit illuminatus; an autem lumen, quod ad videndum concurrit, sit causa coëfficiens speciem coloris, an tantùm conditio necessariò requisita ad hoc, ut color producat speciem, in dubio est, posterius videtur probabilius. Definitur color, quòd sit *qualitas orta ex temperie primarum qualitatum* (puris enim elementis non inest color propriè, & pro ut horũ qualitates v. g. siccitas, calor, frigus variè temperãtur, varius in mixtis apparet color) *afficiens corpus mixtum, quatenus perspicuitatẽ aliquam habet opacitate terminatã*, id est, quòd color sit visibile exi-

existens in corpore, vel potiùs in superficie corporis terminati seu opaci; licet enim etiã in intimis lactis partibus sit albedo, non videtur tamen, nisi in ejus extremitate. Lux definitur, quòd sit *actus perspicui ut perspicuum est*, id est, qualitas realis reddẽs corpus actu perspicuum seu diaphanũ, vel secundùm omnes partes, ut aërẽ, vitrum &c. vel secundùm superficiem, ut lapidem ferrũ &c. Distinguitur lux à colore reali & permanente; colores enim hi inter se distinguuntur specie, habent contrarium, quæ de luce dici nequeunt; crescente item & decrescente luce manent iidẽ, quinimò corpora opaca intrinsecus sunt colorata. Colores è contra apparentes & transeuntes v. g. iridis, colli colũbini &c. sunt lux variè incidẽs & reflexa vel refracta; hac enim incidentiâ reflexione &c. variatâ variantur, quin etiã, præterquã quòd sui species mittant per mediũ, illud illuminant, ut patet in iride, quod veri colores non faciunt. Neq; obstat, quòd omne visibile, vel sit lux pura, vel lux aliqualiter obscurata ab opacitate subjecti; colores enim permanẽtes cõsistunt in luce quadam ingenita subjecto ex principiis subjecto intrinsecis; colores verò transeuntes in luce ad-

adventitia subjecto, quam v. g nubes roscida, in qua iris depingitur, excipit à sole, quæ quoque aliqualiter ab opacitate hujus sui subjecti obscuratur.

XV. AUDITUS organum est auris. Hujus pars exterior ad irruentes sonos colligendos ordinata, dicitur *auricula*, constans parte interiore in modum antri excavata, cujus pars superior *ala*, sequens *ambitus gibbosus*, sequens *concha* dicitur, cavitas juxta meatum auditorium, in quo excrementa cerebri residunt, *alvearium*, pars deniqùe inferior magis carnosa, *lobus* appellatur. Pars auris in cranio recondita, sub initium meatū habet flexuosum instar cochleæ ad infringendos sonos; desinit ille in foramen angustum, quod *cæcum* dicitur, ducitqùe ad substantiam quandam tenuem, quæ *aër innatus* dicitur, locus hunc aërē cōtinens *pelvis* dicitur: huic aëri membrana tenuis obtenditur, quæ quia densa, extensa & sicca est, *tympanum* vocatur, desinit illa in nervos auditorios devehendis spiritibus animalibus deservientes; fulcitur tribus ossiculis, quorum primum *incus*, alterum *malleolus* tertium *stapes* dicitur, quæ ossicula aliqui immota, alii mobilia putant, hæ-

riqùe

riqùe hìc aliquam percussionem. Auditio non fit in aëre innato, utpote qui animatus non est, & qui habet se respectu auditionis, sicut humor crystallinus respectu visionis: sed in tympano, utpote quod continuatur cum nervis auditoriis, adèoqùe cum ipsa cerebri substantia, habetqùe se sicut retina respectu visionis. Objectum proprium adæquatum est sonus, qui est *qualitas producta ex percussione corporis sonori, sive ex collisione corporum sonitivorum, per motum localem per medium propagata, auditu perceptibilis, sive movens potentiam auditivam ad auditionem:* Porrò sonorum est corpus durum (vel permanenter, ut lapis, lignum, metallum, vel per accidens & transeunter durum, ut aër, aqua, lana &c. per motum velocem virgæ percutientis durata seu condensata) quod dum percussum totum in se tremit, & minutis veluti crispitationibus, quandoqùe tactu perceptibilibus, concutitur, aërem quoqùe repellit, imprimendo ei similes crispitationes, sicqùe producit sonum qualitatem ab hoc vibrationis motu dictisqùe crispitationibus distinctam, per eas tamen propagandam. Hinc tria requiruntur ad producendum so-

num,

num, corpus percutiens, percussum & medium, in quo recipitur, & per quod propagatur sonus, quæ quandoquè tria sunt corpora discontinua & diversæ rationis, quandoquè duo, ut dum aër percussus virgâ sonat; ibi enim pars aëris durata habet rationem corporis percussi & sonantis, alia pars aëris remanens rara cum priore continua retinet rationem medii. Causa efficiens soni est tam corpus percutiens, quàm percussum; dum enim corpus percutiens directè imprimit percusso motum vibrationis, est causa directa soni, dumquè corpus percussum percutienti resistit, facit illud resilire, imprimit percutienti proportionalem motum vibrationis, & sic reflexè causat sonum. Causa materialis seu subjectum soni & specierum audibilium est corpus mobile hoc motu crispitationis, ad quem aptissima sunt corpora fluida v. g. aër, quamvis & alia solida, ut muri, etsi imperfectiùs sint transonantia; Neqùe est incredibile sonum penetrare in cubiculum undiqùe muris clausum, muros moveri hoc motu crispitationis (cùm illa murorum crispitatio etiam tactu percipiatur ad explosionem bom-

bombardæ. Quinimò fit hic crispitationis motus adhuc aliquo usquè in aëre versùs partem vento validissimo contrariam (versùs illam enim adhuc percipitur aliquis sonus) etsi valde à vento impediatur, sicut fluvius rapidissimè latus in unam partem, recipit adhuc motus crispationis & undationis in partem contrariam ex projectis in illum lapillis.

XVI. ODORATVS organum, sunt nares saltem in animabilius perfectioribus; Bini narium canales ad cerebrum ascendentes discriminantur cartilagine, quæ *interspta* dicitur; osquè illis bipartitum, superponitur quòd *cribrum* dicitur, utpote repletum foraminibus, inter quæ duo sunt majora singula singulis canilibus respondentia, quibus insident duo tubercula mamillarum papillis similia *caruncula mamillares* dicta, quæ inspiratione narium dilatantur respiratione continguntur. Ad has caruncules terminantur duo canales ex una parte ad cerebrum pro devectione excrementorum cerebri servientes, ab altera ad palatum pro attractione aëris. Odoratio fit in dictis

dictis carunculis, utpote mollioribus, frigidis, humidioribus, adeoque proportionatis ad hoc, ut moveantur ab odore calido & ficco, sive fit in extremitate duorum istorum nervorum, è cerebro ad os spongiosum descendentium. Objectum adæquatum Odoratus est odor, qui est *qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum, prædominante siccitate & calore, à corpore sicco & calido, attenuato in subtilem halitum & vaporem, diffusa per aërem vel aquã, movens potentiam odorativam ad odorandum*: qui tamen halitus seu vapor non est ipse odor, sed vehiculũ deferens & diffundens odorem, sicut spiritus vitales non sunt ipse calor, sed revehunt, diffunduntque calorem, vel ejus species.

XVII. Gvstvs organum minùs principale est palatum, principale lingua, & maximè ejus extremitas; hæc enim, utpote laxa & spongiosa, adeoque bibula humoris aquei, qui vehiculum est saporis, aptissima est, ut moveatur ad actum gustandi. Objectum adæquatum gustus est sapor, qui est *qualitas à corpore sicco terrestri à calore diffusa in humido aqueo per liquefactionem, movens potentiam gustativam ad gustum*. Hinc causa sapo-

saporis est corpus sapidum, id est siccum siccitate terrestri, à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc in hoc humido diffusivum saporis: hi liquores sapidi contrahunt saporem per hoc, quòd in humido aqueo liquefactum sit aliquod siccum terreum; imò sunt ipsum humidum, in quo liquefactum est tale corpus; adeoque causa materialis saporis.

XVIII. TACTVS organum diffusum est per totum viventis corpus. Objectum illius sunt qualitates tangibiles, quales primò sunt calor, frigus, humiditas, siccitas; secundò durities, mollities, asperitas lævitas; tertiò qualitates quædam doloriferæ, aliæque innominatæ, ortæ ex convulsione vel compressione partium animalis; quartò impulsus.

XIX PHANTASIA est *potentia materialis cognoscitiva, ordinata ad percipienda objecta omnium sensuum exteriorum ipsasque sensationes*; unde & sensus communis dicitur Re unus est hic sensus internus; etsi enim unâ cerebri parte læsâ impediatur in ordine ad aliquas operationes v. g. rememorationes; & non in ordine ad aliàs v. g. imaginationes ob-

dictis carunculis, utpote mollioribus, frigidis, humidioribus, adeoque proportionatis ad hoc, ut moveantur ab odore calido & ficco, sive fit in extremitate duorum istorum nervorum, è cerebro ad os spongiosum descendentium. Objectum adæquatum Odoratus est odor, qui est *qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum, prædominante siccitate & calore, à corpore sicco & calido, attenuato in subtilem halitum & vaporem, diffusa per aërem vel aquã, movens potentiam odorativam ad odorandum*: qui tamen halitus seu vapor non est ipse odor, sed vehiculũ deferens & diffundens odorem, sicut spiritus vitales non sunt ipse calor, sed revehunt, diffunduntque calorem, vel ejus species.

XVII. Gvstvs organum minùs principale est palatum, principale lingua, & maximè ejus extremitas; hæc enim, utpote laxa & spongiosa, adeoque bibula humoris aquei, qui vehiculum est saporis, aptissima est, ut moveatur ad actum gustandi. Objectum adæquatum gustus est sapor, qui est *qualitas à corpore sicco terrestri à calore diffusa in humido aqueo per liquefactionem, movens potentiam gustativam ad gustum*. Hinc causa sapo-

saporis est corpus sapidum, id est siccum siccitate terrestri, à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc in hoc humido diffusivum saporis: hi liquores sapidi contrahunt saporem per hoc, quòd in humido aqueo liquefactum sit aliquod siccum terreum; imò sunt ipsum humidum, in quo liquefactum est tale corpus; adeoque causa materialis saporis.

XVIII. TACTVS organum diffusum est per totum viventis corpus. Objectum illius sunt qualitates tangibiles, quales primò sunt calor, frigus, humiditas, siccitas; secundò durities, mollities, asperitas lævitas; tertiò qualitates quædam doloriferæ, aliæque innominatæ, ortæ ex convulsione vel compressione partium animalis; quartò impulsus.

XIX PHANTASIA est *potentia materialis cognoscitiva, ordinata ad percipienda objecta omnium sensuum exteriorum ipsasque sensationes*; unde & sensus communis dicitur Re unus est hic sensus internus; etsi enim unâ cerebri parte læsâ impediatur in ordine ad aliquas operationes v. g. rememorationes; & non in ordine ad aliàs v. g. imaginationes ob-

jectorum præsentium, non arguit id tamen diversas cerebri partes, distinctorum sensuum internorum, memoriæ nempe sensitivæ, æstimativæ, & sensus communis, diversa esse organa, sed ideo id accidit, quòd in una parte copiosiores spiritus, major siccitas, meliores dispositiones necessariæ magis sint ad has, quàm alias operationes, adeoque hac dispositionum copiâ, in tali parte diminutâ vel turbatâ, redditur anima ineptior ad tales, quàm alias actiones. Officio multiplex est: quatenus cognoscit objecta sensuum externorum præsentia, dicitur sensus communis: quatenus conservat species sensibiles, perquè eas cognoscit objecta absentia priùs cognita, dicitur memoria sensitiva: quatenus cognoscit objecta aliàs nunquam cognita ad similitudinem quandoquè cognitorum, dicitur imaginativa: quatenus disjungit, combinatve objecta contra quòd naturaliter dividi, aut combinari possunt dicitur phantasia: quatenus cognoscit objecta sub ratione quadam insensata convenientiæ vel disconvenientiæ v. g. dum ovis hanc herbam apprehendit sibi ad pastum salutarem, dicitur æstimativa. Datur hic sensus

sus non tantùm in hominibus, ut colligere est ex eo, quòd nimio studio doleat caput, impediatur concoctio, quod non fieret, nisi unà cum intellectu semper operaretur phantasia, immediatè ab organo corporeo, spiritibus vitalibus & animalibus dependens, quibus absumptis læditur caput: sed etiam in brutis; dum enim canis videt baculũ, fugit, quia meminit alterius baculi & per illum causati doloris & sensationis, quæ sensibus externis adscribi nequeunt, utpote per quos non percipitur sensatio ipsa v.g. per Visum visio, per Tactum tactio; licet enim in ratione actus proportionata sit sensatio sensui externo, est tamen ei in ratione objecti improportionata. Organum illius in animalibus perfectis est cerebrum secundùm substantiam suam, vel secundùm partes solidiores, mẽbranas, venas, fibras &c. in sententia negantiũ, ipsam cerebri substantiam esse animatã; ex nimia enim contentione dolet caput, non cor, delirantibus adhibetur medicina in cerebro, non in corde. In brutis imperfectionibus est quid aliud vices cerebri supplens. Objectum illius adæquatũ sunt omnia objecta sensuũ externorum eorumque actus, ut patet in somnian-

tibus; actus item proprii, supra quos saltem imperfectè se poterit reflectere; objecta quoqùe quædam alia à sensibus externis insensata v. g. ratio convenientiæ vel disconvenientiæ, proportio colorum &c. quorum species probabiliùs infunduntur brutis ab auctore naturæ, utpote necessariæ ad conservationem vitæ & propagationem generis.

XX. APPETITUS SENSITIVUS est *potentia vitalis, materialis, quæ affectivè fertur in objecta tantùm per sensationem externam & internam cognita.* Datur in omni animante; & sicut in homine est duplex cognitio, sensitiva & intellectiva, sic in eodem est duplex appetitus sensitivus & rationalis, quorum prior sæpe contra rationis advertentiam & præscriptum, citraqùe omnem voluntatis & appetitus rationalis consensum fertur in objecta sensibilia; Appetitus hic sensitivus re unicus est, officio multiplex; alius enim dicitur concupiscibilis, pro ut fertur in bonum secundùm se, sive illud sit arduum, sive non; & hujus actus sunt sperare absens, gaudere de præsente, dolere de absente. Dicitur irascibilis, pro ut fertur in bonum arduum ut arduum, vindicativè tollendo impedimenta ad fruen-

fruendum illo, gaudet de vindicta hac facta, dolet, quòd ea fieri nequeat. Hi utriusque appetitus actus dicuntur passiones, quia conjuncti sunt cum aliqua passione seu commotione sanguinis, & spirituum. Porrò huic appetitui subordinatur potentia loco motiva, eique quò ad motum progressivum despoticè imperat, quamvis in homine, unà cum appetitu sensitivo subjecta sit voluntati. Organum appetitus sensitivi in animantibus præditis corde, cum Arist. censemus esse cor; anxietas enim, amor, odium, ira, tristitia, gaudium, qui sunt actus hujus appetitus, maximè in corde sentiuntur. Ad quod aiunt adversarii; etsi hæ cordis dilatationes, cõstrictiones effervescentia &c. recipiantur in corde, actus tamen ipsos appetitus, ad quos hi motus propter nervorum connexionem, sympathiam organorum, motionem vel defectum spirituũ sequuntur, recipi in cerebro, sicut nos dicimus, quòd licet cognitio sensus communis recipiatur in cerebro, posse tamen appetitum, qui à tali cognitione non dependet efficienter, recipi in corde; Quæ cùm utramque sententiam reddant æquè probabilem, non est ratio, cur ab Arist. recedamus.

DISSERTATIO TERTIA

De Intellectu & Voluntate.

I. INtellectus humanus *est potentia cognoscitiva purè spiritualis animæ rationalis.* Adjiciunt quidam: *cognoscitiva per discursum & species à sensibus haustas*, utpote qui est modus cognoscendi intellectui humano maximè connaturalis & proprius, præsertim pro statu conjunctionis. Quatenus à phantasmate abstrahit, unaqùe cum illo concurrente fabricat sibi species impressas intelligibiles, dicitur intellectus agens; quatenus productas à se has species recipit, dicitur intellectus possibilis seu patiens: quatenus unum ex altero deducendo ratiocinatur, dicitur ratio: quatenus judicat volitiones esse bonas vel malas, dicitur conscientia: quatenus recordatur præteritorum, dicitur memoria.

II. Actus intellectus (ut sparsas per Philosophiã ejus divisiones sileã) alius est intuitivus, qui strictè acceptus est cognitio, quâ cognoscitur objectum clarè, immediatè in se, vel per species proprias (quales censentur adhuc eæ, quas Deus infunderet, dummodò eodem

eodem modo repræsentativæ sint objecti, ac species ab eo emissæ) ut existens pro certa temporis differentia, præteriti, præsentis vel futuri: alius abstractivus, quo objectum cognoscitur obscurè, vel per species alienas, vel in alio, abstrahens ab objecti existentia. Alius est comprehensivus, qui strictissimè acceptus est cognitio adæquans cognoscibilitatem objecti extensivam, id est, repræsentans omnia, quæ in objecto sunt formaliter vel eminenter, sive omnia ejus prædicata absoluta & respectiva in particulari (quæ posteriora cognosci perfectè non possunt, nisi perfectè quoquè cognoscantur horum respectuum termini, & horum terminorum rursus prædicata respectiva &c.) talem cognitionem, tam respectu suiipsius, quàm creaturarum dari in solo Deo, manifestum est; adæquans præterea objecti cognoscibilitatem intensivam, id est, repræsentans objectum cum tanta claritate & perfectione, quanta juxta exigentiam & activitatem objecti haberi potest: aliquantò tamen mitiùs acceptus, est cognitio repræsentans objectum secundùm omnia prædicata absoluta, & præcipua rela-

tiva, ita tamen, ut eorum termini, non nisi secundùm rationem specificam repræsententur. Huic opponitur actus non comprehensivus, cui aliquid ex jam dictis deest.

III. Species impressæ intelligibiles necessariæ sunt intellectui, tam ad operationes, quibus objecta primò cognoscit, quàm quibus cognitorum recordatur, (nisi fortè objecta sint intimè intellectui præsentia, & ad eundem per se ipsa movendum maximè proportionata, qualis Deus est respectu intellectus Beatorum) etiam præsente phantasmate. Intellectus enim, qui de se proximè impotens est, & indifferens ad cognoscendũ hoc, vel illud, vel nihil, quemqùe objecta, præsertim materialia & absentia, per se ipsa movere non possunt, neqùe etiam illi conjungi per aliquod materiale sui vicarium, neqùe per ipsam speciem expressam phantasticam, utpote etiam materialem, adeoqùe adhuc improportionatam, debet determinari ultimò, & proximè moveri ad cognitionem spiritualem, & constitui illi objectum proximè intelligibile per aliquod spirituale, quod objecto det veluti esse aliquod spirituale, sive spiritualizet illud sicut

(sicut nec voluntas, utpote spiritualis, moveri potest à sensatione) sed talis est species impressa, quam intellectus concurrente secùm phantasmate fabricat, sive quam abstrahere dicitur à materialitate objectorum & phantasmatum, ergo. Neque dicas: eo ipso, quòd cognitio sit in intellectu, voluntas elicit suos actus absque ulla alia specie, ergo eo ipso, quòd phantasma sit in phantasia, intellectus sine alia specie producit speciem expressam seu cognitionem; intellectio enim, cùm sit objecti repræsentatio, exigit objectum tanquam comprincipium per se vel per quid aliud proportionatum potentiæ cognoscitivæ conjungi ad se efficiendam, qualiter volitio, cùm sit solùm prosecutio vel fuga objecti, non exigit illud ita conjungi potentiæ volitivæ ad se efficiendam.

IV. Species impressæ non rememorativæ producuntur ab intellectu; exigunt enim, utpote spirituales, principium spirituale, quale hîc non est aliud, quàm intellectus: recurrere autem ad Deum, ubi adest causa secunda, non est conveniens. Verum quidem est, non potentiam, sed objectum producere species,

sed tunc, quando illud ad hoc proportionatum est. Concurrit tamen ad has species producendas phantasma; sunt enim hæ species virtualis imago objecti, quod illis præcisè ex se dare non potest intellectus, à quo tantùm habent, quòd sint spirituales, ergo hanc formalitatem habere debent à phantasmate, quod est formalis imago objecti. Et quidem coëfficit illas phantasma in genere causæ efficientis; cùm enim concurrat ad illas loco objecti, debet in eo genere concurrere, quo solent objecta concurrere ad species producendas. Ad hæc debet intellectus ad has species producendas non tantùm determinari, sed & compleri, utpote de se insufficiens; Ité debet cõpleri per aliquid, quod possit dare his speciebus rationem imaginis objecti, quæ illis à nullo dari potest, nisi quod influit in eas efficienter. Demum si phantasma est causa tantũ exemplaris specierũ, ergo intellectus agẽs quà talis, est cognoscitivus; causa enim exemplaris non aliter determinat efficientẽ, quã per cognitionem sui. Atqui ex his sequitur nullas species rerũ quæ non fuerunt, vel per proprias, vel per alienas, vel per unam, vel per multas species in phantasia, esse in intellectu pro sta-

tu

tu conjunctionis. Species verò rememorativæ producuntur effectivè à solis intellectionibus, quibus pereuntibus cõservantur à solo Deo, dependenter tamen ab intellectu tanquam subjecto sustentationis; producuntur enim species connaturaliter à suo objecto, si hoc præsens est & proportionatũ; sed intellectiones sunt objecta respectu harũ specierũ, præsentia intellectui & proportionata; ergo. Et hinc patet, has species nõ esse verbũ mentis post actum relictũ, & à solo Deo non vitaliter conservatum; illud enim utpote vitale, quotiescunq; non vitaliter conservatur, conservatur supernaturaliter. Quibus rememorativis speciebus pluribus instructus intellectus, potest dein ex virtute sua uti illis per apprehensiones, judicia & discursus conjungẽdo, disjungendove illas, purificandoq; illas à materialitate, quã repræsentativè continent, per viã remotionis removendo, vel negando imperfectiones rerum corporearum, ab eo, quod cognoscit: unde postea rerũ aliarũ, ad quas sensus immediatè, perq; proprias rerũ species nõ præiverant, consequitur cognitio.

V. Sunt species hæ rememorativæ incorruptibiles, quia nec subjectum illorum,

neque causa conservativa perit, neque etiam habent contrarium. Et hinc est, quòd anima in statu separationis ope harum specierum, quas in eo statu retinet, recordetur rerum in corpore gestarum. Dum ergo rerum obliviscimur, accidit illud, quia species non excitantur, eo quòd vel species phantasticæ rememorativæ, vel totæ, vel ex parte per humores nimios aliaque accidentia cerebrum occupantia deletæ interierint; vel quòd aliæ species recentiores & intensiores aliorum objectorum faciliùs excitentur, & vivaciùs occurrant. Quòd autem horum potiùs, quàm aliorum recordemur est, quia phantasia circa talia, & non alia objecta versatur, ipsæ autem species rememorativæ phantasticæ excitantur, dum sensus simile aliquod objectum, aut quid cum eo connexum percipiunt, vel dum in hac vel illa cerebri parte, ubi hæ, & non aliæ species subjectantur, prædominantur vel amoventur humores tales aliudve temperamentum, vel etiam excitatâ unâ, excitatur species alia illi cognata vel vicina.

VI. VOLUNTAS est *potentia spiritualis per actus elicitos* (per quod distinguitur ab appetitu innato) *appetitiva*. Objectum ejus adæ-

tu conjunctionis. Species verò rememorativæ producuntur effectivè à solis intellectionibus, quibus pereuntibus cõservantur à solo Deo, dependenter tamen ab intellectu tanquam subjecto sustentationis; producuntur enim species connaturaliter à suo objecto, si hoc præsens est & proportionatũ; sed intellectiones sunt objecta respectu harũ specierũ, præsentia intellectui & proportionata; ergo. Et hinc patet, has species nõ esse verbũ mentis post actum relictũ, & à solo Deo non vitaliter conservatum; illud enim utpote vitale, quotiescunq; non vitaliter conservatur, conservatur supernaturaliter. Quibus rememorativis speciebus pluribus instructus intellectus, potest dein ex virtute sua uti illis per apprehensiones, judicia & discursus conjungẽdo, disjungendove illas, purificandoq; illas à materialitate, quã repræsentativè continent, per viã remotionis removendo, vel negando imperfectiones rerum corporearum, ab eo, quod cognoscit: unde postea rerũ aliarũ, ad quas sensus immediatè, perq; proprias rerũ species nõ præiverant, consequitur cognitio.

V. Sunt species hæ rememorativæ incorruptibiles, quia nec subjectum illorum,

neque causa conservativa perit, neque etiam habent contrarium. Et hinc est, quòd anima in statu separationis ope harum specierum, quas in eo statu retinet, recordetur rerum in corpore gestarum. Dum ergo rerum obliviscimur, accidit illud, quia species non excitantur, eo quòd vel species phantasticæ rememorativæ, vel totæ, vel ex parte per humores nimios aliaque accidentia cerebrum occupantia deletæ interierint; vel quòd aliæ species recentiores & intensiores aliorum objectorum faciliùs excitentur, & vivaciùs occurrant. Quòd autem horum potiùs, quàm aliorum recordemur est, quia phantasia circa talia, & non alia objecta versatur, ipsæ autem species rememorativæ phantasticæ excitantur, dum sensus simile aliquod objectum, aut quid cum eo connexum percipiunt, vel dum in hac vel illa cerebri parte, ubi hæ, & non aliæ species subjectantur, prædominantur vel amoventur humores tales aliudve temperamentum, vel etiam excitatâ unâ, excitatur species alia illi cognata vel vicina.

VI. VOLUNTAS est *potentia spiritualis per actus elicitos* (per quod distinguitur ab appetitu innato) *appetitiva*. Objectum ejus adæ-

adæquatum est bonum (de quo multa vide in causa finali) Ad omnem ejus actum essentialiter prærequiritur cognitio intellectus; foret enim volitio tali intellectione destituta voluntaria , utpote ipsum voluntatis exercitium, & non foret, cùm voluntarium sit id, cujus principium est in agente sciente singula, in quibus est actus, id est, est à principio intrinseco actu cognoscẽte, & nõ tantùm exigente cognitionẽ; Hinc hæc duo : *amo Petrum* : & *non cognosco Petrum* : sunt virtualiter contradictoria. Hujus cognitionis defectum quia supplere nequit Deus , dubium magnum est , num terminum volitionis à se solo productum possit injicere voluntati , sicut terminum intellectionis intellectui (qui in eo casu adhuc esset imago objecti , quia Angelus , vel etiam homo per aliam cognitionem illum intuens, in eo cognosceret objectum, etsi per illum directè nihil cognosceret intellectus , cui injicitur) cùm sit hic terminus essentialiter pondus quoddam & inclinatio voluntatis in objectum, qualiter ea inclinari nequit in aliquid, quod non cognoscit.

VII. Debet hæc cognitio primò esse in-

tellectiva; cognitio enim sensitiva nõ est proportionata appetitui spirituali, sicut nec ad volitionem supernaturalem sufficit cognitio naturalis. Dicitur itaque appetitus sensitivus post se trahere volũtatem, quia aliquando ob claritatem phantasmatis vivacissimè bonum sensibile proponẽtis appetitus sensitivus tanto impetu fertur in bonum illud, ut intellectũ non sinat rationes oppositas perscrutari, perscrutatas voluntati proponere: vel etiam movere voluntatem, quatenus appetitus hic occasio est, ut intellectus propter sympathiam proponat voluntati objectum, in quod appetitus hic fertur, & eo vehemẽtiùs: quo vehementiùs ipse in illud fertur. Secundò sicut ad simplicem complacentiam sufficit simplex apprehensio bonitatis, sic ad volitionem efficacem requiritur judicium, seu saltem apprehensio judicio tali æquivalens de possibilitate obtinendi objectum. Tertiò ad volitionem liberam requiritur cognitio objectivè indifferens, id est, repræsentans rationes boni & mali. Non requiritur tamen ad omnem actum voluntatis judicium intellectus practicum, quo repræsentetur voluntati, quasi cum aliquo imperio: hoc hìc & nunc

est

est faciendum; quodq; sit ultimò ita determinans voluntatem ad actum, ut ea in sensu composito hujus judicii non possit velle contrarium; repugnat enim id libertati, utpote quod prævenit libertatem; (si enim ponitur liberè seu consequenter ad actum liberum voluntatis, vel oritur, postquàm voluntas se sivit ab objecto moveri, jam datur motio voluntatis, quæ nihil est præter positivũ actum voluntatis, vel etiam actus liber voluntatis ante tale judiciũ, adeoq; illud non prærequiritur ad omnem actũ voluntatis) & habitum non potest non determinare ad actum. Per quæ tamen non negamus, ad hoc, ut voluntas quid velit efficaciter requiri judicium de convenientia & bonitate objecti. Unde dum quis interrogatur, cur hoc vel illud fecerit, bene quidem dicit; quia judicavi illud esse mihi bonum vel jucundum, vel honestum, (quale judicium non est ultimò determinativum) vel etiam, quia judicavi sic esse faciendum in ordine ad talem finem: & non absolutè semper: quia judicavi sic esse faciendũ, aliàs mentiens foret hæreticus, utpote habens hoc judicium: hìc & nunc est mentiendum; cùm tamen de fide sit, nunquam esse mentiendum.

VIII.

VIII. Non influit cognitio in volitionem, sed habet se per modum meræ conditionis, & sicut in physicis se habet approximatio, approximans objectum voluntati; quamvis in eo ab approximatione physica differat, quòd ea suppleri possit à Deo, causaque agere in distans. Proposito enim per cognitionem objecto, & præeunte hoc lumine, voluntas habet sufficientem vim, ut absq; physica coëfficientia cognitionis eliciat volitionem, qualē vim intellectus nō habet, ut posito phantasmate, absque specie impressa ponat intellectionem, vel etiam, ut absq; ejusdem phantasmatis coëfficientia ponat hanc speciem impressam.

IX. Ad denominandam voluntatem simpliciter liberam, seu ad rationem liberi arbitrii sufficit, eam esse liberam libertate contradictionis (etsi de facto in nobis quoq; libera sit libertate contrarietatis) non tamen sufficit, esse liberam libertate spontaneitatis, seu liberam libertate à coactione; foret enim aliàs omnis volitio libera eo ipso, quòd esset volitio, cùm omnis volitio sit ipsa actualis inclinatio seu appetitus elicitus, adeoq; nō contra appetitum elicitum renitētem, adeoq; libera à necessitate coactionis. Quinimò, si nomine liberii

liberi arbitrii nihil intelligatur aliud, quàm potentia volẽdi ſine coactione, nullus hæreticus detrectabit admittere, eſſe in homine liberum arbitrium, & conſequẽter malè damnantur ab Eccleſia, quia jam nõ negant liberũ arbitriũ. Præterea jam Beati liberè amabunt Deum: Pater & Filius Spiritum S. (qui volendo procedit) ſpirabunt liberè. Eſt autem liberum arbitriũ ſeu libertas in actu primo *potentia vitalis* (quam rationẽ potentiæ nõ habent habitus, etſi ad agẽdum & non agẽdum ſint indifferentes) *quæ poſitis* (& manentibus omnibus, de quo alibi) *omnibus requiſitis ad agendum* (ſubintellige: & *ad non agendum*; eadem enim, quæ ad agẽdum liberè requiruntur, requiruntur quoq; ad non agendũ liberè) *poteſt agere & non agere*: ſimultate nimirum potentiæ, nõ actus; actus enim & ejus negatio pro nullo inſtante componi poſſunt. Unde patet, liberũ arbitriũ in actu primo proximo, nihil eſſe aliud, quàm ipſam voluntatem, cui utìq; adæquatè eſt intrinſecum, poſſe agere & non agere habitis omnibus prærequiſitis: Libertatẽ verò in actu primo proximo eſſe voluntati inadæquatè extrinſecam, quia præter entitatem voluntatis dicit judicium indifferens, cõcurſum Dei indifferentem &c. X.

X. Libertas in actu secundo, seu actus liber est actus, qui procedit à potentia libera quà tali, sive est *actus ita procedens à suo principio, ut positis & manentibus omnibus prærequisitis ad rationem principii proximi invariatis, potuisset non procedere:* vel etiam *cujus negatio, aut cujus actus oppositus potuisset conjungi cum principio proximo adæquatè sumpto.* Huic actui specificativè sumpto libertas est inadæquatè extrinseca; absque eo enim, quòd intelligatur ullum prædicatũ huic actui intrinsecum, intelligi potest ille procedere à principio, potente pro eodem instante actus primi proximi eum non producere, aut producere ejus contrarium, (quod est, eũ concipere, ita procedere ab hoc principio, ut potuerit ab eodẽ remanente proximè ad operandum expedito non procedere, adeoq; formalissimus cõceptus actus liberi) quia potest eadẽ omninò actus entitas, quæ nũc procedit à principio indifferẽte, procedere à principio determinato ad unum, dum v.g. primo instante amor inchoatur cum cognitione indifferente, & pro secundo instante cõtinuatur cum cognitione repræsentãte solam objecti bonitatem; habet se namq; cognitio, quatenus simul repræsentat

tat in objecto rationem aliquam mali, prorsus per accidens respectu amoris seu entitatis, quæ amor est, etsi requiratur essentialiter ea ad amorem, quatenus liber est (idem est de decreto Dei, quatenus illud indifferens est ad odium, vel omissionem amoris) principia enim vel conditiones per se requisita ad amorem sunt cognitio bonitatis, & cõcursus Dei ad amorem. Neqùe dicas; posita cognitione & concursu Dei indifferente, amorem fore electivum, pugnacem, victricemperq; illum voluntatẽ red gere in actum vim suam repudiativam unius, & prosecutivam alterius: nam pugnacitas illa & victricitas non magìs reddit productionem amoris physicè & intrinsecè diversam à non pugnace, quàm calefactionem pugnacem, seu quæ sit cum resistentia, faciat physicè diversam à non pugnace: Et sicut ignis per talem calefactionem in actum redigit vim suam, tam expulsivam frigoris, quàm inductivam caloris, etsi actu non expelleret frigus, sic voluntas per talem actum redigeret quoqùe in actum vim suam repudiativam unius & prosecutivam alterius, etsi de facto (dum illi objectum proponitur tantùm sub ratione boni) nullum con-

cõtrarium repudiaret. Unde sicut calefactio ista esset radicaliter tantùm expulsiva frigoris, id est, de se apta & sufficiens expellere frigus, modò illud in subjecto inveniret, sic etiam actus ille voluntatis esset radicaliter repudiativus alterius, adeoq; in se radicaliter liber, id est, per entitatem suam eandẽ repudiativus alterius, modò hæc cõtraria ratio repudiãda repræsentaretur; quæ quòd illi repræsentetur, & actu ab eo repudietur, adeoquè quòd sit actu liber, illi est per accidens & inadæquatè extrinsecum. Jam verò ex nostra doctrina sequitur primò: posse hominem ex non peccatore fieri peccatorem (dum nimirum eundem actum inchoatum cum cognitione repræsentante solam rationẽ boni, continuat dein cũ cognitione indifferente) absq; ulla mutatione intrinseca physica, per hoc, quòd eandem actionẽ physicam ponat tunc, quando potuit abstinere, quæ circumstantia extrinseca actioni, dat illi aliam æstimabilitatem moralem & imputabilitatem ad pœnam & culpam, quam sine illa non haberet; unde quoq; est, quòd Deus eandem entitatẽ actus nunc possit velle causare, nũc odio habeat, & non causet. Sequitur secundò decretum Dei indif-

indifferens esse cõstitutivum intrinsecum hujus totius seu aggregati, quod dicitur actus liber, seu malitia moralis, quod magis absurdũ non est, quàm si dicatur Deus esse constitutivum hujus cõcreti: *offensa Dei: cognitio falsa Dei:* Unde tamen nõ sequitur displiciturum Deo concursum suum, utpote constitutivum actus peccaminosi displicentis; potest enim aggregatum aliquod ex pluribus, v.g. ex naso pulcherrimo locato in fronte venustissima, objectum esse displicẽtiæ, cujus singulæ partes seorsim sumptæ placent, sic licet ipsa entitas actus, ipsa cognitio & cõcursus Dei indifferens seorsim singula Deo placeant, conjuncta tamen, si scilicet entitas illa actus ponatur tunc, quando sciebatur prohibita, quãdo poterat nõ poni, displicẽt. Sequitur tertiò, liberum & necessarium, bonum & malum nõ esse differẽtias essentiales actus humani specificativè & in genere naturæ sumpti, sed reduplicativè sumpti & in genere moris: similiter libertatẽ, nõ in actu primo proximo, sed in actu primo remoto, & quasi radicalẽ & aptitudinalem esse differẽtiam essentialẽ potẽtiæ liberæ; non enim voluntas differt ab appetitu bruti per hoc, quòd sit actu cõstituta in actu primo

primo proximo potens agere & nõ agere, sed quòd possit agere & nõ agere tunc, quãdo est constituta in actu primo proximo, sive quòd sit capax libertatis formalis & actualis; sicut & volitio in eo ab appetione bruti distinguitur, quòd ex se apta sit ita procedere, ut possit nõ procedere, (quod est actũ esse radicaliter liberum) etsi actu ita procedat, ut non possit non procedere. Unde etiam actus actu liber formaliter quà talis respicit transcendentaliter principium liberũ ut formaliter in actu primo proximo liberũ; actus verò, qui liber est formaliter, (sicut & actus solùm radicaliter liber) respicit præcisè principium liberum radicaliter. Sequitur quartò, actũ liberũ non per solam suam entitatem, sed unà cum potẽtia ad negationẽ aut cõtrarium actus, esse determinationem formalem potentiæ liberæ ut liberæ formaliter. Item voluntatem agentem liberè, & agentẽ necessariò, agere diversimode, diversitate tenẽte se ex parte actus primi, non verò ex parte actus secundi. Pariformiter loquendum foret de vitalitate actuali & formali termini actionis vitalis secundùm se spectati; videtur enim & illi esse inadæquatè extrinsecum, quòd actu procedat à tali principio,

cipio, cui immaneat, & posset idem procedere à principio, cui non immaneret, adeoque non esse formaliter vitalis.

XI. Implicat omissio pura libera, sive ut postquam voluntati objectum propositū est, sub ratione boni & mali, hæc liberè omittat omnem circa illud actum. Moveretur enim voluntas ad hanc omissionē aliquo motivo, utpote quæ debet esse libera, qualis esse nequit posita sine omni motivo: & non moveretur ad illam aliquo motivo; incōceptibile enim est, voluntatem actu moveri, & nullum actū exercere, actus quippe voluntatis positivus est ipsa volūtatis motio, Neq; dici potest, ex eo motivo procedere omissio, post cujus præcisè propositionem illa sequitur, possunt namq; volūtati successivè proponi plura motiva omissionis V.G. sacri audiendi, quorum tamen nō nisi unico moveatur ad hanc omissionē, ergo proponi voluntati motiva, & post ea subsequi omissionem, nō est statim omissionem poni ex tali motivo, etsi in iis motivis non habuerit positivam displicentiam; aliàs dum quis post propositū motivum vanæ gloriæ, erga quod non habuit positivā displicentiam, ponit omissionem ebrietatis censebitur pec-

peccare ideò præcisè, quia nõ displicuit positivè hoc motivum, quòd falsum est, cùm ad peccatum requiratur positiva complacentia medii illiciti. Idem respondendum iis, qui docent, dum plura motiva compossibilia omissionis proponuntur, omissionem procedere ex omnibus simul, nisi voluntas per actum positivum aliqua rejiciat. Neqùe adhuc satisfacis dicendo; sicut omissio nõ propriè & formaliter, sed impropriè & interpretativè est voluntaria, quatenus quis nõ agens, quando potest, ita se habet, ac si positivè nollet agere, sic quoqùe voluntatem ad omissionem non moveri propriè, sed impropriè & interpretativè; nam si per omissionem exercet verè libertatem, debet verè moveri aliquo motivo. Dum itaqùe quis elicit amorem Dei intẽsum ut quatuor, cùm posset elicere intensiorem, non ponit putam omissionem hujus majoris intẽsionis; sicut enim per actum positivum determinat se ad amorem, sic per eundem determinat se ad tam, & non magìs intensè amandum. Atq; ex his sequitur, non posse proponi omnem operationem tanquam malam, quin eo ipso relinquatur locus uni saltem actui, quo cæteras aversetur,

&

& consequenter in eo casu non poterit adhuc dari pura omissio libera. Similiter, Deum non posse mandare, ut quis liberè abstineat ab omni actu: demum, si post indifferenter propositum objectum, Deus negaret concursum ad omnem actum, præterquàm ad amorem, non posse liberè amari objectum, cùm ejus pura omissio sit impossibilis. His tamen non obstantibus dabitur adhuc distinctio inter libertatem contrarietatis & contradictionis; libertas enim cõtradictionis in hoc præcisè cõsistit, quòd possit quis V. G. amare vel non amare, præscindendo, an possit non amare, agendo quid incomposibile cum amore, an purè nihil agendo; libertas contrarietatis consistit in eo, quòd possit amare, vel agere strictè contrarium, nempe odisse. Exactius de Libertate Theologi.

DISSERTATIO QVARTA

De Habitibus.

I. HABITUS naturalis seu acquisitus est *qualitas permanens* (id est, difficulter mobilis) *potentiæ vitali superaddita* (in rebus enim

enim inanimatis non dantur habitus, sic ignis non habet habitum ardendi) *facilitans eam* (non enim complet potentiam in ratione potentiæ, sed supponit illam simpliciter potentem operari) *ad operationes connaturales*, (id est, tali potentiæ debitas) exercendas. Habitus supernaturalis est *qualitas supernaturalis, per se infusa potentiæ* (id est, naturaliter non acquisibilis, qualiter quia scientiæ naturales acquiri possunt, etsi à Deo infundantur, non sunt habitus simpliciter supernaturales & infusi, sed tantùm per accidens infusi) *ut eam ad actus supernaturales elevet & aptet* : adeoque compleat potentiam simpliciter in ratione potentiæ, detque illi simpliciter posse, & non tantùm facilè posse. Majorem autem illam facilitatem, quæ sentitur post plures actus V.G. fidei supernaturalis elicitos, dicunt quidam oriri ab actibus fidei naturalis, quos concomitanter cum fide supernaturali elici asserunt, meretque illam, etiam post habitum supernaturalem fidei amissum ; alii, oriri ab ipso actu supernaturali ; asserunt enim ab eo, non tantùm meritorie intendi habitum, sed insuper generari alium habitum naturalem,

ralem : vel etiam, ut alii ex iis, supernaturalem.

II. Subjectum habituum capax est ea potentia vitalis, ad eos solùm actus, quæ, & ad quos non est omninò determinata, adeoq; si quandoq; ad aliquos quò ad substantiam exercendos determinata est, sit tamen adhuc indifferens ad eliciendos illos majore vel minore cum facilitate. Talis est intellectus, & voluntas, quæ, utpote potentia maximè libera & ad agendum indifferens, vel maximè per habitus inclinari, facilitari & adjuvari potest. Talis est quoquè sensus communis & appetitus sensitivus, etiam brutorum; sic enim, etiam in brutis, post frequẽtatos actus, v.g. saltus, cantus &c. apparet major facilitas ad eosdem actus iterandos, quæ facilitas adscribitur speciebus rememorativis, objectũ clariùs repræsentantibus. Talis non sunt sensus externi; hi enim ad unum modum cognoscẽdi sunt determinati, & positis omnibus ad agendum requisitis, oculus v.g sanus tam perfectè videt, dum primò videt quàm post multas visiones frequentatas. Neq; potentia nutritiva: unde inclinatio illa major, quâ quis post frequentatas potationes & intẽperantes

commestiones assuescit ad bibacitatem & voracitatem, fitqùe potentior ad plus potus & cibi digerendum, referenda est ad appetitum sensitivum & phantasiam, quæ delectationem illam ex Gustu percipit, & quia stomachus plus dilatatur, aut aliũde roboratur. Neqùe potentia loco motiva: unde major illa in ambulando, saltando, cytharizãdo facilitas adscribenda est, partim nervorum aliorumve organum dispositioni, quæ per usum distẽduntur, emolliuntur, partim habitui artis residenti in intellectu, qui per directiones illas actuales seu cognitiones practicas, quæ digitorum pedumve motus illos artificiosos comitantur, intenditur: unde etiam mirum non est, in eo, qui tantùm scit speculativè regulas artis, & illas non exercet, dirigendo etebrò actiones externas, habitus similes practicos non intendi.

III. Habitus phantastici & intellectuales sunt ipsa collectio specierum rememorativarum; omnia enim, quæ de habitibus dicuntur, per species has sufficienter explicari possunt. Nam primò etsi species impressæ primæ, aut etiam una vel altera rememorativa, dent intellectui simpliciter posse, species tamen

men rememorativæ plures dant intellectui facilè posse, (neq; etiam habitus consistit in una alterave, sed in earum pluribus, nisi fortè ab actu valdè claro & intenso species una relicta, tantam se solâ afferret facilitatem, quantam aliàs earum multæ) cumq; eo concurrentes faciunt, ut non tanto cum conamine, attentione ad objectum, tantoq; cum spirituum vitalium concursu ad phantasiam operetur. Secundò tenent se quoq; hæ species ex parte potentiæ, in ea subjectantur, & cum ea cõstituunt unam causam adæquatam actus. Tertiò sunt hæ species simul sumptæ qualitas una (non simplex, sed per aggregationem & unitate objecti, quod idem repræsentant singulæ) difficulter mobilis. Quartò specierũ harum aliquæ, nempe relictæ & productæ per actus practicos constituunt habitum practicum, aliæ relictæ post actus speculativos, speculativum. Quintò specierum harum intensio cõsistit in earum pluralitate, remissio in paucitate. Sextò inclinant quandoq; ad cognoscendũ solum objectum priorum actuum, quandoquè ad illud & simul priorem cognitionem cognoscendam, pro ut intellectus à phantasia excitatur, & determi-

natur ad iis adæquatè vel inadæquatè utendum.

IV. Valdè probabile est, habitus quoque voluntatis cõsistere in dictis speciebus; quod declaratur. Post singulos actus voluntatis, & cognitiones experimentales ejusdem objecti voliti vel percepti, quæ comitantur hos actus volũtatis, relinquuntur species rememorativæ, tam actuũ voluntatis, quàm istarũ cognitionũ experimentalium. Subjectãtur hæ species & perseverãt in intellectu, & terminantur solùm ad actus volũtatis; ab excitatis his speciebus producitur dein cognitio, eò vivacius proponens voluntati rationẽ boni vel mali in objecto conveniẽtẽ vel disconveniẽtẽ voluntati cognoscentis, quò plures & intẽsiores fuere species, quâ cognitione mediãte, & nullâ aliâ cognitione pro eodem tempore cõtrariam partem æquè clarè aut clariùs, id est, sub ratione majoris boni aut mali repræsentante (quod idem cõmuniter per easdem species rememorativas cognitionum experimẽtalium impeditur) allicitur & inclinatur voluntas ad faciliùs versãdum circa objectum, ad amplectendum, aut fugiendum illud eo celeriùs. In dictis ergo speciebus rememorativis

rativis & cognitione ab his ſpeciebus excitata delectationem vel moleſtiam aliàs ex objecto perceptam vivaciſſimè repræſentante, inqùe negatione cognitionis pro eodem tempore contrariam partem clariùs adhuc repræſentantis, conſiſtit habitus voluntatis, quamvis facilitas radicalis, quæ propriè eſt habitus, conſiſtat in ſolis dictis ſpeciebus, & facilitas formalis in actuali illa cognitione ab his ſpeciebus excitatâ. Atqùe ex hac ſententia ſequitur primò, facilitatem illam radicalem, ſitam in ſolis ſpeciebus, non diſtingui ab habitu intellectus, quia ipſæ illæ ſpecies, & quidem immediatè, facilitant intellectum ad cognitiones dictas eliciendas, dici tamen habitus voluntatis, in quantùm his cognitionibus mediantibus facilitant voluntatem. Sequitur ſecundò, habitum voluntatis nō concurrere effectivè cum voluntate ad actus voluntatis eliciēdos, ſed tantùm directivè proponendo bonitatem vel malitiam objecti. Tertiò, hos habitus voluntatis in ſe, ſive formaliter malos non eſſe, ſed tantùm cauſaliter, quatenus cauſant actus malos. Quartò cognitiones Chriſti vivaciſſimè repræſentantes illi delectationem, quam

homines percipiunt in peccatis, non habere rationem habitus, quia caulatæ & excitatæ non sunt per species relictas ab actibus experimentalibus, adeoque etiam non important negationem cognitionis, ad oppositum æquè vel magis attrahentis; cognovit siquidem Christus ex opposito vivacissimè bonum honestum actus cõtrarii longè majus. Quintò sicut post frequentatas volitiones comedendi carnes augetur habitus, seu vivacior redditur cognitio proponens delectàbilitatem, sic quoque crescere & fieri vivaciorem cognitionem inhonestatis seu offensæ Dei cõjunctæ, retrahens à commestione carnium (hæc enim semper simul proponitur voluntati, etsi tenuiter & remissè, quoties illi proponitur delectabilitas) verumtamen, cùm crescente hac cognitione inhonestatis, proportionaliter etiam crescat cognitio delectabilitatis, cognitionem inhonestatis non plus retrahere ab actu, quàm retrahebat primâ vice. Sextò habitus virtutis & vitii fore sibi adhuc contrarios, quia species tales experientiâ acquisitæ naturaliter simul esse non possunt, cùm advenientibus & crescentibus his, aliæ quò ad activitatem debilitentur.

META-

METAPHYSICA

Metaphysica Philosophiæ coronis, disciplinarum naturalium sublimis apex, ad cujus universalissima quædam certissimaque principia scientiarum inferiorum veritates & effecta ultimatè respiciunt seseque revocant; naturam corpoream (quod ipsum ejus nomen sonat) transcendit ac despicit universam; resque pariter altissimas ac infimas, re vel ratione ab omni avulsas materia speculatur. Proinde materiale ejus objectum vastissimum est, ENS *nempe ut sic, seu ens in tota suæ latitudine, opposita etiam enti non entia entiaq; ficta, prout ad entis veri meliorem deserviunt notitiam, complexum. Hoc q; ipsum ens, ut ens est, pro ratione seu objecto formali habet, ita tamen, ut præterquàm quòd in cunctis communē rationem entis, transcendēteſque cum eo ejus proprietates examinet, ad rationes quoq; quasdā generales entium, putà, substantiæ & accidētis, absoluti & relativi, entis Angelici & Divini, utpote generales quasdam entis divisiones, nō quidē omni modo, sed prout cū abstractione ab omni materiæ cognoscibiles sunt, considerandas descendat.*

DISSERTATIO PRIMA

De Natura & proprietatibus entis.

1. ENs reale acceptum participaliter, seu adsignificans tempus, est idem, quod actu existens; acceptum nominaliter, seu pro ut abstrahit à statu actualis existentiæ & puræ possibilitatis, est quid *aptum existere*, sive cui ab intrinseco non repugnat existere, id est, inter cujus prædicata est talis connexio, ut si ponatur, aut poni cõcipiatur extra causas, unius prædicati existentia, nõ destruat existentiam alterius, sive ex quorum prædicatorũ productione non sequatur rem eandem esse, & non esse. Et hic conceptus præcisus est perfectè à substãtia & accidente, Deo & creaturis; exprimit enim, in quo conveniant omnia, non exprimendo, in quo disconveniant, dumqùe occurrit, vi illius, præcisè ignoro, an illud aptum existere sit substantia, an accidens, imò scire possum, quid sit aptum existere, absqùe eo, quòd intelligam, quid sit substantia vel accidens.

Potest

Potest item sub reduplicatione negari de inferioribus & dici: V. G. *ens ut ens non est substantia*, non minùs, quàm dici possit: *animal ut animal non est rationale seu homo.* Est itaq; ens prius Deo prioritate logica, & simplicius hoc sensu: conceptus entis est abstractior & confusior, quàm cõceptus Dei. Ex eo autem, quòd detur, ens non posse esse extra conceptum inferiorum, sive inferiora, vel etiam inferiorum differentias, non posse intentionaliter separari ab ente, malè infertur; ergo neq; inferiora possunt esse extra conceptum formalẽ entis, vel: ergo neq; ens potest intentionaliter separari ab inferioribus; sicut ex eo, quòd animal non possit esse extra conceptum hominis, non sequitur: ergo nec homo est extra conceptum formalem animalis. Neque mirum est, duo posse se sic habere quò ad inclusionem & exclusionem, quæ non fit, nisi per conceptus, ut licet unum ab alio excludatur formaliter, non tamen vicissim illud excludat formaliter, ut patet in cognitione relativorum quorundam; sic enim nequit cognosci unio, quin formaliter eâdem cognitione cognoscantur ejus termini, possunt tamen hi secundùm se cognosci, non cognita unione.

II. Datur quoq; cõceptus differentiarum entis, perfectatis & imaleitatis, afeitatis & abaleitatis perfectè præcisus ab ente; potest enim substantia præcisè concipi, secundùm quod differt ab accidente, & secundùm quod unà cum accidente rationem entis contrahit quod fieri non posset, si formalissimè concepta semper includat rationem entis, conveniret namque in hac adhuc cum accidente, & formalissimè idem diceret, quod dicit ratio entis quæ contrahitur: sicque perfectas, differentia substantiæ, minùs non diceret, tam ex parte objecti, quàm ex parte modi cognoscẽdi, quàm ipsa species, nempe substantia, quam veluti pars metaphysica constituit. Dum autem ens præscinditur à differentiis, non præscinditur ab aliquo, quod à parte rei est non ens, sed ab eo, quod realiter est ens, sive quod cum eo, quod præscinditur, est idem; vi autem hujus præcisionis non cognoscitur ut ens, nec remanet formaliter, seu ex parte modi cognoscendi ens; hæ namque differentiæ, dum formaliter, sive ut separatæ ab ente repræsentantur, non repræsentantur sub ratione potentis existere, sed sub ratione independentiæ vel dependentiæ ab alio, quam-

quamvis omne illud, quod dependens vel independens est, à parte rei sit ens. Repræsentatur aliquid, non tamen sub ratione alicujus, sed sub ratione alia: item concipitur realis differentia, sed non ut realis, neque ut non realis, neque ut habens aptitudinem, neque ut habens repugnantiam ad existendū; concipitur ut constitutivum differentiale veri entis, non tamen sub conceptu veri entis, sed sub conceptu alio, nimirum substantiæ vel accidentis, adeoque non concipitur ut differentia realis, (perfectas enim non constituit ens, sed substantiam, seu verum ens sub nomine substantiæ, sicut rationale non constituit animal, sed hominem) quanquam etiam, si conciperetur ut differentia veri entis sub conceptu veri entis, non sequeretur concipi ut differentiam realem, sicut ex eo, quòd concipiam rationale ut differentiam animalis, non concipio rationale ut animal. Atque hinc sequitur primò, perfectatem includere etiam formaliter prædicatū repugnans chimæræ, illud tamen non esse rationem entis, quam solùm includit formaliter objectivè, seu formalitate objecti, non verò formaliter intentionaliter, seu formalitate conceptus:

sed rationem independentiæ; per hanc enim differt ab omni eo, quod non est perseitas. Sequitur secundò, dum dico: *homo est ens*: me non enunciare, hominem esse formaliter ens, secundùm omnia, quæ includit v. g. secundùm materiale, sensitivum, rationale &c. cùm enim prædico partem metaphysicam de toto, non intendo dicere, quòd omnes partes metaphysicæ sint formaliter id, quòd prædico, sed tantùm sint id realiter, aliàs dum dico: *homo est animal*: sensus foret: quòd homo, & secundùm rationale, & secundùm materiale &c. formaliter sit animal. Unde sequitur Tertiò: neque differentias entis inferiores v. g. *materiale, spirituale, sensitivum, insensitivum, rationale, irrationale*, includere formaliter ens: & hinc, licet rationale formaliter apprehendam ut principium ratiocinationum, non apprehendo tamen adhuc ut formaliter ens; vis enim operativa rei, quæ à parte rei supponit posse existere, ab eo ex parte actus præscindit, & ratiocinatio formaliter & inadæquatè secundùm ultimam suam differentiam accepta non dicit rationem entis. Sequitur quar-

quartò, perfeitatem, cùm fit principium simplex differendi (quod omnibus differentiis commune est) non constare genere, adeoqùe propriè definiri non posse, sed dici independentiam ab alio. Sequitur quintò: ad hoc, ut quid sit objectum intellectus, non requiri, ut sit ens ex modo cognoscendi, sed ad summùm, ut sit ens ex parte rei conceptæ. Deniqùe *Ens* ideo non dici prædicatum transcendens, quasi nihil posset concipi, nisi sub ratione entis, sed quia est prædicatum universalissimum conveniens realiter rebus omnibus.

III. Jam verò gratis dato, aseitatẽ & ab aleitatem, perseitatem & inaleitatẽ, differentias Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis cõstitutivas, esse formalissimè ens, & simul formaliter inter se diversas, adeoqùe substantiã ab accidente differre per aliquid, quod formalissimè sit ens, & consequenter rationem entis, ut imbibitam in perseitate, differre à ratione entis ut imbibita in inaleitate, (cujus contrarium est in aliis univocis, v. g. animali respectu hominis & equi, qui differunt per aliquid, quod formaliter non est animal, & in quibus, dum animal contrahitur, non per-

perficitur perficitur per aliquid, quod formaliter est animal) id tamen adhuc non obest univocationi. Ad eam enim sufficit quòd ratio per nomen significata, quatenus per nomen significatur, sit omnino eadem; sicut sufficit ad æquivocationem, ut rationes per nomen significatæ, quatenus per illud significatæ, sint diversæ, non obstante, quòd eædem rationes per aliud nomen significatæ sint eædem. V. G. Galli avis, & Galli hominis significatorum per nomen animalis: sed ratio entis per nomen ens significata, quatenus per illud significata (quæ est ratio entis abstracta à differentiis, quæ non significantur nomine entis) est eadem: ergo, licet ratio entis contracta & significata nomine differentiatum non sit eadem, id tamen non impedit, quò minùs ratio entis abstracta, seu in statu præcisionis, & nomine entis significata, sit eadem. Similiter licet hæc formalis transcendentia impediat compositionem (de essentia enim cujusvis extremi componentis est, distingui inadæquatè à composito, seu non dicere totum illud, quod dicit compositum, quod in præsenti non fieret, cùm quod dicit substantia, id totum dicat, per-

seitas, differentia substantiæ) non impedit tamen univocationem, ad quam sine fundamento requiritur hæc compositio. Unde dictum illud Arist. *impossibile est ens esse genus, eò quòd qualibet differentia inferior necessariò sit ens*: sic est intelligendum; quòd ens non possit esse genus prædicamentale, quia transcendit omnes omnium prædicamentorum differentias (non quidem transcendentia formali, sed materiali, id est, possit prædicari de omnibus differentiis materialiter acceptis) quod non possunt alia genera.

IV. Neque dependentia creaturæ à Deo, aut accidentis à substantia impedit univocationem entis. Dependentia enim vel independentia inferiorum entis non includitur in ratione entis præcisa (nam aliàs secundùm nostrum concipiendi modum ens indifferens non esset, ut contrahatur ad Deum vel creaturam &c. utpote quod includendo dependentiam, non posset contrahi ad Deū, cui nihil includens dependentiam, aptum est inesse) neque per nomen ens significatur; nulla autem diversitas tollit univocationem aut unitatem conceptus, nisi illa diversitas explicitè per ipsum conceptū repræsentetur.

Præ-

Præterea ex hac dependentia creaturæ à Deo &c. & prioritate, quâ Deus creaturâ prior est, non sequitur, rationem entis secundùm nostrum concipiendi modum priùs contrahi ad Deum, quàm ad creaturâ, seu debere priùs dari cognitionem tendentem in Deum, & postea cognitionem tendentem in creaturam; nam Deum esse priorem creaturâ, & hanc illo posteriorem, tantùm dicit, Deum cognoscendum esse ut principium productivum & priorem creaturâ prioritate naturæ, & hanc posteriorem, quod fieri potest unâ simplice cognitione, terminatâ primariò ad creaturam, secundariò ad Deum, vi cujus hæc cognoscatur ut dependens à Deo; aliud siquidem est, me cognoscere, aliquid esse prius alio, aliud, me habere cognitionem priorem cognitione alterius. Ratio igitur, entis, quæ est in Deo, est independens, à parte rei, sicut animal, quod est in Petro, est rationale, præcisa tamen per rationem à Deo, neque est dependens, neque independens, id est, in suo conceptu formali neutrum exprimit. Similiter creatura,

qua-

quatenus per nomen *ens* significatur, nullam dicit dependentiam à Deo.

V. Neqùe inæqualis participatio entis facta ab ejus inferioribus impedit ejus univocationem; nam & animal perfectiùs participatur ab homine, quàm à bruto; verùm hæc inæqualis participatio præcisè & formaliter oritur à differentiis inæqualiter perfectis; & non relucet in conceptu superioris. In summa ratio entis est univoca; nomen enim entis commune est Deo & creaturæ &c. & ratio per nomen ens significata in omnibus ejus inferioribus est perfectè eadem. Deus itaqùe & creatura in ratione entis non magìs differunt, quàm animal & color in ratione sani; differre enim in ratione entis, hìc non significat, differre in perfectione entitativa, sed significat, non posse uno conceptu & una voce *entis* sub eâdem interpretatione exprimi. Neqùe contrarius est nobis Arist. qui videtur hanc quæstionem non omnino determinasse; etsi enim 7. metaphys. 4. analogiam entis indicasse dicatur, subdit nihilominus ibidem: *Sed hæc quidem, quomodocumqùe quis dicere velit,*

velit, nihil differt: Atqùe ex his conficitur ens esse genus etiam respectu Dei & creaturæ; etsi enim Deus species non sit, saltem prædicabilis, prædicatur adhuc ens de specie (id est, essentialiter & notabiliter differentibus.

VI. Attributum seu passio & proprietas entis dicitur illud, quod non est de primario & quidditativo ejus conceptu, cum essentia tamen entis connexum, eamqùe necessariò consequens secundùm nostrum concipiendi modum, reipsâ autem cum essentia identificatum, & sola ratione ab ea distinctum, convertibiliter de ea prædicabile. Talia entis attributa sunt *unitas, veritas, bonitas*; attribuuntur illa siquidem & adveniunt necessariò juxta nostrum concipiendi modum enti secundùm essentiam jam perfecto, afficiunt essentiam quasi subjectum & passum, sunt illi ita propria, ut nulli, quod ens non est, conveniant.

VII. Unum definitur *indivisum in se, & divisum à quolibet alio*; seu *indivisum in se & indivisum à se*. Divisio rei in se est, quâ quid dividitur in plura, quæ in se continet, ita ut res divisa non maneat, sed membra rei divi-

sæ,

sæ, v. g. si homo sublata unione dividatur in corpus & animam, quæ quamdiu erant unita, quamvis essent plures partes, non tamen absolutè erant plura, eò quòd pluralitas & multitudo simpliciter dicat unitates unione carentes. Hæc divisio in entibus simplicibus est impossibilis, sicut etiam quid impossibile est, si per eam concipiatur dividi res, sive simplex, sive composita, in plures tales res, qualis est ipsa, v. g. Petrus in plures Petros Angelus in plures Angelos. Divisio rei à se ea est, quâ res concipitur dividi in plures alias res, qualis ipsa non est, v. g. Petrus in plures non Petros, id est, ut Petrus maneat Petrus,& idemmet sit alius à se, v. g. sit Joannes, Paulus &c. estque hæc divisio, tam in ente simplici, quàm composito, quid impossibile. Opponitur huic divisioni indivisio à se, quæ idem est, quod divisio ab omni alio; nam Petrum non esse non Petrum (quod est, illum esse indivisum à se) idem est; quod Petrum esse Petrum, & non esse Paulum, seu esse divisum à Paulo. Habet autem hæc divisio entis ab alio se aliter respectu contradictorii ejusdem entis, aliter respectu aliorum entium; Petrus enim divi-

sionem

sionem habet à Paulo, quatenus non est Paulus, seu quatenus est non Paulus, & non quatenus est non esse seu negatio Pauli, equi, ligni &c. (Petrus enim & Paulus non opponuntur sibi tanquam esse & non esse, quia coëxistunt sibi, & posito uno, non tollitur alter) à suo contradictorio verò, seu à sui non esse, seu à negatione Petri divisionem habet, quatenus non tantùm non est suum non esse, sed etiam quatenus est non esse sui non esse, seu quatenus esse Petri est non esse negationis Petri, sicut negatio Petri est non esse Petri. Porrò *unum* formaliter dicit imprimìs indivisionem in se, quia per divisionem in se ens unum intelligitur fieri plura, & ex divisione hac resultare pluralitas, adeoquè per negationem hujus divisionis rectè intelligitur, ens fieri unum & non plura. Dein etiam dicit formaliter indivisionem à se; non minùs enim opponitur unitati Petri, Petrum esse non Petrum, seu esse Petrum, & simul esse Paulum, quàm Petrum dividi in suas partes; nam si per impossibile Petrus esset indivisus in se, & simul esset non Petrus,

trus, seu divisus à se, seu simul esset Paulus, jam Petrus non esset unus, sed plures; esset siquidem, quod modò sunt Petrus & Paulus. Observandum tamen hìc est, *unum* non dicere hanc divisionem ab alio ut existente, sed ab alio, sive illud aliud detur, sive non; Deus enim erat unus, antequàm ulla creatura existeret, estque unitas cujusvis entis independens ab existentia alterius entis.

VIII. Neutra harum indivisionum importat relationem rationis, quâ idem referatur ad seipsum; aut aliud quid positivum enti superadditum. Non primum, quia rem esse unam, est quid reale, existens à parte rei nullo actu aut figmento rationis intervenientè. Præterea fundatur hæc relatio identitatis in unitate, sicut relatio diversitatis in pluralitate, consequenter sicut prius est, esse plura, quàm diversa, sic prius est, esse unum, quàm relatum relatione identitatis: per quod tamen non negamus, unum consistere in identitate rei cum seipsa Non secundum; ens enim ut distinctum ab illa ratione superaddita habet, quòd non sit illa ratio superaddita, nec̀ue aliud quid à

se

se distinctum, & præterea habet suum esse; ergo, ut quid distinctum ab illa ratione superaddita est formalissimè unum, & consequenter per illam non constituitur unum. Præterea illud superadditum non est unum per aliquid superadditum, ne detur processus in infinitum, ergo per suammet entitatem, jamqùe datur aliquid per suammet entitatem unum. Neqùe dicas: ex eo, quòd hoc superadditum sit seipso unum, non sequi, etiam ens se ipso esse unum, sicut quantitas, cùm sit ratio quanti, seipsâ est quanta, non tamen materia seipsâ est quanta; nam in eo est disparitas, quòd illud superadditum non sit unum, quia est ratio unius, sed quia est ens, cujus attributum est unitas.

IX. Neutra etiam harum indivisionum importat formaliter quid negativum. Primò namqùe divisio in se entis compositi dicit negationem unionis; ens quippe compositum seu unitum dividi in se, est unionem, quæ est inter ejus extrema, destrui, manentibus extremis (si enim hæc simul pereant, non est divisio, neqùe tamen etiam hoc non esse divisionis constituit unum, sed potiùs destruit, cùm divisioni non opponatur po-

sitivè

sitivè ponendo id, quod divisio negat, nempe unitatem, sed negando id, quod supponit divisio, nempe extrema unibilia in instante, quo fit divisio) adeoqùe lineas esse divisas, non est tantùm, quamlibet habere proprium terminum, sed est præcisè partes, quæ ante erant unitæ, unitas non esse, quam negationem unionis sequuntur hi termini: quamvis in compositis essentialibus & entibus simplicibus id locum non habeat. In ente simplici dicit negationem identitatis prædicatorum essentialium illius; si enim per impossibile daretur hæc divisio v.g. in Angelo, idem importaret, quod divisio inter materiam & formã hominis mortui. Jam verò indivisio, utpote dicens negationem divisionis, dicit negationem negationis, adeoqùe quid positivum. Secundò indivisum à se nihil est aliud, quàm ens esse ipsum, & quia est ipsum, non est aliud à se, adeoqùe per suam entitatem est non aliud; sive non est idem cum alio, quod totum est positivum, ad summùm negativè explicatum. Neqùe dicas: pluralitas est quid positivum, utpote non carentia, sed repetitio unitatum; sed unitas est carentia pluralitatis; ergo est carentia seu negatio alicujus

positivi. Nam primò, si pluralitas seu repetitio unitatum, quæ nihil est aliud, quàm hæc, ista & illa unitas, adeoque quid indistinctum ab unitatibus, est quid positivum, jam quælibet unitas seorsim sumpta ut distincta ab alia non est quid negativum; ex repetitione enim negationum præcisè non potest fieri quid positivum. Secundò unitas solùm solitudinis dicit negationem pluralitatis; dicit enim negationē alterius entis similis existentis, opponiturq; cum quacunq; pluralitate; unitas autem transcendentalis nō opponitur cum pluralitate consurgente ex unitate v. g. Petri & unitate Pauli & Joannis &c. aliisque unitatibus extrinsecè advenientibus; hanc enim pluralitatem componit, estque ejus pars, adeoque non est ejus negatio: sed opponitur cum pluralitate, consurgente ex destructione hujus unitatis transcendentalis, si nimirum Petrus divideretur in suas partes, vel fieret idem cum aliis individuis adæquatè inter se distinctis, quæ pluralitas dicit negationem unionis vel identitatis, & est res per suam entitatem non hæc pluralitas, vel non esse hujus pluralitatis. Ubi quoque observandum est, unitatem transcendentalem non opponi

poni his pluralitatibus materialiter acceptis, id est, cum substantiâ unitatum consurgentium ex divisione compositi substantialis vel integralis, sed cum pluralitate accepta formaliter, id est, cum negatione unionis, seu cum unitatibus illis, quatenus sunt divisæ.

X. Unitas alia est individualis, numerica, materialis, seu absolutè realis, & est indivisio rei singularis in se, & divisio ejus à quavis alia re singulari. Desumitur ab ipsa rei singularis entitate; (inde enim habet unitatem numericam, unde habet suum esse intrinsecum) sive principium intrinsecum individuationis est tota cujusque rei entitas, & non materia signata, seu affecta quantitate aliisque accidentibus, cùm res spirituales habeant suam unitatem & materia carens quantitate adhuc esset hæc numero materia: neque sola forma, cùm materia absq; forma adhuc esset una. Alia est unitas formalis, per quã essentia aliqua, v.g. humana dicitur una, quamvis sit divisa in plura individua, sive est indivisio essentiæ in se, & divisio ejus à quolibet alio. Malè explicatur hæc unitas, quòd detur ante operationem intellectus unitas essentiæ, vi cujus eadem natura humana sit in Petro, Paulo &c.

se distinctum, & præterea habet suum esse; ergo, ut quid distinctum ab illa ratione superaddita est formalissimè unum, & consequenter per illam non constituitur unum. Præterea illud superadditum non est unum per aliquid superadditum, ne detur processus in infinitum, ergo per suammet entitatem, jamqùe datur aliquid per suammet entitatem unum. Neqùe dicas: ex eo, quòd hoc superadditum sit seipso unum, non sequi, etiam ens se ipso esse unum, sicut quantitas, cùm sit ratio quanti, seipsâ est quanta, non tamen materia seipsâ est quanta; nam in eo est disparitas, quòd illud superadditum non sit unum, quia est ratio unius, sed quia est ens, cujus attributum est unitas.

IX. Neutra etiam harum indivisionum importat formaliter quid negativum. Primò namqùe divisio in se entis compositi dicit negationem unionis; ens quippe compositum seu unitum dividi in se, est unionem, quæ est inter ejus extrema, destrui, manentibus extremis (si enim hæc simul pereant, non est divisio, neqùe tamen etiam hoc non esse divisionis constituit unum, sed potiùs destruit, cùm divisioni non opponatur po-

sitivè

poni his pluralitatibus materialiter acceptis, id est, cum substantiâ unitatum consurgentium ex divisione compositi substantialis vel integralis, sed cum pluralitate accepta formaliter, id est, cum negatione unionis, seu cum unitatibus illis, quatenus sunt divisæ.

X. Unitas alia est individualis, numerica, materialis, seu absolutè realis, & est indivisio rei singularis in se, & divisio ejus à quavis alia re singulari. Desumitur ab ipsa rei singularis entitate; (inde enim habet unitatem numericam, unde habet suum esse intrinsecum) sive principium intrinsecum individuationis est tota cujusque rei entitas, & non materia signata, seu affecta quantitate aliisque accidentibus, cùm res spirituales habeant suam unitatem & materia carens quantitate adhuc esset hæc numero materia: neque sola forma, cùm materia absq; forma adhuc esset una. Alia est unitas formalis, per quã essentia aliqua, v.g. humana dicitur una, quamvis sit divisa in plura individua, sive est indivisio essentiæ in se, & divisio ejus à quolibet alio. Malè explicatur hæc unitas, quòd detur ante operationem intellectus unitas essentiæ, vi cujus eadem natura humana sit in Petro, Paulo &c.

idem animal in Petro, equo &c. sic enim nunquam Petrus poterit annihilari, quin simul annihiletur humanitas omnium hominum, animalitas omnium animalium &c. annihilari quippe est, rem ita destrui, ut nihil rei remaneat. Et positâ hac unitate formali distinctâ à numerica, non dabuntur nunc plures homines, sed unus homo, uti datur unus Deus, quia eadem natura divina immultiplicata est in tribus Personis. Melius itaque dicitur, quòd Petrus ante operationem intellectus sit unus formaliter & essentialiter cum Paulo, non quòd habeant unam eandemque numero essentiam, sed quòd habeant essentias similes, adeoque hæc unitas formalis consistat in similitudine substantiali (hanc enim Arist. ad distinctionem similitudinis, quâ duo quanta, duoque qualia sibi sunt similia, vel æqualia, non propter entitates suas, sed propter superadditam sibi quantitatem vel qualitatem, vocat unitatem seu identitatem) quâ ante operationem intellectus individua sibi sunt similia, vel in tota essentia (quæ similitudo dicitur etiam unitas formalis specifica fundamentaliter) vel in parte essentiæ, quæ dicitur etiam unitas formalis

malis generica fundamentaliter, utpote præbens intellectui fundamentum afficiendi eadem individua unitate extrinseca specifica formali seu universali. Alia demum est unitas universalis seu rationis, quæ convenit rebus extrinsecè ab intellectu cognoscente res multas per modum unius; hic enim cognoscendo res, quæ à parte rei dividuntur, ut homo & equus, ita confusè, ut vi cognitionis illius sciat quidem, se cognovisse animal, non possit tamen distinguere, an, quod cognovit, sit equus, an homo, facit, ut homo & equus dicantur indivisa per intellectum, seu unum ratione.

XI. IDENTITAS sumpta fundamentaliter & negativè non distinguitur ab unitate; sumpta formaliter relativè ac quasi positivè, superaddit unitati relationem rationis, quâ res unâ bis cognita secùm comparatur, & ad se ipsam refertur. Sic Petrus ante omnem intellectum est secùm idem negativè, id est, non est distinctus à se, est item fundamentaliter idem secùm, id est, dat intellectui causam, ut si illum semel cognitum cognoscat iterum, judicet, esse eundem cum illo, quem ante cognorat; dumqùe intellectus eundem ad

seipsum refert, est identitas formalis, seu relatio unius ad seipsum, quæ est relatio rationis, utpote in qua fundamentum & terminus non distinguuntur realiter.

XII. DISTINCTIO realis positiva, quæ est inter duo entia positiva (quorum si utrumqùe sit res, vel etiam utrumqùe sit modus, quorum uterqùe esse potest, quin uniatur alteri, dicitur distinctio realis strictè vel realis major, si unum sit modus, alterum res, dicitur realis minor) non consistit in aliqua entitate rebus positivis superaddita; sublatâ enim omni entitate superadditâ, adhuc una res non est alia. Distinguitur item una Persona divina ab alia, quæ tamen entitatis superadditæ sunt incapaces. Neqùe etiam consistit in negatione rebus distinctis suo modo superaddita; res enim per hoc distinguitur, per quod constituitur, non constituitur autem per negationem; habetqùe per suam entitatem v. g. Petrus, quòd non sit Paulus. Ad hæc, si Petrus distingueretur ab equo per negationem identitatis cum equo, distingueretur ab eo per negationem Chimæræ, seu alicujus impossibilis. Per illud itaqùe formaliter constituitur distinctio, per quod

quod tanquam formam positivam tollitur identitas, & per quod positivè & primariò res una maximè differt ab altera, non verò per quod negativè & secundariò differt, qualis est negatio identitatis, quæ ex ipsa differentia positiva rei seu ex ipsa alietate positiva extremorum necessariò consequitur. Adeoque Petrum distingui à Paulo, formaliter non est, Petrum non esse Paulum, sed priùs intelligitur Petrus esse distinctus à Paulo, quàm intelligatur Petrus non esse Paulus; bona enim videtur hæc causalis: *ideo Petrus non est Paulus, quia distinguitur, & est alius ab eo*, sive quia Petrus est Petrus & Paulus est Paulus, & unus formaliter per suam entitatem non est alter. Unde etiam sequitur, distinctionem esse formaliter negabilitatem unius de altero, seu fundamentum negationis & negatio radicalis. Neque etiam distinctio est formaliter relatio alietatis; distinctio enim alia est absoluta, quæ est ratio, perquam formaliter aliquid est hoc, quod est, & non est aliud, sive illud aliud existat, sive non, & hæc distinctio est absoluta, saltem prædicamentaliter: alia est respectiva prædicamentaliter,

estqùe ratio, per quam aliquid est aliud ab alio ut actu existente, & hæc distinctio est formaliter relatio alieratis, suppoſito, quòd relatio prædicamentalis sit quid indistinctum à fundamento & termino actu existentibus. Neqùe dicas contra hoc ultimum: relatio prædicamentalis supponit distinctionem, ergo non est formaliter ipsa distinctio: nam relatio alietatis præsupponit distinctionem formaliter absolutam, & respectivam fundamentaliter, non tamen præsupponit distinctionem formaliter relativam. Ex quibus sequitur, Deum ante mundum conditum non fuisse distinctum ab ullo formaliter & relativè, sed tantùm fundamentaliter & absolutè.

XIII. Distinctio rationis est, quando intellectus unam eandemq; rem diversis conceptibus cognoscit. Distinctio virtualis propriè loquendo, nihil est aliud, quàm entitas rei ob plures perfectiones, quas in se unitas vel identificatas habet, apta distingui, seu concipi pluribus conceptibus inadæquatis, obqùe suam fæcunditatem præbens intellectui fundamentum, ut ipse in una eademqùe re plures formalitates distinguat. Distinctio

ratio-

rationis alia est rationis ratiocinatæ, quæ fit cum fundamento in re, in qua nimirum reperitur dicta virtualis distinctio: alia est rationis ratiocinantis, quando intellectus de una eademque re absque fundamento formar plures conceptus inadæquatos synonymos, id est, solo numero differentes, repræsentantes rem eandem eodem modo, in ordine ad eadem connotata, tales sunt conceptus respondentes his nominibus: *ensis, gladius.*

XIV. Non datur inter distinctionem realem & rationis distinctio media, quam formalem vocant seu ex natura rei, dicuntque intercedere eam, non inter entia, quorum saltem unum ab altero realiter separari potest, sed inter entitates, conceptibilitates, formalitates, quidditates inseparabiles quidem, à se invicem tamen distinctas ante omnem operationem intellectus, qualesque formalitates, aiunt, in homine esse animalitatem, rationalitatem &c. in Deo Justitiam, Misericordiam &c. quæ ita distingui volunt ante operationem intellectus, ut unum non sit aliud, v. g. Misericordia non sit Justitia &c. Istæ namque formalitates eo ipso, quòd distinguantur ante operationem intellectus,

distinguuntur ut materia & forma, consequenter realiter; quia materiam à forma distingui realiter, nihil est aliud, quàm materiam non esse formam; sive materiam esse aliam entitatem, & formam esse aliam entitatem. Dicere hìc, hanc distinctionem ideo non esse realem, quia non est inter entia, sed entitates, & has entitates esse aliquid formaliter, non tamen realiter, est ludere in terminis; vel enim habent aptitudinem ad existendum, & sunt verè entia, vel non, & nihil sunt. Dicere, esse realitates, pro ut *rò realitas* opponitur nihilo vel enti omnino dependenti ab intellectu, non esse tamen strictè realitates, quia ab invicèm non possunt separari, id, inquam, non subsistit; quia etiam una Persona divina ab alia non potest separari. Sequuntur dein ex hac distinctione inconvenientia. Si enim sapientia Dei ante operationem intellectus formaliter distinguitur à Deo, ergo in se habet negationem Deitatis, ergo non est Deus, ergo creatura; & si sapientia formaliter non est Deus, ergo nec Deus formaliter est sapientia; quæ propositio est contra Concil. Rhem. Item si entitas sapientiæ non est entitas Dei, ergo Deus esset compositus

ex

ex entitate, quæ non est Deus. Malè verò nobis oggeritur, animali & rationali, voluntatī & intellectui divino ante operationem intellectus convenire contradictoria, hominemqùe sentire per *animal*, non sentire per *rationale*, Deum velle per voluntatem, non velle per intellectum. Nam ante operationem intellectus homo & per animal, & per risibile & per rationale sentit, ratiocinatur &c. Deus & per voluntatem & per intellectum, & per Justitiam vult, intelligit, punit &c. materialiter accipiendo hæc nomina pro re vel entitate, quæ est animal, risibile, rationale, quæ est voluntas, & quæ est intellectus &c. non formaliter, utì accipiuntur, dum dicitur: homo sentit per animal, & non per rationale: Deus vult per voluntatem, non per intellectū; animalitas ante operationē intellectus nō est rationalitas &c. Unde semper harū locutionū negandum est suppositum, nimirū quòd detur ante operationem intellectus animalitas, rationalitas vel animal præcisum à rationali, intellectus Divinus à voluntate, quod sonant hæ propositiones. Signum enim evidens est, propositionē sumi in sensu formali, quando actus prædicatur de suo principio formali, ut

sit, dum dicitur: Deus vult per voluntatem, miseretur per Misericordiam: homo sentit per animal &c. Sepositis verò conceptibus dicendum est: *homo sentit per rem, quæ est animal, non sentit per rem, quæ est rationale* &c. ubi patet, semper partem negativam esse falsam. Fruſtra item dicitur, Petreitatem vel risibilitatem esse extra conceptum essentialem hominis, ideoque ab eo distingui: est enim solummodò extra conceptum definitivum inadæquatum, id est, formaliter ab eo non attingitur, etsi materialiter ab eo quoque attingatur (definimus namque res, pro ut à nobis imperfectè concipiuntur, nimirum secundùm prædicata quædam necessaria, in quibus plura individua conveniunt) & non extra conceptum adæquatè explicantem res, pro ut à parte rei existunt; æquè enim de essentia physica Petri est Petreitas, quàm animal, nec concipi potest essentia illa Petri adæquatè & perfectè non conceptâ Petreitate. Opponitur demum gratis omnino: homo à parte rei bruto in tota essentia, neque est similis, neque dissimilis, ergo secundùm unam partem seu formalitatem illi

est

est similis, secundùm alteram dissimilis, ergo hæ formalitates dantur à parte rei, & inter eas distinctio. Nam secundùm totam essentiam est bruto similis & dissimilis, id est, imperfectè similis; quod enim imperfectè est simile, etiam est dissimile, non tamen est similis, & non est similis. Sic itaquè res una secundùm idem potest esse similis & dissimilis, non tamen æqualis, & inæqualis, cùm æqualitas non admittat *magis* & *minùs*.

XV. In distinctione rationis non committitur præcisio objectiva, quâ intellectus rem unam eandemquè ita dividat per suos conceptus inadæquatos, ut cognitâ unâ objecti perfectione, prorsus non cognoscat alias priori identificatas, V. G. possit in Petro cognoscere principium sensationum, non cognito principio ratiocinationum, ac si principium ratiocinationum non esset in Petro. Ubi enim non est unum & alterum, ibi non potest cognosci unum sine altero, sed in re una & simplici non est unum & alterum, ergo; adeoquè si cognito animali in Petro, non cognosceretur rationale, quod non est aliud ab animali, idem cognosceretur & non cognosceretur, quod non minùs re-

 pugnat,

pugnat, quàm idem amari, & non amari, idem videri & non videri. Ad quod dicere, non repugnare rem realiter unam, intentionaliter tamen multiplicem cognosci & non cognosci, est petere principium, & respondere per circulum; rem enim intentionaliter esse multiplicem, juxta Adversarios est, rem posse variis conceptibus, objectivè præscindentibus concipi, quod est in quæstione, ideoque, iterum ajunt, potest diversis conceptibus objectivè præscindentibus concipi, quia est virtualiter multiplex. Etsi igitur quis à longè videns animal affirmare possit, illud, quod videtur, esse animal, & affirmare non possit, vel etiam negare possit, illud esse rationale, non cognoscit tamen ideò eâdem cognitione animal, non cognoscendo rationale; nam licet neget esse rationale, adhuc cognoscit rationale, sed confusè in ordine ad sensationes, adeoque non determinatur ad affirmandum, esse rationale, sed manet liber ad illud negandum. Cujus ratio est, quòd non habeat species ratiocinationum, sicut habet sensationum, per quas connotatorum seu operationum species illorum principia in se imperceptibilia, nullasque speci-

ſpecies ſenſibus imprimentia, cognoſci queunt. Unde aliud eſt, cognoſcere rationale, ad quod ſufficiunt ſpecies hauſtæ à ſenſationibus animalis rationalis, aliud, cognoſcere eſſe rationale, ad quod requiritur, ut quis habeat ſpecies ab ipſis ratiocinationibus emiſſas. Aliud item eſt, habere ſpecies rationalis; aliud, habere ſpecies rationalis ut rationale eſt, ſeu repræſentantes rationale formaliter; vi quarum poſſim rem diſcernere ab omni non rationali. Atq; ideò eſt, quòd res cognita hoc modo non debeat ſignificari per τὸ *rationale*, ſed per vocem *animal*, non quòd ea rationalis non ſit, ſed quòd non ſit cognita cognitione tali, ut illi hæc vox, ſignificans rem tam diſtinctè cognitam, ut vi iſtius cognitionis diſtinguatur ab omni non rationali, conveniat. Ex quibus tamen non ſequitur, rem eandem cognoſci clarè & non cognoſci clarè; nam (præterquam ſi τὸ *non clarè* accipiatur poſitivè, ſignificetqùe idem, quod *obſcurè* cognoſci, non efficiat propoſitionem alteri contradictoriam) dum cognoſco animal formaliter, ſeu principium ſenſationum in ordine ad ſenſationes,

eâdem

eâdem claritate, eâdem cognitione cognosco principium ratiocinationum in ordine ad sensationes, & obscurè in ordine ad ratiocinationes: imò cognitâ hac ratione animalis formaliter, cognosco etiam rationale formaliter, id est, entitatem illam, quæ simul formaliter est animal & rationale, seu etiam cognosco rationale formaliter in ordine ad sensationes, non tamen formaliter in ordine ad proprium connotatum. Neque contra hanc doctrinam opponas: ubi datur conceptus formaliter præscindens, ibi dari debet objectum præcisum, consequenter præcisioni formali debet correspondere præcisio objectiva; nam conceptui præscindenti formaliter correspondet objectum formaliter præcisum, quod appellare poteris præcisionem formalem rationis, quæ denominatio extrinseca non distinguitur à conceptu præscindente formaliter & objecto sic diversimodè cognito, adeoque nihil dicit tenens se ex parte objecti.

XVI. Gradus metaphysici (qui sunt prædicata illa communia superiora & inferiora recensita in prædicamento) in eodem individuo distinguuntur sola ratione ratiocinata;

&

si enim distinguerentur inter se realiter, vel ex natura rei, unus de altero non poterit verè prædicari, adeoque falsæ erunt hæ propositiones: *homo est animal: animal est substantia* &c. Præterea si ratio superior, v.g. substātiæ est distincta à ratione inferiori, V.G. Angeli, hominis &c. adeoque de se indifferens, ut quæ nunc est in Deo, Angelo &c. potuisset, vel posset esse in lapide, Angelus non erit purè spiritualis, quia nihil spirituale est vel esse potest in lapide. Animal igitur, quod est in Petro, non magis potest affirmari de equo, quàm rationale; dum enim dico: *equus est animal*: affirmatur de equo animal omninò diversum ab eo, quod est in Petro. Neque dicas: Petrus à parte rei est Petrus per differentiam individualem, & non est Petrus per naturam; aliàs omnis habens naturam humanam esset Petrus: nam falsum est assumptum, ex quo malè infertur illud consequens; mutatur enim suppositio, cùm natura priùs sumatur particulariter in sensu reali, prout à parte rei est in Petro, dein ut præcisa per intellectum, quatenus est omnibus hominibus communis: bene autem sic fieret illatio: *ergo omnis habens hanc naturam Petri, est Petrus.*

XVII. Ve-

XVII. Veritas objectiva, metaphysica & transcendentalis, seu in essendo, alterum entis attributum *est ipsa intrinseca rei cognoscibilitas*, seu ipsa rei entitas, quatenus hæc per seipsam ingenerare potest sui conceptum, seu quatenus ex se & ab intrinseco conformabilis est intellectui verè & infallibiliter judicanti & repræsentanti illam, ut in se est. Alia enim est cognoscibilitas formalis & quasi passiva, quam res habet ab extrinseco, nimirum à cognitione seu intellectu: alia fundamentalis & quasi activa, quatenus res per se ipsam potest causare in intellectu sui cognitionem, seu eum movere ad sui cognitionem (latiùs aliquantò accipiendo τὸ *movere*, non pro solo objecto motivo, sed pro ut quid commune est objecto motivo & terminativo) & hæc rei cognoscibilitas prior est cognitione (etiam suo modo divinâ, quatenus divina hujus rei cognitio sine illa re esse non potest) quamvis in ordine ad eam explicetur. Talem cognoscibilitatem non habent entia rationis vel negationes, cùm per se ipsa non sint apta terminare cognitionem, cognoscuntur namquè semper ad modum entis,

entis, vel per ordinem, tanquam similia vel oppositа, ad verum ens; sicut tamen abusivè & analogicè dicuntur entia, sic abusivam aliquam & analogicam dicuntur habere veritatem. Minùs apta est veritatis explicatio, quâ dicitur esse conformitas rei cum sua regula seu cum exemplari & idea divina; Deus enim, cui vel maximè competit hæc trãscendentalis veritas, non potest esse conformis suæ cognitioni practicæ, qualem sonat idea divina, etsi de cætero verum sit, quod veritas hæc sit conformitas cujusqùe rei cum propria & prima sui mensura, seu intellectu divino, semper actu & perfectè intuente rem, sicut ipsa est. Minùs quoqùe apta est illa, quâ verum dicitnr esse *id, quod est, non autem quod videtur esse*: id est, quòd sit cujusqùe rei entitas, quatenus illa per se ipsam est distincta ab omni alia entite, quò ad speciem illius naturam simulante, sic aurum dicitur verum, quatenus est distinctum ab aurichalco, aliave re, speciem auri referente; non enim satis distinguit veritatem ab unitate, quæ cùm sit ipsa rei entitas, in quantùm distincta ab omni alia re, quæ non est ipsa, absqùe dubio

dubio etiam est res quatenus distincta ab alia re, naturam suam simulante, quamvis id non ita explicitè exprimat. E contra falsitas huic veritati opposita est negatio cognoscibilitatis per se, adeoq; non convenit nisi nō enti & enti ficto, utpote quæ per suam entitatem non possunt se offerre, ac veluti sistere se intellectui ad cognoscendum, fundareq; activè cognitionem. Licet autem quodlibet ferè ens etiam aptum sit videri, quod non est, adeoque fundare cognitionem sui falsam, id tamen non tam entitati rei, quæ potiùs exigit cognosci, sicuti est, quàm intellectus imperfectioni adscribitur.

XVIII. Bonitas absoluta, metaphysica & transcendentalis est ipsa rei amabilitas, seu appetibilitas fundamentalis & quasi activa, quâ ens reale propter suam essentialem perfectionem; absque ordine ad subjectum, cui hæc bonitas conveniat, amabile est. Posse enim per se ingenerare sui amorem, non est denominari ab amore aut appetitu rei intrinseco, sed est fundare amorem, & se sistere & offerre ad amandum, adeoque amabilitas hæc fundamentalis prior est, non tantùm amore, sed & appetibilitate & amabilitate formali,

formali, sive prius est, aliquid esse bonum, quàm esse amabile formaliter, non tamen prius est, esse bonum, quàm esse amabile fundamentaliter. Quibus non obstat quod ens positivum, quatenus disconvenit alicui subjecto, V. G. calor aquæ, dolor positivus homini, adeoqùe purè propter hanc disconvenientiam suam, & nō ratione suæ entitatis, seu secundùm se spectatum sit odibile, aptumqùe terminare actum odii; eatenus enim mala positiva respectiva dicuntur. E contra non entia, quatenus carentia perfectione essentiali fundamentaliter sunt odibilia absqùe ordine ad subjectum, cui hæc carentia disconvenit, sunt mala malitiâ transcendentali & absolutâ.

DISSERTATIO SECVNDA

De Essentia, Possibilitate & impossibilitate rerum.

I. ESsentia rei est id, quod primum est in unaquaq; re, & radix cæterorũ; cùm enim in aliqua re reperiantur plures entitates

vel

vel prædicata, re vel ratione distincta, illa entitas, vel illud prædicatum dicitur essentia, quod est primum & præcipuum, ex quo cætera velut secundaria oriuntur realiter, vel juxta nostrum concipiendi modum, prout est essentia physica vel metaphysica, quarum una ab altera tantùm ratione distinguitur. Ita *animal rationale* est essentia hominis, quia neutrum illorum radicatur in altero tanquam priore, sed illa sunt, unde oriuntur cætera V. G. *risibile.*

II. Essentiæ rerum creatarum non sunt ab æterno, neque secundùm aliquod esse existentiæ diminutum, neque secundùm aliquod esse essentiæ reale in se, cui dein in tempore adveniat existentia tanquam ultima ejus actualitas. Quidquid enim à Deo non est factum, vel est ipse Deus, vel nihil, sed essentiæ rerum non sunt ab æterno factæ à Deo, nec sunt ipse Deus, ergo. Sunt tamen ab æterno secundùm esse objectivum & ideale, quatenus ab omni æternitate fuerunt in cognitione & ideis divinis, in quibus ideis seu cognitione Dei practica non fuêre entia fictitia, utpote à Deo non factibilia. Item dici possunt esse ab æterno

no quò ad identitatem & prædicatorum essentialium objectivam necessariam connexionem, quæ in eo consistit, quòd Deus pro nullo instante æternitatis potuerit creaturam producere, cui non convenirent sua prædicata essentialia, vel quòd ex suppositione, quòd pro aliquo tempore sit, fuerit, vel erit V. G. homo, necessariò intelligatur esse, vel fuisse, vel futurus animal rationale.

III. Possibilitas rei intrinseca est res ipsa, quatenus talis est, ut non contineat prædicata contradictoria se invicem destruentia; quælibet enim res possibilis per differentiam aliquam intrinsecam debet constitui & distingui à re impossibili, quia si talis differentia intrinseca non assignetur, non erit ratio, cur omnipotentia Dei potiùs denominet lapidem possibilem, quàm chimæram; sed hæc differentia consistit in eo, quòd, si res ponatur in rerum natura, non involvat contradictoria, quæ involvit res impossibilis, estque hæc differentia rei intrinseca, quia quælibet res per seipsam & independenter ab omnipotentia Dei est talis, ut, si existat, non involvat con-

contradictoria, ergo. Circa quæ est observandum primò, quòd res possibilis hanc contradictionis seu prædicatorum sese mutuò destruentium negationem non includat actu, sed includat illam conditionatè, id est, quòd, si existeret, includeret illam actu; quod enim actu non est, seu est nihil, non potest dici actu includere, vel non includere aliquid; sic neqùe chimæra actu includit contradictoria, sed includeret illa actu, si existeret: Secundò, possibilitatem non esse quid merè negativum; nulla enim negatio potest produci, & fieri ens actuale positivum, creatura autem, quæ nunc est possibilis merè, est eadem cum illa, quæ postea actu existit. Aliud igitur est, creaturam nondum productam non esse, sive esse merum nihil; aliud est, esse negationem suæ existentiæ seu negationem sui, quod falsum est. Et licet inter negationem & habitum considerata in ordine ad subjectum, nō detur medium, datur tamen medium inter illa considerata absolutè, sic inter equum & negationem equi datur medium v.g. homo, qui nec est equus, nec negatio equi, sic inter rem actu existentem & negationem rei actu existentis datur

medium,

medium, nimirum res possibilis, quam licet pro statu puræ possibilitatis comitetur hæc negatio rei actu existentis, res tamen possibilis non est ista negatio, neqùe hæc negatio postmodùm, dum res actu producitur, convertitur in rem. Atqùe ex his sequitur primò, hanc possibilitatem intrinsecam secundùm nostrum concipiendi modum esse priorem omnipotentiâ Dei, quatenus conditionatâ illâ non repugnantiâ seu hac impossibilitate in se cognitâ, inde inferimus, Deum posse hanc rem producere. Cui non obstat, creaturas possibiles dicere respectum transcendentalem ad omnipotentiam Dei; possunt namqùe adhuc esse priores omnipotentiâ quò ad conceptum inadæquatum, abstrahentem ab illo respectu; relativum enim materialiter & inadæquatè concipi potest sine suo correlativo, adeoqùe dum quis concipit dictam possibilitatem in se, non concipit illam ut formaliter est quid relativum; neqùe concipit ut quid aptum ad existendum per alium; neqùe ut quid aptum ad existendum à se, sed ab utroqùe præscinditur, cùm hæc intrinseca possibilitas sit communis Deo & creaturis. Sequitur

secundò, nihil dari actu, aut datum fuisse ab æterno, per quod Petrus nondum productus, nunc seu actu est possibilis; per hoc enim actu est, & ab æterno fuit possibilis, quòd nunc, & pro quovis æternitatis instante terminare potuerit hanc propositionem. *Si Petrus existeret, non includeret contradictoria*: & non per possibilitatem aliquam, quæ sit, fueritque semper ens actuale: unde etiam diversissima sunt: *Petrus est actu possibilis per aliquid, quod est physicum*: & *Petrus est possibilis per aliquid, quod physicè est*:

IV. Possibili opponitur impossibile, quod licet existere nequeat à parte rei, datur tamen & existit suo modo per intellectum dantem illi, cognoscendo illud, existentiam objectivam; unde & ens rationis dicitur. In hac enim propositione: *homo est equus*: ita falsa, ut non possit esse vera, pro objecto habetur & cognoscitur homoequus, seu identitas inter hominem & equum, & non homo verus & equus verus, ideo constituentes propositionem falsam, quia difformiter cognoscuntur; est enim hæc identitas impossibilis illud, quod affirmatur,

tur, adeoque tenet se ex parte objecti, & non est tantùm identitas quædam extrinseca, tenens se ex parte cognitionis, seu ipsa cognitio, identificans extrinsecè hominem cum equo, sed est illud, quod huic cognitioni velut objectum correspondet & objicitur, non minùs, quàm in propositione vera necessaria identitas subjecti & prædicati non est ipsa cognitio, sed illud, quod objicitur cognitioni. Quod confirmatur: propositio hæc: *identitas inter hominem & equum est impossibilis*: est vera, ergo identitas, quæ hìc objicitur, est impossibilis, adeoque non est extrinseca, seu ipsa cognitio; hæc enim impossibilis non est. Quinimò dum Adversarii negant ens impossibile cognosci, cognoscunt illud, aliàs nescirent, quid negarent. Atque horum ratio est, quòd objectum adæquatum intellectus seu intelligibile dividatur in id, quod est, & quod non est; in id, quod potest esse, & in id, quod non potest esse; potentia autem debet illud posse attingere, in quod ejus objectum adæquatum dividitur. Quinimò ipse intellectus hoc objectum suum adæquatum dividit, describit singula, &

ab invicèm distinguit, adeoquè illa omnia potest attingere. Neque opponas primò, sicut dum intellectus concipit incognoscibile, non concipit ullum objectum, de quo verificetur, quòd sit incognoscibile (alioquin incognoscibile cognosceret, quod in terminis repugnat) sed concipit cognoscibile modo cognoscendi indebito, quò applicat ei negationem, dicens: *non cognoscibile*: sic quoquè, dum concipit impossibile, non concipit objectum, quòd verè sit impossibile, sed concipit possibile, applicans ei negationem, ac dicens: *non possibile*. Nam inter incognoscibile & impossibile in hoc genere hæc est disparitas, quòd intellectus ideò non cognoscat incognoscibile, sive quòd ideò cognoscendo incognoscibile, non concipiat ullum objectum, de quo hoc verificetur, quia objectum adæquatum intellectus seu intelligibile dividi nequit in cognoscibile & in non cognoscibile, sicut objectum Visus seu visibile dividi nequit in visibile & in invisibile; è contra intelligibile dividi possit in illud, quod esse potest, & in illud, quod esse nequit seu impossibile, adeoquè dum illud cognoscit, cognoscit obje-

objectum, de quo hoc verificetur. Neque secundò: qui concipit seu affirmat impossibile, sive tale quid, quod, si existeret, involveret contradictoria, nempe foret & non foret, ille dicit duo sese falsificantia, adeoque non dicit verum, qui dicit dato Hircocervo; hircum fore hircum, & non fore hircum, adeoque non cognoscit verè impossibile. Nam talis dicit quidem duo sese absolutè falsificantia, non tamen falsificantia sese ex suppositò, quòd talia duo contradictoria darentur in re simul, utì darentur in impossibili, si existeret, adeoq; qui ex hac suppositione dicit: si daretur Hircocervus, idem esset, & non esset hircus; non cõtradicit sibi. Cujus ratio est, quòd in eo casu *non esse* non falsificaret *esse*, non magis, quàm si Petrus simul esset & non esset, *non esse* falsificaret *esse*. Neque tertiò: illa identitas concepta hircum & cervum inter nihil superaddit hirco & cervo (identitas enim duorum nihil ponit præter duo identificata) adeoque nihil aliud concipitur, quàm hircus & cervus. Nam nihil quidem superaddit hirco & cervo simul sumptis, sed hirco superaddit cervum, & vice versa, adeoque facit, ut hircus sit hircus &

non sit hircus, sive facit, ut hircus, qui est unum indivisum in se, & à se, sit simul divisus à se, sive sit simul aliud à se, nempe cervus. Neq; quartò: non dantur species impossibilis: nam dantur species ejus, non quidem propriæ, sed alienæ; sicut enim per species entis possumus concipere oppositam illi negationem seu non ens, & sicut per visibilia creaturarum cognoscimus invisibilia Dei; sic per species entis possibilis cognoscimus ei contradictoriè oppositum, nempe impossibile.

V. Sensus externus, utpote sistens in externis accidentibus, & non penetrans rerum essentias & identitates, neque habens objecta alia, quàm quæ ei sunt à parte rei præsentia; quique non aliter, quàm negativè cognoscit negationes, id est, qui nō videndo lumen, dicitur videre tenebras, non videndo aliquem, dicitur videre neminem, non potest esse entis rationis causa, intellige, intentionalis, seu cognoscendo ens impossibile dans illi existentiam objectivam. Neque sensus internus, utpote qui solùm potest figuras externas combinare, quæ combinatio possibilis est. Unde avis viros illos fictos, exstantes in hortis ad

aves

aves abigendas, nō apprehendit identificari veris hominibus: aut canis umbram cum carne, sed in loco, ubi est umbra, esse carnē, propter externam figuram carnis & umbræ similem. Neqùe voluntas, appetendo V. G. hircocervum, vel quâ pueri appetunt identificari Angelis; esse enim entis rationis consistit in esse objectivo, quod ei dari nequit, nisi à repræsentatione intellectiva. Unde solus intellectus facere illud potest, tam per apprehensiones, quàm judicia & discursus, utpote per quos actus omnes cognosci potest impossibile.

VI. Deus non tantùm indirectè, cognoscendo nostros actus quibus formavimus entia rationis; sed & directè, non quidem per assensum, affirmādo impossibilium possibilitatem, quod est facere ens rationis fingendo, sed per dissensum, negādo facit entia rationis; dat enim impossibili esse cogniti seu esse objectivum, cognoscendo omnem veritatem, qualis etiam hæc est: identitas inter hircum & cervum est impossibilis.

DISSERTATIO TERTIA

De divisione entis in 10. prædicamenta.

I. PRædicamentum est series seu ordo prædicatorum minùs & magis communium ab aliquo supremo genere ad ultimum usquè individuum deductus. In eo ea dicuntur poni directè, quæ collocantur in linea media, nimirum genera & species; indirectè, quæ stant in linea laterali, ut differentiæ: reductivè, quæ nec directè, nec indirectè in eo ponuntur, spectant tamen aliquo modo ad ea, quæ directè in prædicamento ponuntur. Ad hoc, ut quid directè ponatur in prædicamento, debet esse vox seu terminus significatione simplex, habens aptum significandi modum: debet esse ens per se, id est, vel ens simplex, vel compositum ex partibus pertinentibus ad idem prædicamentum, qualia adhuc sunt, habitus, etsi præter vestes dicat earum ubicationem, & relatio dicens fundamentum, terminum & rationem fundandi, cùm sint logicè adhuc

entia

entia per se, & in ratione denominandi quid unum, concipianturque in ordine ad prædicationem per modum unius: debet item esse quid reale & totum, sive non exigens ordinari ad physicè componendum cum alio ens unum per se, qualia sunt caput, pes, oculus &c. facta per abscissionem talia tota: item genera; hæc enim, etsi prædicentur incōpletè, componanturq; metaphysicè, physicè tamen non componunt; imò, excepto summo genere, omnia respectu superiorum sunt species, adeoq; quid, etiam metaphysicè, cōpletum. Differentiæ verò à directa linea excluduntur, non quod componant, sintque metaphysicè quid incompletum, sed quòd habeant se per modum formæ determinantis, & quòd nullo generi directè subjiciantur. Verùm hæ conditiones magis ex arbitrio sic ordinantium, quàm ex natura rei requiruntur.

II. Substantia, prout opponitur accidenti physico, est ens per se. Ens per se illud est, quod vel primariò à natura intenditur propter se; vel propter aliud primariò à natura intentum, à quo ipsum adæquatè non distinguitur; sicut materia & unio

compositi substantialis intenduntur propter compositum substantiale, primariò à natura intentum, à quo non distinguuntur adæquatè: imò & subsistentia, quæ intenditur propter compositum completum in ratione suppositi (qualiter intenditur primariò compositum à natura) à quo non distinguitur adæquatè. Accidentia è contra, etsi distinguantur inadæquatè solùm ab eo, quòd constituunt, V. G. calor à calido, non sunt tamen substantiæ, quia illud ipsum, quod constituunt, non intenditur primariò à natura: quamvis præterea non intendantur propriè propter concretum illud, quod constituunt, V. G calor propter calidum, sicut forma ignis propter ignem; sed propter subjectum, quod supponitur, & à quo adæquatè distinguuntur, perficiendum, ut bene se habeat in ordine ad se, vel in ordine ad aliquam operationem.

III. Substantia prædicamentalis (quæ est ens per se completum finitum &c.) alia est prima, quæ neque subjecto inhæsionis ineſt, neque de subjecto aliquo, tanquam superius de inferiori, dicitur, sive

est

est substantia singularis & individua. Alia secunda, quæ non est quidem in subjecto inhæsionis, de subjecto tamen aliquo dicitur: dicitur hæc secunda, quia veluti mediante substantiâ primâ, ejusque beneficio substat accidentibus, quatenus nimirum generibus & speciebus conveniunt accidentia tantùm propter & per individua; sic homo est albus, quia Petrus, Paulus &c. est albus. Dividitur hìc substantia secundò intētionaliter sūpta, in eam nimirū, quæ prædicabilis est de uno Solo, & in eā, quæ de pluribus est prædicabilis.

IV. Quantitas est accidens distinctum à substantia reliquisq; accidētibus; perit quippe in SS. Eucharistia substantia panis, & manet quantitas panis; manet enim eadem accidentium extēsio & impenetrabilitas, & consequenter eadem illius radix, quæ non est ipsa remanentium accidētium per se quantorum quantitas, manet siquidem ea quantitas, quæ ex eodem loco excludit quantitatem alterius substantiæ vel corporis v. g. manuū sacerdotis, quod præstare non potest quantitas istorū accidentium; una enim quantitas juxta Nominales hìc Adversarios non excludit aliam, nisi sit ejusdem secum rationis v.g. quantitas

caloris solius alterius caloris quantitatem, & non quantitatem substantiæ excludit. Ad quæ respondent, hanc penetrationem naturaliter secuturam, nisi novo miraculo impediretur. Neque etiam ubicationes materiæ panis possunt proximè fundare hanc extensionem & impenetrationem; sunt enim hæ ubicationes modi, quos remanere modificato sublato repugnat; transferri item non possunt de loco in locum, adeoque motâ hostiâ perirent. Quinimò dato, quòd hæ ubicationes impediant, quò minùs partes hostiæ seu specierum penetrentur inter se, impedire tamen non poterunt, quò minùs penetrentur ab alio corpore. Præterea alterantur species Eucharisticæ ab agente naturali, ergo hìc debet adesse subjectum, è quo istæ alterationes earumque termini educantur, quod non est corpus Christi; neque aliud præter quantitatem assignari potest. Dicere autem, Deum ad præsentiam agentis naturalis, quod v. g. calorem produceret, si daretur hìc subjectum, è quo educeretur, creare calorem, idq; ad majorem hujus mysterii occultationem, est multiplicare miracula sine necessitate. Neque itaq; materia

per

per seipsam est extensa, licet enim ad recipiendum alia accidentia, requiratur, ut ea ante sit extensa, ad recipiendam tamen & emanandã ipsam quantitatẽ hoc non requiritur, sed sufficit, quòd sit entitas divisibilis localiter apta extendi per quantitatem. Neq; substantia orbata omni quantitate, manens in eodem loco & situ, in quo erat habens quantitatem, erit impenetrabiliter extensa per suam entitatem; sed habebit partes inter se impenetratas, non quia quantæ sunt, sed quia affixæ certo sunt spatio, vi ubicationis divisibilis, quã retinent: non tamen erit impenetrabilis cum alio corpore. De cætero absque quantitate non habet exigentiã, ut extendatur hac ratione, habendo partem extra partem, sed est indifferens, ut sic extendatur, vel habeat omnes partes in eodem loco.

M. Essentia quantitatis nõ cõsistit in extensione entitativa, seu dispositione partium entitativarum, vi cujus partes entitativæ (quales dicuntur eæ, ex quibus materia vel forma materialis constat, etiam omni quantitate absente) ita inter se disponuntur, ut prima imẽdiatè uniatur secundæ, & non tertiæ, secunda tertiæ & non quartæ, v.g. caput collo & non

immediatè humeris vel pectori, qualem extensionem & dispositionem habituræ essent hæ partes, etsi omnes existerent in eodem loco. Positâ enim quantitate, non solùm pars quantitatis, quæ est in capite, est distincta à parte quantitatis, quæ est in pede, sed etiam pars substãtiæ capitis est distincta à parte substantiæ pedis, cùm ab invicèm separari queant, imò si absente quantitate pars substantiæ capitis à substantia pedis non distinguatur, neque distinguetur accedẽte quantitate; nulla enim ratione, quæ semel identificata sunt, queunt à se distingui realiter. D. Thom. verò dicens, substantiam omnem indivisibilem esse remotâ quantitate, & materiam dividi non posse, nisi secundùm quod intelligitur sub quantitate; loquitur de divisibilitate in partes entitativas.

VI. Neque consistit essentia quantitatis in eo, quòd sit apta mensurare aut mensurari (quòd actu mensuretur aut mensuret, constat, provenire illi ab extrinseco, nimirum ab actu intellectus mensurantis) prius enim est, rem actualiter esse localiter impenetrabiliter extensam, quàm posse mensurari aut mensurare. Unde D. Thom. & Arist. contra-

rium

rium quandoquè visi innuere, censendi sunt loqui de mensura radicaliter sumpta, quòd ea sit essentia quantitatis, sicut risibile radicaliter sumptum est de essentia hominis. Idem dic de divisibilitate rei in partes quantitativas.

VII. Sed essentia seu ratio formalis quantitatis est exigentia impenetrationis, quâ res quantitativa exigit occupare spatium distinctum ab eo, quod occupat quodvis aliud corpus. Meliùs autem sic explicatur, quàm per hoc, quòd sit exigentia extensionis in ordine ad locum; hoc enim non est prædicatum adæquatum quantitatis, cùm dicat tantùm partes rei esse extra partes, adeoquè partes tantùm inter se non penetrari, non autem dicit, partes non penetrari cum alio corpore. Habetur autem hæc actualis impenetrativa entensio (quæ formaliter exigitur à quantitate) formaliter ab ubicationibus quantitativis, subjectum actu in loco impenetrabiliter extendentibus. Unde effectus formalis primarius quantitatis est, reddere subjectum exigens extendi impenetrabiliter, non reddere illud actu extensum, potest namquè esse quantitas, & tamen subjectū non extendi

tendi impenetrabiliter, ut patet in corpore Christi verè quanto, & tamen penetrante lapidē sepulchralem. Ex eo autē, quòd quantitas unita subjecto indivisibili, non redderet illud exigens dictam extensionē, nihil nobis contrarium deducitur; est enim quantitas tantùm apta hunc effectum communicare subjecto capaci, quale tantùm est illud, quod habet partes entitativas.

VIII. Linea & superficies sunt veræ & distinctæ species quantitatis; essentialiter enim participant rationē quantitatis; nimirū extensionē & impenetrabilitatē secundùm rationē formaliter diversā; linea nēpe secundùm longitudinem tantùm, superficies secundū longitudinē & latitudinē. Sunt tamen logicè solùm diversæ species, seu secundùm nostrum concipiendi modū, abstrahentē vel à latitudine, vel à profunditate, seu cognoscētem rem divisibilē tantùm secundùm longitudinē, vel secundùm longitudinē & latitudinē; à parte rei enim non datur res divisibilis tantùm secundùm longitudinem &c. Neq; etiam una species essentialiter includit speciē sibi oppositā; linea enim accepta formaliter, prout est quantitas habens longitudinem & excludens

lati-

latitudinè (qualiter spectata tantùm est species opposita superficiei) non cõponit superficiem; neq; sic accepta ordinatur ad componendam superficiẽ, aut superficies ad corpus, adeoq; sic accepta sunt adhuc quid logicè cõpletum, etsi, si à parte rei à corpore distincta darentur, physicè essent quid incompletum.

IX. Qualitas est *accidens physicũ absolutum, à quãtitate distinctũ, bene vel malè affi ciẽs subjectũ.* Bene explicatur per negationẽ quantitatis nobis notiorẽ, utì sæpius contingit in rerũ definitionibus, ut dum dicitur: *brutum est animal irrationale.* Prima qualitatis species complectitur *Habitum* & *Dispositionem*, & est *qualitas potentiã naturalẽ præsupponẽs, illamq; adjuvans vel facilitans.* Huc pertinent habitus naturales & supernaturales; hi enim etsi dent etiã simpliciter posse, supponunt tamen potentiã constitutã in esse vitalis & inchoatã: & dispositiones, disponentes materiam de se capacẽ recipere formã, ut illam in actu secundo recipiat. Si addas definitioni: *diu perseverans & difficulter mobilis*: est definitio solius habitus; si addas: *facilè mobilis*: definitio est solius dispositionis. Secunda continet *Potentiam* & *Impotentiam*, & est qualitas *à natura insita*,

insita, quæ sit principium accidentale operandi: quales non sunt habitus dispositiones; etsi enim sint principia operandi, non sunt tamen à naturâ insita. Huc pertinent virtutes herbarum, metallorum &c. item intellectus, voluntas &c. si ab anima distinguerentur. Si definitioni adjicias: principium *vigens & forte*, definitur sola Potentia; si addas *debile:* definitur sola Impotentia, qualis impotentia videndi est in sene, quia in eo est vis debilis videndi. Tertia continet *Passionem & Patibilem qualitatem:* & est *qualitas ex natura sua ordinata ad bene vel malè afficiendum subjectum absque ordine ad operationem, saltem primariò*; quæ si sit citò transiens, dicitur passio, si diu perseveret, dicitur patibilis qualitas. Huc spectant calor, frigus, color, sapor sonus &c. affectiones, qualitates spirituales animæ & Angelorū, gratia sanctificans, character sacramētalis. Quarta deniq; Formam & Figuram: verùm hæ non sunt veræ species qualitatis; satis enim explicantur per partes quantitativas rei, certo modo inter se dispositas, unitas, disjunctas, distantes, vicinas &c.

X. Relatio vera realis datur ante omnem operationem intellectus; sic enim in divinis

dantur reales relationes paternitatis & filiationis, idq; ideo, quia datur ibi ratio producti & producentis, ergo propter eandē quoquè rationem dantur tales in creatis, ubi independēter ab omni cognitione res sibi sunt similes sunt inyicē causæ & effectus. Neq; enim relatio consistit in actuali comparatione, seu in actu comparante unū cum alio, sed potiùs in comparabilitate, seu in eo, ratione cujus res una apta est comparari cum alia. Unde etiam idem extremum nemine cogitante est fundamentum & terminus, pro ut idem aptum est variè referri ad aliud Quòd autem ad relationem non detur motus, quòd adveniat subjecto sine ejus reali mutatione, non probat, relationem nihil esse reale, sed non esse formam vel modum superadditum fundamento termino & rationi fundandi. Definitur autem relatio in genere, quòd sit *habitudo unius ad aliud*: & relativa sunt, *quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur*: seu *quorum esse est ad aliud*: quàm definitionem Arist. ideo solùm rejicit, quia nimis lata est, utpote conveniens relationi tam transcendentali, quàm prædicamentali, quam solam intendebat definire Arist.

XI. Re-

XI. Relatio alia est realis, quæ datur in rebus ante intellectũ fingentem: alia rationis, quæ fingitur tantùm ab intellectu, habetq; tolum esse objectivũ in intellectu; talis est inter Chimæram matrem & Chimærã filiã. Realis alia est talis secundùm esse; quæ verè absq; intellectu fingente aut cognoscente est inter fundamentũ & terminũ realiter distincta: alia secundùm dici, quæ verè à parte rei nõ est in re, neqùe cognoscitur esse in re, saltẽ primò intentionaliter sumpta, tanquã objectum directũ, sed quæ tota tenet se ex parte modi cognoscẽdi, dum nimirũ rem absolutam in actu exercito cognoscimus & explicamus per modũ relativi, id est, in ordine ad aliud, vel quasi aliud, ut dum idem bis cognitũ referimus ad seipsum, (quòd contingere videtur in omni affirmatione) dum universale refertur ad sua inferiora; à quibus non distinguitur; Et hæc relatio consuevit quoq; quandoq; dici rationis. Ulteriùs subdividitur relatio realis in intrinsecam & extrinsecã, pro ut ratio fundandi est accidens intrinsecum (aut quid identificatũ) vel extrinsecum fundamento. In mutuã, & non mutuam, pro ut terminus refertur viciſſim ad fundamentum, vel non refertur viciſſim,

cissim, utì paries non respicit vicissim visionẽ. Mutua vel est æquiparãtiæ, quando extrema eodem modo se respiciunt, efferunturq́; eodem nomine, ut relatio similitudinis: vel est disquiparantiæ, quando diversimodè sese respiciunt extrema, efferunturq́; nominibus diversis, ut relatio patrem inter & filium. Alia deniqùe realis relatio est transcendentalis, alia prædicamentalis.

XII. Relatio prædicamẽtalis est habitudo accidentalis, seu accidẽs (logicũ vel physicũ) cujus totum esse est ad aliud, sive cujus totum esse distinctivum, seu cujus conceptus formalis & differentialis est respicere aliud; convenit enim de cætero cum aliis accidentibus, si est accidens physicum, quòd habeat esse *in*, differt, quòd habeat præterea esse *ad*. Sicqùe hæc relatio est accidens, saltẽ logicũ, respectu fundamenti, cui suo modo advenit, & quod præsupponitur ad illã, sineqùe illa esse potest, exceptâ relatione similitudinis & diversitatis creaturæ cum Creatore suo, quæ tamen præter entitatem Dei dicit entitatẽ creaturæ, adeoq́; Deo soli nõ est intrinseca. Relatio transcendentalis est habitudo, ordo vel respectus ad aliud, adæquatè intrinsecus & essentialis

soli

soli fundamento; respiciunt enim transcendentaliter relativa per suammet essentiam terminos sibi extrinsecos, id est, à se distinctos v. g. materia formam, unio unibilia: adeoque constituunt hæ relationes quidem essentiam rei absolutæ prædicamentaliter, non verò absolutæ transcendentaliter. Arist. autem non tam negat has relationes essentiales, quam res esse per essentiam suam relativas prædicamentaliter. Differunt præterea hæ duæ relationes in eo; primò quòd in prædicamentali fundamentum respiciat terminum ut purè terminum; ex eo enim præcisè, quòd paries B terminet relationem similitudinis, non denominatur similis parieti A, (sicut objectum ex eo præcisè denominatur cognitum, quòd terminet cognitionem talem adæquatè à se distinctam, sed, quòd partialiter constituat hanc relationem. Porrò purus terminus dicitur, circa quem nihil agit fundamentum producendo, cognoscendo illum, uniendo se illi, patiendo ab illo, aliamve ei tribuens denominationem; qualis in relatione paternitatis adhuc censetur filius; quatenus enim hunc respicit pater jam positum in rerum natura, nihil

agit

agit circa illum ampliùs, generatio quippe, quæ hujus relationis est ratio fundandi, præteriit: & qualis purus terminus non est Verbum respectu unionis hypost. etsi enim hanc unionem non recipiat tanquam ejus subjectum (in quo sensu à Theologis Verbum dicitur purus terminus) denominatur tamen ab ea unitum. E contra in relatione transcendentali non respiciatur terminus ut purè terminus; sic creatura non respicit Deum tanquam purum terminum; etsi enim nihil agat circa Deum, ab eo tamen patitur, saltem potentiâ, denominaturque extrinsecè possibilis. Neque opponas; causa actu causans dicit relationem prædicamentalem, & tamen non respicit effectum ut purè terminum; nam est hæc relatio potius transcendentalis, licet enim soli entitati causæ non sit adæquatè intrinseca, huic toti tamen, quod dicitur causa actu causans, est adæquatè intrinseca. Secundò quòd relatio prædicamentalis respiciat semper terminum actu existentem: transcendentalis quandoque solùm possibilem, imò respiciat quandoque entia rationis, v. g. cognitio, quâ cognoscitur impossibile. Quòd au-

autem relationes quædã transcendentales necessariò requirant terminum actu existentẽ, v. g. quæ est inter ubicationem & ubicatum, inter unionem & unita (harum enim fundamenta ne quidem divinitus existere possunt, quin actu quoq; existant eorũ termini) id inquã, non requirunt, quia relationes transcendentales sunt (sicut prædicamentales id præcisè requirunt, quia prædicamentales sunt) sed quia tales sunt relationes transcendentales, nimirum modales. Et hinc bene sequitur: hujus relationis terminus actu non existit, ergo non est relatio prædicamentalis; non bene sequitur: hujus relationis terminus actu existit; ergo est prædicamentalis. Dicitur denique; hæc prædicamentalis, quia certo huic prædicamento includitur: illa transcendentalis, quia per omnia prædicamenta vagatur.

XIII. Non cõsistit relatio prædicamentalis physicè spectata (nõ enim quæritur quomodò concipiatur, cùm constet, illã solere cõcipi per modũ formæ accidentalis, fundamento veluti suo subjecto inhærentis, illudq; ad terminũ referentis) in solo fundamento, connotans terminũ tanquam quid merè extrinsecũ; posito enim eo solo, quod relatio dicit intrinsecè,

secè, habetur tota essentia & omnia constitutiva relationis, ergo sublato termino, & relicto solo fundamento habetur tota relatio, quod est absurdum, & consequenter manebit etiam tota relatio quoad denominationem, sive quoad esse formale; impossibile namque est, manere actu subjectum, formam & informationem, quin actu sit denominatio & concretum. Quòd autem bene dicatur, relationem transcendentalem identificari soli fundamento, & connotare extrinsecè terminum, & tamen termino hoc sublato, seu reddito impossibili, corruere relationem transcendentalem, inde est, quòd isto termino sublato, non tantùm tollatur relatio, sed ipsum fundamentum, & per locum extrinsecum; sublato autem termino in relatione prædicamentali, tollitur sola relatio manente eo, quod est fundamentum, & quidem juxta nos per locum intrinsecum.

XIV. Neque est quid strictè reale vel modale fundamento, termino & rationi fundandi superadditum; si enim esset tale quid, jam ad relationem, daretur motus, resque per advenientem relationē mutaretur. Quænam autem esset causa productiva hujus su-

peradditæ entitatis resultantis in nostro hoc pariete, eiqùe inhærentis; dum hodie Romæ dealbatur paries, fitqùe similis huic nostro parieti ante centum annos dealbato? & quomodò, & à quo, dum vel una musca se movet, consurgit nova cum rebus omnibus relatio vicinitatis vel distantiæ, & in rebus omnibus nova entitas? Sed consistit in dictis tribus simul sumptis; his enim positis, & omni alio sublato habetur relatio, & eorum aliquo sublato perit relatio formaliter, seu per locum intrinsecum, quia non manet illæsus ejus conceptus. Est itaqùe physicè eadem relatio, quâ pater refertur ad filium, & quâ filius refertur ad patrem; quia easdem dicit entitates; ex modo tamen significandi, nimirum nunc efferendi unum in recto, alterum in obliquo sunt diversæ, cujus diversi modi significandi eadem entitas, ratio nempe fundandi, quæ est generatio, præbet fundamentum, & dicendi *Philippus est pater Alexandri*: & *Alexander est filius Philippi*: Neqùe opponas primò: per relationem advenit fundamento, nova denominatio, adeoqùe nova forma: nam dum fundamento advenit terminus & ratio fundandi, utiqùe fundamen-

to

to advenit nova forma, sed illi extrinseca, ex qua & fundamento consurgit relatio fundamento partim intrinseca; unde, etsi pereunte termino vel ratione fundandi, illud, quod præcisè perit, sit fundamento extrinsecum, quia tamen perit relatio, perit aliquid fundamento partim intrinsecum; sicut pereunte formâ perit compositum, & pereunte composito, perit aliquid materiæ inadæquatè intrinsecum. Nec secundò: dum uni albo additur unus gradus albedinis, alteri non, intenditur albedo, & minuitur similitudo, & sic idem intenditur & remittitur, si relatio identificetur albedini, termino & fundamento: nam in hoc casu non intenditur & remittitur res eadem adæquatè & secundùm eandem formam considerata; similitudo enim non est tantùm una albedo, sed duo alba simul sumpta. Si autem utraquè albedo intendatur pariter, non intenditur tamen relatio vel similitudo illi identificata, cùm album ut tria sit æquè simile albo ut tria, quàm album ut sex albo ut sex: sed crescet solùm relatio & similitudo purè materialiter & extensivè; major enim materialiter similitudo inest albedinibus ut sex,

quàm albedinibus ut tria: & non crescit albedo formaliter secundùm rationem, secundùm quam est similitudo, quæ in hoc consistit, quòd in uno sit tantum albedinis, quantum in altero. Neque tertiò: relationis totum esse est ad aliud, & tamen terminus relationis non est ad aliud, ergo hic ad relationem non pertinet: nam hæc relationis definitio non est sic accipienda, quasi totum esse relationis sit, respicere aliud à se distinctum, sed quòd totum esse relationis sit, referre fundamentum ad terminum: vel etiam esse fundamenti, seu relationis inadæquatè acceptæ sit, respicere aliud, quod ipsum etiam relationi inadæquatè identificatur, nempe terminum. Neque quartò: sic licitè possem amare malitiam Judæ, quia possum amare dissimilitudinem ejus cum bonitate Petri: nam amare possum dissimilitudinem hanc formaliter consideratam, sive malitiam, non secundùm quod est præcisè malitia, sed secundùm quod præcisè dissimilis est bonitati Petri. De prædicamentis cæteris actum est sparsim in Physica.

DISSER-

DISSERTATIO QVARTA

De Deo & Angelis.

I. ANgelos dari, etsi de fide sit, ratione tamen naturali ad summùm probabiliter solùm suaderi potest ex mirabilibus energumenorum effectibus, quamvis & hi animabus separatis adscribi possent. Definitur Angelus, quòd sit *substantia spiritualis* (id est, incorporea & immaterialis) *completa simplex* (unde tamē non dicetur actus purus; etsi enim integraliter & essentialiter sit incompositus, datur tamen in eo compositio ex subjecto & accidentibus, nimirum ubicatione, cognitione, gratia &c. imò ex natura & subsistentia) *intellectiva* (radix enim intellectivitatis juxta D. Thom. est spiritualitas) *ex natura sua incorruptibilis.*

II. Non repugnant Angeli specie inter se distincti; non enim videtur Deus minùs communicativus sui in ratione spiritus, quàm in ratione corporis, quorum plurima specie distinguuntur. Imò dari de facto plures sic distinctos, suadetur ex potentiæ & eminentiæ inter dæmones diversitate, utpote quæ

neqùe à majore gratia, quâ spoliati sunt, neqùe à malitia, quæ vires augere nequit, neqùe oriri potest à libera electione; quomodò enim hi spiritus superbi se uni è suis liberè subdidissent? Falsum autem est, quod opponit Pallav. ens sortiri speciem à præcipuo prædicato, quod in omnibus Angelis idem est, nempe *intellectivum*; *sensitivum* namqùe in brutis est prædicatum præcipuum, à quo tamen non specificatur equus. Si addas: prædicatum differentiale in brutis esse præcipuum, idem dic de Angelis, inter quos unus ab altero non differet per τὸ *intellectivum*, sed per exigentiam magìs clararum & universalium specierum. Neqùe repugnant Angeli solo numero inter se distincti; ens enim finitum non involvit prædicatum essentiale, vi cujus repugnet, illi coëxistere aliud simile: ab altera quoqùe parte participabilitas Dei exhausta non est per unum tale individuum. Falsum itaqùe est illud Thomist. *materia signata* (id est determinata per quantitatem aliaqùe accidentia, quali carent Angeli,) *sola est principium individuationis*, ut patet in duabus cognitionibus, duabus quantitatibus &c. solo numero inter se distinctis absqùe

absque hac sigillatione. Quod autem aliqui de facto sic solùm inter se distinguantur, suadetur ex eo, quòd aliàs dicendæ sint innumeræ species integræ horum spirituum periisse in æternum; quod de divina bonitate præsumendum non est, quæ ne quidem permisit unam speciem hominis totam perire.

III. Intellectus Angelicus non est distinctus à substantia Angeli. Objecta præsentia naturalia cognoscunt Angeli intuitivè. Futura necessaria cognoscunt naturaliter certitudine tantùm physica & abstractivè in causis, cum quibus necessariam habent cõnexionem. Futura liberè per vires naturæ non cognoscunt certò (neque enim ea in se cognoscunt, quia eorum utpote rerum nondum existentium species iis sunt indebitæ, neque in eorum causis liberis, utpote ad ea indifferentibus) sed connaturaliter tantùm & probabiliter longâ docti experientiâ. Secreta cordium, & ea, ex quibus in eorum notitiam facilè devenire possent, non norunt, nisi ad elicientis vel habentis beneplacitum; exigit enim agens intellectuale dominium peculiare physicum & morale in suos actus liberos, ita ut eorum exercituum, & usus fructus neque

physicè, neq; moraliter queat impediri, quod fieret, si aliis paterent. Unde sunt hæc secreta intra objectū quidem naturale, id est, nō supernaturale intellectus angelici, nō verò intra objectū naturale, id est, cujus species eis debeantur. Ens quò ad substantiam supernaturale nullum intuitivè cognoscunt naturaliter.

IV. Ad res à se distantes, sive materiales, sive eæ sint spirituales, cognoscendas egent speciebus; cōpleri enim nequit eorum intellectus per objectum materiale, utpote improportionatum, neq; per spirituale distans, cùm illud nequeat agere in distans. Ad objecta tamen sibi præsentia unitivè, sive per identificationem V.G. se ipsum, suas species, volitiones cognoscendas egere non videtur speciebus; secus est de aliis intimè præsentibus v.g. alio Angelo, anima rationali &c. nō vidētur enim hæc objecta per solam præsentiam localem satis subordinari potentiæ, ut cùm ea cōstituant unum agens adæquatum.

V. Species impressæ infunduntur Angelis, producunturq; à solo Deo: rerum naturalium quidem ad exigētiam Angelorum (quæ species tamen ideò non sunt supernaturales) aliàs nihil præter sibi intimè præsens cognoscerent

ceret Angelus , cùm objectum distans per medium corporeum nequeat producere speciem spiritualem ; neq; etiam emanēt ab ipsa Angeli substantia, utpote indifferente ad hoc potiùs , quàm illud cognoscendum ; Accidens autem connaturaliter debitum illud emanatur ab essentia , quod est terminus exigentiæ magìs determinatæ.

VI. Species mundi hujus visibilis omniumq; rerum in eo primò conditarum infusæ eis fuerunt sub initium creationis. Rerum verò aliarum naturalium species infunduntur illis tunc, quando hæc intra sphæram cujusq; objectivam incipiunt existere; tunc enim producuntur hæ species ad exigentiam naturæ à Deo vices objecti supplente, quando ab objecto fuissent , productæ , sed ab eo non nisi existente (objectum enim non existens non habet motivã intelligibilitatem) & quidem intra certam sphæram producuntur. Secretorũ mentaliũ species tunc illis infunduntur, quãdo ea ab iis sciri volunt causæ secundæ intellectuales. Porrò sũt hæ species magìs minusve perfectæ, id est, claræ & universales, seu plurium objectorũ distinctè repræsentativæ, pro majore minoreve Angelorũ specifica perfectione.

VII. Locutio angelica consistit formaliter in illa volitione, quâ loquens vult, ut objectũ à se hoc vel illo modo cognitũ alteri suo nomine innotescat; locutio enim cõsistit in ea actione, quâ positâ ex parte loquentis necessariò producuntur in audiẽte species repræsentantes objectũ ut cognitum à loquẽte, & volitum ab hoc manifestari. Ad exigẽtiam itaq; hujus volitionis Deus infundit audiẽti Angelo species; sicq; adhuc unus loquitur alteri physicè, quatenus hanc volitionem physicè producit. Porrò probabile est, hãc quoq; locutionem determinatã habere sphæram. De volũtate Angelica, utpote potissimũ actus meritorios & demeritorios cõplectẽte Theologi.

VIII. Potest naturaliter Angelus per mutationẽ instantaneã ex loco adæquato se movere ad proximũ adæquatũ v.g. potest in instante eodẽ extrinsecè desinere esse in leuca A, & intrinsecè incipere esse in leuca B; potest enim ubicatio angelica, utpote indivisibilis, & nõ habẽs contrariũ, tota simul incipere vel desinere. Non potest tamẽ in instante transire ad locum distãtem per mediũ sibi adæquatum, ne, si in instãte à leuca A per leucam B transiret ad leucã C, naturaliter esset simul in pluribus

bus locis adæquatis. Similiter naturaliter trā-
sire nō potest ab uno ad aliū locum sine tran-
sito medio nō cōmunicāte; posset enim aliàs
in instante locare se in loco quocunq; dissito,
cùm potentia loco motiva vires in medio nō
exhauriret. Potest nihilominùs pro libertate
sua priùs deserere partem loci sui adæquati,
quàm totū, cùm totus sit in toto, & totus in
qualibet loci parte: uti & propter eandē ratio-
nē pro libitu suo nunc majorem, nūc minorē
locum intra sphærā suæ præsentiæ occupare.
Ad existēdum in loco determinatur per ubi-
cationem sibi superadditam.

IX. Deum existere demonstrari potest à po-
steriori, Scripturâ inquiente: *à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter potest creator horū videri*: Sic enim videmus quoti-
die aliqua de novo fieri, nō fiunt à seipsis, cùm
idem nequeat producere seipsum: si ab alio
hoc iterum ab alio, vel nō, si ab alio, illud ite-
rum ab alio, & sic itur in infinitum. vel nō; &
sic habemus ens aliquod primum, quod non
est ab alio, necessarium in existendo, & perfe-
ctionis infinitæ, à quo reliqua omnia suū esse
& perfectionem habeant; & illud ens *Deum* dicimus. Definitur Deus esse *intellectio à se*,

vel

vel magis explicitè : *intellectio spiritualis substantialis existens à se.* Dicitur potiùs intellectio, quàm ens, quod est genus remotius. Dicitur potiùs intellectio, quàm intellectus, ut ostendatur, in Deo non dari potentiã physicã intelligendi, utpote quæ dicit principiũ elicitivũ & receptivũ intellectionis à se distinctæ, à qua imperfectione depurari nequit, nisi simul ejus ratio differentialis tollatur : è contra intellectio depurari potest ab eo, quòd sit accidẽs, dependẽs, distincta à principio suo &c. absque eo, quòd tollatur ejus essentia, nimirũ vitalis imago objecti. Dicitur *existens à se*, nõ positivè, quasi producta sit à seipsa, sed negativè, id est, improducta : estq; hoc prædicatũ primò proprium & differẽtiale Dei, radix reliquorum, cõtrahens omnia ejus prædicata; imbibitũ in attributis omnibus implicitè, nõ explicitè, Deumq; ab omni alio distinguens, ideò enim Deus est ens illimitatum, quia est à se, inde immutabilitas, æternitas &c.

Atque hæc pauca de Deo Philosopho sufficiant.

Omnia ad hujus Optimi Maximi Dei gloriam.

INDEX
Conclusionum.

EX LOGICA.

i. *OBJECTUM materiale Logices non sunt voces manifestativæ cõceptuum logicorum.* Pag. 1

ii. *Nec res substantes his conceptib⁹.* 3

iii. *Nec intellectas rectè intelligens definire, syllogizare &c.* 5

iv. *Nec ens rationis fictitium resultans à denominationibus logicis.* 7

v. *Sed tres mentis operationes.* 9

vi. *Etiam apprehensio simplex.* 11

vii. *Objectum attributionis est syllogismus logicè perfectus.* 14

viii. *Objectum formale* quod *non est regularum ipsarum, aut syllogismorum idealiũ directivitas.* 17

ix. *Nec intellectionũ dirigibilitas.* ib.

x. *Nec earum veritas physica.* 18
xi. *Sed earum conformitas cum regulis logicis.* 19
xii. *Versatur Logica circa hoc objectũ suum simpliciter practicè.* 20
xiii. *Item certò, & quò ad omnẽ partem est virtus intellectualis.* 23
xiv. *Non est tamen Sapientia, vel Prudentia, aut Ars strictè.* 24
xv. *Sed est scientia:* 25
xvi. *Una unitate aggregationis.* 27
xvii. *Nulli alteri subalternata.* 28
xviii. *Logica docens & utens activè non nisi per connotatum distinguuntur.* 30
xix. *Ad scientias solùm totales perfectè acquirendas Logica artificialis est necessaria moraliter.* 33
xx. *UNIVERSALE solùm fundamentaliter datur a parte rei.* 34

xxi. *Metaphysicum est unum aptum ineſſe multis: Logicũ unum aptum prædicari de multis.* 38
xxii. *Materiale ej⁹ ſunt ſingularia.* 39
xxiii. *Quale nequit eſſe unicum individuũ, cujus ſimilia implicãt.* 41
xxiv. *Formale univerſalis eſt cognitio abſtractiva & directa.* 43
xxv. *Qualis eſſe poteſt etiã judicium & diſcurſus.* 44
xxvi. *Prædicatur hæc cognitio in prædicatione univerſalis ut* quo; *ſingularia ipſa ut* quod: 47
xxvii. *eſtq; ipſa unitas uniuerſalis* 45
xxviii. *Cauſa efficiens univerſale eſt ſolus intellectus creatus.* 46
xxix. *Reſpectu inferiorum univerversale eſt totum potentiale.* 48
xxx. *In prædicatione affectâ ſigno uniuerſali vel particulari tã ſubject ũ*

quàm prædicatum amittit universalitatem. 49
xxxi. Item in prædicatione singulari. ibidem.
xxxii. Universale respectu Generis, Speciei, Differentiæ, Proprii, Accidentis est genus. 51, & 53
xxxiii. Genus est unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè. 57
xxxiv. Species est quid essentialiter completum, intentionaliter indivisum, physicè divisum in plura individua non notabiliter differentia, deq; ijs prædicabile. 62
xxxv. Individuum est quid aptum inesse uni soli, deq; eo prædicari. 58
xxxvi. Potest abstrahi ratio communis individui. 59

xxxvii.

xxxvii. *Differentia est quid aptum prædicari de multis, numero vel specie differentibus per modum partis essentialis formalis, seu in quale essentiale.* 64

xxxviii. *Inferior superiorem, aut genus superius non includit formaliter.* 65

xxxix. *Proprium est unum aptum prædicari de multis in quale necessariò.* 66

xl. *Accidens est unũ aptum prædicari de multis in quale contingẽter.* 67

xli. *SIGNUM est quid aptum potentiæ cognoscitivæ repræsentare aliquid.* 69

xlii. *Vis significativa signi naturalis est naturalis ejus connexio cum re significata.* 71

xliii. *Vis significativa signi ex institutio est volitio instituentiũ tale signum declarata & acceptata.* ib.
lxiv. *Voces humanæ articulatæ sunt signa ad placitum objectorum: Voluntatis eas perferentis signa sunt naturalia.* 73
xlv. *Significant res & conceptus: hos per modum argumenti, illas immediatè per modum imaginis.* 74
xlvi. *Supponunt pro re & cõceptu.* ib.
xlvii. *Scripturæ compositæ ex literis immediatè significant voces.* 75
xlviii. ENUNCIATIO *est simplex qualitas.* 76
xlix. *Omne judicium humanum necessariò comitatur apprehensio simplex terminorum.* 77
l. *Enũciationis affirmativæ & negativæ idem est objectum, identitas*

prædicatum & subjectum inter. 78
li. *Veritas enuntiationis neqùe in transcendentali, neqùe in prædicamentali consistit relatione.* 81
lii. *Est actui partim extrinseca.* 82
liii. *Actus verꝰ nequit fieri falsus* 85
liv. *Veritas perfecta soli convenit judicio.* 86
lv. *Ex duabus contradictoriis de futuro contingente, una est determinatè vera, altera falsa.* 87
lvi. *DISCURSUS est assensus mediatus, quo assentimur, vel dissentimur uni propter aliud.* 89
lvii *Syllogismus, prout est artefactũ logicum, essentialiter præmissas & conclusionem includit.* 90
lviii. *Prout est ztia mẽtis operatio, cõsistit formaliter & adæquatè in sola*

conclusione formali. 91
lix. *Solæ præmissæ objectivæ per sui species impressas efficienter concurrunt ad assensum cõclusionis.* 93
lx. *Dato præmissis assensu, necessitatur intellectus ad inferendam conclusionem necessitate tantùm contrarietatis.* 94
lxi. *Actualis assensus præmissarum est necessarius pro eo instante, quo elicitur conclusio.* 96
lxii. *Conclusio formalis attingit formaliter objectum præmissarum.* 97
lxiii. *Sequitur partem debiliorem.* 98
lxiv. *DEMONSTRATIO est discursus faciens scire.* 100
lxv. *Implicat, scientiam cum errore sibi directè opposito stare simul in eodem intellectu.* 102

lxvi. *Possunt naturaliter stare simul circa idem objectum materiale fides, opinio, scientia.* 105

lxvii. *Imò idem actus esse potest scientiæ, opinionis, fidei.* 106

EX PHYSICA.

i. *PHYSICA scientia est speculativa corporis naturalis.* P. 1. in Phys

ii. *PRINCIPIA intrinseca corporis naturalis in fieri per mutationem sunt Materia, Forma, Privatio.* 4

iii. *In facto esse tantùm Materia & Forma.* 6

iv. *PRIVATIO est carentia unionis formæ cum subjecto apto.* 10

v. *Diversitatem numericam & specificam desumunt privationes à diversis subjectis & formis sibi oppositis.* ibidem.

vi. *Negationes & necessariæ, & contingentes à rebus positivis distinguuntur.* 7
vii. *Positâ re in uno loco, perit opposita ei negatio ubiquè.* 11
viii. *Existit privatio proxima immediatè ante generationem causalē* 12
ix *Principiat, dum primò est compositum* ibidem.
x. *MATERIA PRIMA datur.* 15
xi. *Creatur à solo Deo* ibidem.
xii. *Est subjectum primum cujusquè rei, ex quo, cùm insit, fit aliquid per se.* 16
xiii. *Non existit existentiâ formæ.* 16
xiv. *Etiam dato, existentiam ab essentia distingui.* 18
xv. *Naturaliter existere potest sine forma substantiali.* 20

xvi. *Nonnisi supernaturaliter spoliari potest omni formâ.* 22
xvii. *Dato etiam, eam naturaliter existere existentiâ formæ.* 23
xviii. *Non est materia pura potentia logica, aut pura potentia passiva physica, excludens omnem potentiam activam physicam.* 23
xix. *Potentia passiva materiæ est ipsa ejus entitas.* 24
xx. *Esse potentiam receptivam formarum substantialium, est de conceptu formali primo materiæ.* 25
xxi *Esse receptivam accidentium, est solùm de essentia ejus physica.* Ib.
xxii. *Specificatur materia ab ordine ad easdem vel diversas formas.* 27
xxiii. *Rerum sublunarium materiæ sunt ejusdem speciei.* ibid.

XXIV. *Possibilis est materia specie diversa ab ea, quæ de facto datur.* Ibidem.

XXV. *Appetitu innato per modum simplicis complacentiæ appetit omnes formas, etiam corruptas.* 28

XXVI. *Perfectiores præ imperfectioribus non appetit.* Ibidem.

XXVII. *FORMA est substantia simplex, incompleta, per modum actus cum materia constituens unum per se.* 30

XXVIII. *Non est tota compositi quidditas.* ibidem.

XXIX. *Forma hominis creatur.* 32

XXX. *Reliquæ omnes educuntur, materiales substantiales è potentia materiæ.* ibidem.

XXXI. *Quæ tamen ideo non præ-*

exi-

existunt formaliter in materia. ib.
xxxii. *Possunt formæ materiales, etiam modales, creari.* 34
xxxiii. *Nec implicat formam substantialem spiritualem educi.* 34
xxxiv. *Plures formæ substantiales naturaliter nequeunt simul informare eandem materiam.* 37
xxxv. *Fieri id potest supernaturaliter.* ibidem.
xxxvi. *Præter formas speciales non datur forma corporeitatis.* 40
xxxvii. *Dantur tamen in vivente formæ partiales.* 42
xxxviii. *UNIO est quid distinctum à materiâ & formâ.* 46
xxxix. *Non est eductio formæ materialis.* 48
xxxx. *Sed modus peculiaris substantialis.* 50

xli. *In composito est unica unio totalis substantialis.* 51
xlii *Eaq; subjectata in sola materia* 53
xlii. *Producitur actione distinctâ ab eductione formæ.* 54
xliv. *COMPOSITUM nihil est distinctum à materia, forma & unione simul sumptis.* 55
xlv. *SUBSISTENTIA creata realiter distinguitur à natura.* 58
xlvi. *Non est tamen aggregatum ex natura importata in recto & duplici negatione unionis actualis & aptitudinalis cum alio digniore connotatis in obliquo.* 60
xlvii. *Sed entitas positiva substantialis.* 64
xlviii. *Non absoluta, sed modalis.* 66
xlix. *Effectus ejus formalis non est*

reddere naturam independentem à subjecto. 67
l. *Neque reddere illam potentem substare accidentibus.* 68
li. *Nec complere eam in operando.* ib.
lii. *Sed esse positivum & ultimum naturæ complementum, reddens illam subsistentem.* 69
liii. *Potest natura divinitùs existere sine subsistentia* 70
liv. *Materiæ & formæ respondent singulæ subsistentiæ.* 71
lv. *Imò & unioni earundem.* 72
lvi. *Potest subsistentia creata, pergens afficere naturam propriam, simul terminare plures naturas alienas.* 74
lvii. *Nec implicat, eandem naturam terminari simul pluribus subsisten-*

sistentiis propriis vel alienis. 74
lviii. *Sic potuit humanitas retinens propriã personã assumi à Verbo.* 75
lix. *NATURA est principiũ motus & quietis ejus, in quo inest primò & per se, & non per accidens.* 77
lx. *Talis est materia, etiam ut principium passivum motus.* 78
lxi. *Similiter forma, etiam ut principium activum est.* 79
lxii. *Compositũ tamẽ nõ est natura.* 80
lxiii. *Motus naturalis ille est, qui est secundùm exigentiam vel inclinationem ejus, in quo inest.* 81
lxiv. *Violentum, quod est ab extrinseco passo non conferente vim.* ib.
lxv. *Volũtas nequit à Deo pati violentiã quò ad actus à se elicitos.* 82
lxvi. *Supernaturale illud est, quod est*

supra

ſupra vires & exigentiam ſubſtantiæ creatæ & creabilis. 83
lxvii. *ARS eſt habitus cum recta ratione factivus.* ibid.
lxviii. *Figura arteficiati conſiſtit incerta diſtantia & indiſtantia partium, & ablatione partium ſuperfluarum.* 84
lxix. *CAUSA eſt principium influens per ſe influxu ex ſe formaliter defectibili.* 89
lxx. *Conſtituitur in actu primo proximo per ſuam entitatem, reliquaque ad agendum prærequiſita.* 87
lxxi. *Ad actum primum non pertinet intrinſecè poßibilitas effectus.* 88
lxxii. *Pertinet ad actum primum proximum cauſæ liberæ remotio impedimenti per actum ſecundum non*

auffe-

aufferibilis. 89
lxxiii. *Est, & sufficit prioritas naturæ causam & effectum inter.* 90
lxxiv. *Consistit hæc prioritas in dependentia effectus à causa, & in independentia causæ ab effectu.* Ibid.
lxxv. *Implicat, causam physicam pro instante suæ desitionis causare.* 91
lxxvi *Causa præsupposita physicè existēs ante suũ effectũ nequit ab eo vicissim causari quoad primũ esse.* 92
lxxvii. *Nequeunt naturaliter se duæ causæ mutuò producere quò ad secundum esse* 95
lxxviii. *Potest id fieri supernaturaliter.* *ibidem.*
lxxix. *Imò idem seipsum producere quoad secundum esse.* 96
lxxx *Possunt supernaturaliter plures*
causa

causæ in actu secundo totales influere in eundem effectum. 97
lxxxi. *Non tamen actus internus causari à pluribus finibus totalibus.* ibidem.
lxxxii. *Potest quoq; idē effect⁹ causari diuisim à plurib⁹ causis totalib⁹.* 101
lxxxiii. *Omnis causa essentialiter respicit effectum possibilem.* 102
lxxxiv. *Estqùe hic respectus determinatus, ut quocunque effectu implicante implicet causa.* 107
lxxxv. *CAUSA MATERIALIS sustentativa est, ex qua fit aliquid, quod mediâ passione ipsi causæ inest.* 108
lxxxvi. *Compositiva, ex qua ut subjecto inexistente fit aliquid.* ibid.
lxxxvii. *Utroq; modo est verè causa.* ibid.

lxxxviii. *Causalitas causæ materialis compositi væ est unio.* 110

lxxxix. *Sustentati væ eductio.* 111

xc. *Sola materia est subjectum inhæsionis quantitatis.* Ibidem.

xci. *Similiter reliquorum accidẽtium absolutorum.* 112

xcii. *Subjectantur tamen ea immediatè in quantitate.* 114

xciii. *CAUSA FORMALIS est, quæ per modum determinati vi intrinseci seu actus constituit ultimò compositum.* 115

xciv. *Ejus causalitas respectu effectus primarij est unio.* 116

xcv. *Respectu effectus secundarij seu expulsionis veteris formæ est unio, ut actu movet Deum ad subtrahẽdum veteri formæ cõcursũ suũ.* 117

xcvi.

xcvi. *Formam tribuere effectum formalem alicui, est cum eo constituere aliquod compositum.* ibidem.

xcvii. *CAUSA FINALIS est, cujus gratiâ aliquid fit.* 118

xcviii. *Est causa realis, id est, non fictè, sed realiter, etsi non existens physicè, movens voluntatẽ.* ibid.

xcix. *Cognitio repræsentans bonitatem finis, quà talis non est inadæquata vis causativa.* 119

c. *Sola bonitas est vis causativa finis.* 120

ci. *Causalitas finis respectu actuum à voluntate elicitorum est physica istorum actuum productio.* 122

cii. *Respectu actuum elicitorum ab aliis potentijs causalitas finis est productio istorum actuum, quatenꝰ*

à tali

à tali vel tali volitione imperata.
Ibidem.

ciii. *Effectus finis propriè sunt sola electio, prosecutio & exsecutio mediorum, si* Tò cujus gratiâ *significet, ex cujus amore & desiderio fiunt cætera.* 122

ciii. *Si autem significet, ob cujus bonitatem fiunt cætera, etiam amor finis & gaudium de eo obtento est effectus.* 123

civ. *Sola agentia intellectualia agunt propriè propter finem.* 124

cv. *Etiam Deus agens ad extra.* Ibid.

cvi. *CAUSA EXEMPLARIS est forma in mente, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.* 125

cviii. *Ratio causæ idealis consistit*

in

in cognitione & ejus objecto. 126
cviii. *Causalitas ejus est actio externa ut directa per ideã internã.* 127
cix. *CAUSA EFFICIENS est, unde est principium mutationis.* 127
cx. *Efficiens instrumentalis est, quæ est minoris cum effectu perfectionis, vel si est æqualis, non habet vim connaturalẽ ad eũ producendũ.* 128
cxi. *Instrumentum separatum quoad causalitatem à principali non datur.* 129
cxii. *Instrumentum elevatur à principali quãdoq; per solã ejus assumptionẽ ad influxum simultaneũ.* 130
cxiii *Quandoquè recipiendo insuper quid à principali.* Ibidem.
cxiv. *Ratio potentiæ obedientialis remotæ identificatur potentiæ naturali.* 132

CXV. *Proxima dicit præterea com-*
principium indebitum actu conjun-
ctum potentiæ naturali. 133
CXVI. *Potentia obedientialis passiva*
est ipsa potentia passiva naturalis,
quatenus ea respicit agens obedien-
tialiter elevatum. 134
CXVII. *Dari potest creatura elevabi-*
lis ad producendum quidlibet, quod
specialiter non repugnat. 135
CXVIII. *Creatura tamen, quæ de facto*
datur, sic non est elevabilis. Ibid.
CXIX. *Accidens nequit esse adæqua-*
tum principium substantiæ. 138
CXX. *Imò & inadæquatum.* 141
CXXI. *Substantia & in se, & quando-*
què in subjecto extraneo est princi-
pium adæquatum accidentium. 143
CXXII. *Causa efficiens nequit natura-*
liter

liter agere in distans. 144
CXXIII. Supernaturaliter id potest. 147
CXXIV. Idem potest agere in seipsũ. 148
CXXV. Simile naturaliter nequit agere actione uniuocâ in passum sibi gradualiter simile. 149
CXXVI. Actio specificatur à principio termino & passo. 153
CXXVII. Actio eductiua & passio solâ ratione distinguuntur. 154
CXXVIII. Actio eductiua transiens inhæsivè, est in solo passo. 155
CXXIX. Creatio distinguitur à creato Creatore. 157
CXXX. Virtus creatiua, saltem principalis, nulli creaturæ communicari potest 158
CXXXI. Conservatio est influxus causalis, quo res continuat suam existentiam. 159

CXXXII. *Omnia conſervantur immediatè à Deo, quandoquè ſolo, quandoq; ſimul à cauſa ſecũda.* Ib.
CXXXIII. *CAUSA PRIMA influit immediatè in omnes cauſarum ſecundarum operationes.* 161
CXXXIV. *Nullam phyſicè prædeterminat.* 163
CXXXV. *Cõcurſus Dei in actu primo eſt volitio Dei abſoluta, efficax, quoad cauſas neceſſarias determinata, quoad liberas indeterminata.* 169
CXXXVI. *Determinatur hic concurſus à creatura ad ſpeciem actus.* 172
CXXXVII. *Determinat eam ad individuum.* 173
CXXXVIII. *Nec tamen Deus eſt cauſa peccati.* 176
CXXXIX. *Concurſus Dei in actu ſecũdo idẽ eſt cum operatione creaturæ.* 174

cxl. *MOTUS est actus entis in potentia prout in potentia.* 178
cxli. *Specificatur à principio, passo, termino ad quem.* 181
cxlii. *Contrarij sunt motus, quorum termini sibi contrariantur.* Ibidem
cxliii. *Contrarijs motibus simul naturaliter nihil movetur.* Ibidem
cxliv. *Projecta moventur ab impulsu.* 182
cxlv. *Motus resilientiæ est ab impulsu, partim impresso à projiciente, partim ab obsistente, partim à gravitate impulsi.* Ibidem
cxlvi. *INFINITUM est, cujus semper est aliquid ultra accipere.* 184
cxlvii. *Quâcunque creaturâ potest Deus producere perfectiorem.* 185
cxlviii. *Infinitum categorematicum implicat.* 187

cxlix. *CONTINUUM est, cujus extrema sunt unum.* 199
cl. *Non constat punctis inflatis virtualiter tantùm divisibilibus.* 201
cli. *Neque ex punctis formaliter indivisibilibus.* ibidem
clii. *Sed ex partibus in infinitum divisibilibus.* 203
cliii. *Actu inter se distinctis.* 209
cliv. *Præter quas non dantur in eo indivisibilia continuativa, aut terminativa.* 205, & 207
clv. *LOCUS imaginarius est spatiũ reale purè possibile, quod nobis imaginamur per modum aëris, aut similis alicujus actus in infinitum diffusi.* 211
clvi. *Deus verè est in his spatiis.* 213
clvii. *Locus realis extrinsecus est super-*

perficies prima & immobilis corporis ambientis. 214

clviii. Locus intrinsecus, seu ubicatio est ratio formalis, quâ constituitur res in ratione existentis hîc. 215

clix. Est accidens modale rebus ubicatis superadditum. ibidem

clx. Emanatur à re, dum ea primò producitur, aliàs producitur per motum localem. 217

clxi. Singula compositi, etiam accidentia, ubicantur ubicationibus proprijs. 218

clxii. Ubicatio substantiæ spiritualis permanens est indivisibilis. 219

clxiii. Plura corpora quanta naturaliter existere nequeunt in eodem loco: supernaturaliter possunt. 220

clxiv. Supernaturaliter quoque idem

corpus esse potest simul in pluribus locis adæquatis circũscripti-vè. 221
clxv. *Replicatur corpus per solã productionẽ di-versarũ ubicationũ.* 224
clxvi. *Re replicatâ, implicat replicari ejus accidentia certo loco affixa, sẽcus est de alijs.* 227
clxvii. *Utraquè tamen simpliciter de re prædicantur in utroquè loco.* Ib.
clxviii. *Accidentium non con-venientium simul naturaliter -vel supernaturaliter rei constitutæ in uno loco, combinatio simili lege repugnat in re replicatâ.* 230
clxix. *Res -vi replicationis fit solùm quasi extrinsecè potentior.* 231
clxx. *Implicat rem existere absquè omni ubi.* 232
clxxi. *VACUUM est locus carens corpore.* 234
clxxii.

clxxii. *Dari nequit naturaliter, saltem ab agente sublunari.* Ibidem

clxxiii. *DURATIO creata distinguitur à re durante & tempore.* 236

clxxiv. *Non distinguitur à conservatione.* 238

clxxvii. *Duratio omnis creata est fluens.* 239

clxxvi. *TEMPUS est numerus & mensura motus secundùm prius & posterius.* 241

clxxvii. *Qualis proprijssimè est duratio motus cælestis.* 242

clxxviii. *Omnia incipiunt intrinsecè per primum sui esse, desinunt extrinsecè per primũ sui non esse.* 244

clxxix. *Implicat, creaturam esse ab æterno.* 245

clxxx *GENERATIO strictè est mu-*

tatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subjecto eodem. 248

clxxxi. *Generatio propriè viventis est origo viventis à vivente, cõjuncto in similitudinẽ naturæ.* 250

clxxxii. *CORRUPTIO est desitio compositi substantialis, eodem subjecto remanente.* 252

clxxxiii. *CONVERSIO est transitus ab uno termino positivo ad alium, ita ut inter hos duos terminos ratione illius tertij transeuntis possidendi sit pugna.* 253

clxxxiv. *MIXTIO est miscibilium per mutuam in se actionem alteratorum unitio cum forma tertia.* 255

clxxxv. *AUGMENTATIO est motus à minore ad majorem substantiam.* 257

cxxxvi. *Consistit formaliter in productione unionis continuativæ inter unionem essentialem partis de novo advenientis & unionem essentialem partis præexistentis.* 159

clxxxvii. *NUTRITIO est motus factus ab anima à minore ad majorem substantiã vivventem ex vitali conversione alimenti.* 260

clxxxviii. *Est successiva & continua.* Ibidem

clxxxix. *ALTERATIO est mutatio rei secundùm qualitatem.* Ibid.

cxc. *Intensio qualitatum non fit per majorem depurationem subjecti à contrario.* 263

cxci. *Nec per amissionem totius qualitatis imperfectioris, & productionem novæ perfectioris.* 265

cxcii. *Sed per novarum partiũ qualitatis ex eadem subjecti parte eductarum unitionem inter se & cum subjecto.* 268
cxciii. *Gradus intensionis homogenei sunt.* 270
cxciv. *Datur in alteratione sæpè reactio & repassio.* 275
cxcv. *RAREFACTIO & CONDENSATIO non sunt motus ad majorẽ vel minorẽ quantitatẽ.* 278
cxcvi. *Nec bene explicantur per intromissionem & expulsionem corpusculorum.* 279
cxcvii. *Sed sunt motus terminati ad raritatem & densitatem radicalẽ, quæ qualitates determinant materiam & quantitatem ad majus minus ve spatium occupandum.* 281
EX

EX ANIMASTICA.

i. *ANIMA est actus primus corporis organici potẽtiâ vitã habentis.* 285

ii. *Dividitur univocè & adæquatè in vegetativam tantùm, in vegetativam & sensitivã tantùm, in vegetativam sensitivam & rationalem simul.* 286

iii. *In eodẽ vivente neq; simul, neq; successivè dãtur plures animæ.* 287

iv *Omnes animæ ejusdem speciei sunt æqualis perfectionis substãtialis.* 290

v. *Anima rationalis est spiritualis, immortalis, indivisibilis.* 292, 294, & 295

vi. *Reliquæ omnes divisibiles.* 296

vii. *Sanguis, pituita, atra & flava bilis &c. non animantur.* 299

viii *Capilli, lana, ungues, rostra, squamæ &c. non animantur.* 302

ix. *Cerebrum, medulla ſpinæ dorſi, venæ, membranæ, oſſa, cornua, dentes animantur.* 304

x. *Vita formalis eſt operatio ex natura ſua & ratione termini immanens.* 305

xi. *In actu vitali intentionali creato inveniuntur hæc duo, actio & terminus realiter diſtincta.* 309

xii. *Ambo ſunt de eſſentia hujus actus.* 312

xiii. *Vegetationes ſubjectantur in ſola materia.* 314

xiv. *Senſationes brutorum in materia eſt formâ ſimul.* ibidem

xv. *Senſationes hominis in ſola materia inhæſivè, in anima tantùm informativè.* Ibidem

xvi *Spirituales verò ejus operationes*

in

in sola anima informati vè & inhæsivè 315
xvii. Potentiæ vitales, saltem hominis, non distinguuntur ab anima realiter. 317
xviii. Et si distinguerentur, adhuc anima immediatè influeret in actus vitales. 322
xix. SENSVS est potentia organica cognoscitiva. 324
xx. Ex sensibus externis, saltem unus, requiritur in animalibus, omnes quinque in perfectioribus. 325
xxi. Sensibile aliud est per se sensibile, aliud per accidens: sensibile per se aliud proprium, aliud cõmune 326
xxii. Implicat, sensum versari vitaliter extra suum objectum. 330
xxiii. Dantur species impressæ sensibiles,

biles, quæ ſunt qualitates corporeæ determinantes & complentes ſenſum, coëfficientes actum intentionalem. 332
XXIV. Senſus externi omnes egent his ſpeciebus. 335
XXV. Sunt hæ ſpecies indiuiſibiles extenſiuè, intenſiuè, obiectiuè. 336
XXVI. Cauſa earum finalis eſt ſenſatio, materialis medium & organũ, efficiens obiectum. 339
XXVII. Viſus organum eſt oculus, fitque viſio in retina. 340
XXVIII. Obiectum propriũ & adæquatum viſus eſt color & lux. 342
XXIX. Diſtinguitur lux à colore reali & permanente. 343
XXX. Auditus organum eſt auris, fitq; auditio in tympano. 344
XXXI. Obiectum ejus adæquatum eſt

ſonus. 345
xxxii. *Odoratus organum ſunt nares, fitqùe odoratio in caruncul*ı̃*s mamillaribus.* 347
xxxiii. *Objectum ejus adæquatum eſt odor.* 348
xxxiv. *Guſtus organum eſt palatum, principalius tale linguæ extremitas.* Ibidem.
xxxv. *Objectum ejus adæquatum eſt ſapor.* Ibidem.
xxxvi. *Tactus organum diffuſum eſt per totum corpus.* 349
xxxvii. *Objectum ejus ſunt variæ qualitates tangibiles.* Ibidem.
xxxviii. *PHANTASIA eſt potentia materialis cognoſcitiva objectorũ õniũ ſenſuũ ipſarũq; sẽſationũ.* Ib.
xxxix. *Re unus eſt ſenſus, officio multiplex.* Ibidem.

xl. *Organum ejus in animali perfecto est cerebrum.* 351
xli *Objectum ejus sunt sensuum externorum objecta & actus, actus item proprij.* Ibidem.
xlii. *APPETITUS sensitivus est potentia vitalis materialis, quæ affectivè fertur in objecta tantùm per sensus cognita.* 352
xliii. *Datur in omni animante.* Ibid.
xliv. *Organum ejus in animali corde prædito est cor.* 353
xlv. *INTELLECTUS est potentia cognoscitiva, purè spiritualis.* 354
xlvi. *Species impressæ sunt intellectui necessariæ; nisi ipsum fortè objectum sit intellectui intimè præsens, maximèque proportionatum.* 356
xlvii. *Species hæ non rememorativæ pro-*

producuntur ab intellectu, effectivè concurrente phantasmate. 357
xlviii. *Rememorativæ producuntur effectivè à solis intellectionibus, quibus præeuntibus conservantur à solo Deo, dependenter ab intellectu tanquam causâ materiali.* 359
xlix. *Suntque incorruptibiles.* Ibid.
l. *VOLUNTAS est potentia spiritualis appetitiva.* 360
li. *Ad ejus actum requiritur cognitio.* 361
lii. *Quæ tamen non influit in volitionem.* 364
liii. *Ut voluntas simpliciter dicatur libera, non sufficit libertas spontaneitatis.* Ibidem
liv. *Sufficit tamen libertas contradictionis, etsi de facto in nobis vo-*

luntas

luntas sit quoque libera libertate contrarietatis. Ibid.

lv. *Actus liber est, qui ita procedit à suo principio, ut positis & manentibus omnibus prærequisitis ad rationem principij proximi, potuisset non procedere.* 366

lvi. *Libertas formalis est huic actui specificativè sumpto partim extrinseca.* Ibidem

lvii. *Implicat omissio pura libera.* 371

lviii. *HABITUS naturalis est qualitas permanens, potentiæ vitali superaddita, facilitans eam ad operationes connaturales.* 373

lix. *Supernaturalis est qualitas supernaturalis per se infusa potentiæ, ut eam ad actus supernaturales elevet & aptet.* 374

lx. *Subjectum capax habitus est ea solùm potentia vitalis, ad eos solùm actus, quæ & ad quos non est omnino determinata.* 375

lxi. *Habitus phantastici & intellectuales sunt collectio specierum rememorativarum.* 376

lxii. *Imò & habitus voluntatis probabiliter consistunt in istis speciebus & cognitione ab ijs excitatâ, delectabilitatem vel molestiam aliàs ex objecto perceptam vivacissimè repræsentante.* 378

EX METAPHYSICA.

i. *Objectum Metaphysicæ est ens omne ut ens.* Pag. 1. in Metaph.

ii. *Ens acceptum nominaliter est quid aptum existere.* 2.
iii. *Est hic conceptus perfectè præcisus ab inferioribus.* Ibid.
iv. *Conceptus quoque differentiarum entis ab ente præscindit.* 4
v. *Posito autem, differentias has includere rationem entis, adhuc id non obstat uni-vocationi entis.* 7
vi. *Nec obest dependentia unius inferiorum ab altero.* 9
vii. *Nec inæqualis participatio entis.* 11
viii. *Attributa entis sunt Unitas, Veritas, Bonitas.* 12
ix. *UNUM est indi-visum in se, & indi-visum a se.* Ibid.
x. *Neutra harum indi-visionum importat*

portat relationem rationis, aut quid formaliter negativum. 15, & 16

xi. Unitas individualis & numerica desumitur ab ipsa rei singularis entitate. 19

xii. Unitas formalis est unitas essentiæ seu naturæ, quatenus una natura V. G. humana est indivisa in se, & divisa à qualibet alia natura V. G. equina.

xiii. Unitas rationis convenit rebus ab intellectu cognoscente plura per modum unius. 21

xiv. Identitas sumpta fundamentaliter, non distinguitur ab unitate. Ibidem

xv. Sumpta formaliter superaddit unitati relationem rationis. Ibid.

xvi. *Distinctio realis positiva nõ cõsistit in aliquo positivo vel negativo rebꝰ distinctis superaddito.* 22
xvii. *Nec est formaliter relatio aleitatis.* 23
xviii. *Distinctio rationis est, dum res eadem diversis conceptibus concipitur.* 24
xix. *Inter distinctionem realem & rationis non datur media.* 25
xx. *In distinctione rationis non fit præcisio objectiva.* 29
xxi. *Gradus metaphysici ejusdem individui distinguuntur solâ ratione ratiocinatâ.* 32
xxii. *VERITAS transcendentalis est ipsa intrinseca rei cognoscibilitas.* 34
xxiii. *BONITAS transcendentalis est ipsa fundamentalis rei appetibilitas.* 36

xxiv. *ESSENTIA rei est id, quod est primum in unaquaque re, & radix cæterorum.* 37

xxv. *Essentiæ rerum non sunt ab æterno, nec secundùm esse aliquod diminutum, neque secundùm esse reale.* 38

xxvi. *POSSIBILITAS rei intrinseca est res ipsa, quatenus non continet prædicata se invicē destruentia.* 39

xxvii. *Impossibile seu ens rationis suo modo datur in intellectu.* 42

xxviii. *Solus intellectus, etiam divinus, est suo modo causa entis rationis.* 46, & 47

xxix *PRÆDICAMENTA sunt decem, in ijs statuitur directè ens unum per se, reale, totum, &c.* 48

xxx *SUBSTANTIA est ens per se* 49

xxxi.

xxxi. *QVANTITAS est accidens distinctum à substantia, reliquisq; accidentibus.* 51

xxxii. *Ejus essentia non consistit in extensione entitativa.* 53

xxxiv. *Neque in eo, quòd sit apta mensurare aut mensurari.* 54

xxxv. *Sed in exigentiâ impenetrationis* 55

xxxvi. *QVALITAS est accidens distinctum à quantitate benè vel malè afficiens subjectum.* 57

xxxvii. *RELATIO vera realis datur ante intellectum.* 58

xxxviii *Ad relationem prædicamentalem requiritur terminus purè terminus, fundamenti & termini realis coëxistentia.* 61

xxxix. *Transcendentalis nunquam respi-*

cit terminum purè terminum, quandoquè respicit terminum non existentem. 63

xl. Est fundamento soli intrinseca. 61

xli. Relatio prædicamentalis non consistit in solo fundamento connotante terminum extrinsecè. 64

xlii. Nec est quid fundamento, termino & rationi fundandi superadditum. 65

xliii. ANGELOS dari est de fide, ratione non nisi probabili suadetur. 69

xliv. Sunt substantiæ creatæ, spirituales, completæ, simplices, intellectivæ, ex natura sua incorruptibiles. Ibidem.

xlv. Non repugnant Angeli specie

distincti, imò tales dantur. Ibidem
xlvi. *Nec solo numero distincti; tales dari, est probabile.* 70
xlvii. *Cognoscunt objecta præsentia naturalia intuitivè, futura necessaria certò physicè, sed abstractivè futura liberè probabiliter.* 71
xlviii. *Secreta cordium ad elicientis beneplacitum.* Ibidem.
xlix. *Egent speciebus ad res quascunque cognoscendas, nisi fortè sint illis unitivè vel identicè præsentes, aut maximè proportionatæ.* 72
l. *Infunduntur ijs hæ species à Deo.* Ibidem.
li. *Mundi hujus in prima creatione rerum aliarum tunc, quando eæ existunt intra eorum sphæram.* 73
lii. *Locutio eorum consistit in volitione*


litione, quâ loquens vult objectum à se cognitum alteri innotescere, vi cujus volitionis infunduntur alteri à Deo hujus volitionis & objecti species. 74

liii. *Potest Angelus in instante se movere ex loco adæquato ad proximum adæquatum, non ad distantem.* Ibidem

liv. *DEUS est intellectio à se.* 75

lv. *Hunc existere, à posteriori demonstrari potest.* Ibidem.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN